15. 1. 364.

Digitized by Google

Digitized by Google

C A T A N A
I L L U S T R A T A,

S I V E

N O V A, A C V E T V S T A

URBIS CATANÆ

MONUMENTA, INSCRIPTI LAPIDES,

NUMISMATA, CIVESQUE
Quotquot in ea celebres omni Ævo
Floruere.

PARS TERTIA.

OPERA, & STUDIO

S. T. D. D. VITI M. AMICO, & STATELLA
Benedictino-Caſinenſis Prioris.

CATANÆ MDCCXLI.
Ex Typographia Joachim Pulejo
Superiorum Facultate.

Digitized by Google

ILLUSTRISSIMO SENATUI

CLARISSIMÆ

URBIS CATANÆ.

REGI. A. CONSILIIS

ARMORUM. IN. BELLO. DUCI.

REI. PUBLICÆ. CUSTODI. AC. CURATORI.

D. Mario Concepto Paternionio, Caſtello, *Carcacis Duci*, *Patritio*.
D. Joanni Baptiſtæ Paternionio.
D. Dominico Anſaloni.
D. Ludovico Tornambenio.
D. Guillelmo Scammaccæ, & Aretio.
D. Petro Vallæ, & Gravinæ.
D. Antonino Ruſſo, *Baroni S. Georgii*.
Senatoribus.
D. Guillelmo Scammaccæ, *Brucæ Baroni Syndico*.

D. Vitus M. Amicus, & Statella *Caſinenſis*.

D. D. D.

Auſpicato Patriæ Magiſtratum capeſſitis, Patres Ornatiſſimi, dum communi Civium bono, Vobis curantibus Urbis noſtræ monumenta in lucem prodeunt. Quid enim magis publicos decet Rectores, quam in id potiſſimum intendere, illudq; præ cæteris cordi habere, quod ad omnium utilitatem videtur conducere, patriumque decorem proſpicere? Et gratulari quidem optimis Civibus, atque ex hoc uno proſpera illis univerſa, ominari inde liceat, si vel ipſa muneris veſtri initia publicis commodis conſecratis. Serio

hæc Ego perpendens, officii mei partes eſſe duxi, inclyto veſtro nomini Opuſculum hoc plurimis debitum titulis inſcribere, ac non ingratum fortaſſe munus vobis offerre. Prono igitur animo illud excipite, meque ſimul in gratii obſequii ſpecimen addictiſſimum fovete.

Dabam Catanæ Idibus Majis MDCCXLI.

IN AUTHORIS LAUDEM

Jacobus Paternionius, & Scammacca.

Programma.

PATER D. VITUS MARIA AMICO PRIOR CASINENSIS:

Anagramma Literale Puriſſimum.

En Tu novis Sicanis mira promis patria decora.

Diſtichon.

Tu decora en *priſcis* Sicanis patria promis
Mira, *noviſque*, *ſimul ſic tua in orbe micant.*

INDEX

I N D E X.

LIBRORUM, CAPITUM, & PARAGRAPHORUM.

CATANÆ ILLUSTRATÆ LIBER NONUS.

Nova, & Vetuſta ejuſdem Urbis monumenta. pag. 7.

CAP. I. Templa, Aræ, Luci, Simulacra Inanium Deorum cultui Catanę erecta. *Ibidem.*

I. Galatheæ Templum. *Ibidem.*

II. Inus, ſeu Leucotheæ Templum. pag. 8.

III. Ceres nobiliſſimo Templo Catanæ culta. *Ibidem.*

IV. Vulcani Delubrum, ac Lucus. pag. 16.

V. Jovis Aræ, ac Templum. pag. 17.

VI. Piorum Fratrum Amphinomi, & Anapię Templum, Statuæ, Campus, Sepulchrum. pag. 18.

VII. Palicorum Templum, Crateres, Statuæ. pag. 21.

VIII. Bacchi Delubrum. pag. 28.

IX. Dei Fidii Templũ, ac Tabula. p. 29. X. Pantheon. pag. 31.

XI. Cybeles, & Ongiæ Templa. pag. 32.

XII. Plutonis, Martis, Herculis, & Eſculapii Delubra. pag. 33.

XIII. Proſerpinæ, Fortunæ, Veneris, & Palladis Templa. pag. 31.

XIV. Alia ſuperſtitioſæ Veterũ Catanẽſ. Relig. monumẽta. pa. 37.

CAP. II. Publ. Ædificia. pa. 41. I. Naumachia. *Ibidem.*

II. Hippodromus. pag. 43. III. Aquęductus. pag. 45.

IV. Thermæ. pag. 50. V. Thermę Minores. pag. 54.

VI. Gymnaſium. pa. 54. VII. Amphitheatrum. pag. 61.

VIII. Proconſulare Palatiũ pa. 66. IX. Theatra pag. 68.

X. Arcus. pag. 70. XI. Obeliſci. pag. 72.

XII. Arces, Męnia, Portæ. pag. 72.

XIII. Sepulchra. pag. 80. XIV. Rudera. pag. 87.

CAput III. Ædes Vero Deo Sacræ. pag. 91.

I. Templa, Ædeſque Sacrę ante Saracenos. *Ibidem.*

II. Princeps S. Agathæ Templum poſt Saracenos. pag. 101.

III. S. Mariæ de Eleemoſyna Collegialis Eccleſia, aliæque Paręciales cum veteres, tum recentiores. pag. 111.

Caput IV. Benedictina Cœnobia cum Catanæ, tum in ejus, Ætnęque finibus. pag. 120.

Caput V. Mendicantium Religioſorum Sacræ Ædes. pag. 138.
Caput VI. Clericorum Regularium Familiæ. pag. 152.
Caput VII. Clericorum Secularium Cętus. pag. 161.
Caput VIII. Sacrarum Virginum Monaſt. ſub S. Ben. Reg. pag. 165.
Caput IX. Moniales ſub S. Franciſci Regula. pag. 173.
Caput X. Loca Pia; Hoſpitales Domus, Orphanorũq; ædes. pag. 174.
Caput XI. Laicorum Sodalitates. pag. 182.
Caput XII. Aliæ cum veteres, tum novæ Eccleſiæ. pag. 190.

CATANÆ ILLUSTRATÆ LIBER X.

Vetuſti Lapides Græcè, ac Latinè inſcripti. pag. 193.

Caput Primum Lapides latinè inſcripti. pag. 194.
Caput II. Ethnicorum Epitaphia. pag. 206.
Caput III. Lapides Chriſtiani. pag. 230.
Caput IV. Lapides Græcè inſcripti. pag. 235.
Cap. V. Sepulchrales Ethnicorũ Lapides Græcè inſcripti. pag. 240.
Caput VI. Chriſtiana Epitaphia. pag. 260.
Caput VII. Inſcriptionum Fragmenta. pag. 272.
Caput VIII. Notæ Figulinæ, ac Sigilla. pag. 279.
Caput IX. Ævi Recentioris Epigrammata. pag. 282.

CATANÆ ILLUSTRATÆ LIBER XI.

Numiſmata. pag. 287.

Caput I. Numiſmata Jani Effigie Signata. pag. 289.
Caput II. Amphinomi, & Anapiæ Numi. pag. 296.
Caput III. Charondæ Numiſmata, ſeu vultus cornu inſignes exprimentia. pag. 304.
Caput IV. Acis, Symęthi, & Amenani Numiſmata. pag. 316.
Caput V. Numi Quadrigis, Bigiſque ſignati. pag. 325.
Caput VI. Numiſmata Victoriæ Signo percuſſa. pag. 335.
Caput VII. Numiſmata geminis capitibus ſignata. pag. 342.
Caput VIII. Numi vario Deorum Typo inſignes. pag. 354.
Caput IX. Alia incertæ Claſſis Numiſmata. pag. 370.
Caput X. Ætnæ, & Mamerci Numiſmata. pag. 38.

CATA-

Digitized by Google

CATANÆ ILLVSTRATAE
LIBER NONUS
NOVA, AC VETUSTA EJUSDEM URBIS MONUMENTA
CAP. I.
TEMPLA, ARÆ, LUCI, SIMULACRA, INANIUM DEORUM CULTUI CATANÆ ERECTA.

IDololatriam per Siciliã propagatam, quum Cyclopes Gigantum ſoboles, corporibus animiſque immanes Inſulam tenerent, adſtruit Cajetanus in Iſagoge ad Siculam Hiſtoriam (*a*) *Quippe nullæ eis leges, ſocietatiſque ſtudium, mores agreſtes, ferique, nec pietas veri Numinis fuit*. Hæc noſtra propiùs tangunt; quandoquidem Cyclopas Catanæ ejuſque finium incolas fuiſſe jam libro primo innuimus. (a) Cap. 3.

I. GALATHEÆ TEMPLUM.

Suam communit Cajetanus conjecturam Thuris apud Teocr: Scholiaſ: Idyl: 6. & Alcimi lib: 3. de Rebus Siculis authoritate: *Memorant Thuris, & Alcimus: Polyphemum Cyclopem propter pabuli ubertatem, & copiam lactis Galatheæ in Ætnæo monte fanum poſuiſſe*. Nec abnuit Natalis Comes (*b*) *Fama eſt Galatheam fuiſſe amatam à Po-* (b) Mythol. lib. 9. cap. 8.

Polyphemo, ut ait Theocritus in Cyclope. Iſtud autem contingit, quia Philoxenus, cum eò adiiſſet, Templumque vidiſſet Galatheæ à Cyclope erectum, cauſam ignorans, Polyphemum illam amaſſe credidit; Et idcirco Templum illud ei erexiſſe, ut ſcribit Alcimus lib. 3. Rerum Sicul: & Enarrator Theocriti. Delubri ſitum non abſre propè Ulyſſis Portum Scriptores Gentici ſtatuunt; Ibi enim vetuſtiſſimorum ædificiorum veſtigia in hodiernum uſque diem occurrunt, eodemque in loco ex Homèro, & Virgilio poſitam Polyphemi Speluncam ſcimus; quamvis aliquid ſingillatim decerni nequeat. Credit Carrera (*a*) Galatheæ ſtatuam ex hoc Templo ſublatam, atque à L. Metello unà cum aliis ſuperſtitioſis Simulacris Romam inde adſportatam. Sed Diodori Epiſtolis notitia innititur. Cæterum Galatheam, ſeù *Maris Candorem*, aut *Malaciam* (nam idem ſonat) Catanenſes coluiſſe Cajetanus loco citato; & Thomas de Angelo (*b*) ex Actis S. Euplii mar: Catanenſis colligunt, ubi Galini mentio habetur, qui apud Etnicos idē ac Deus mare trãquillũ reddens ſonabat.

(*a*) *Cat. Hiſt. lib.* 1. *cap.* 14.

(*b*) *Proleg. ad An. Sac. Sic. n.* 5.

II. INUS, SEU LEUCOTHEÆ TEMPLUM.

Juxtà memoratum Galatheæ Tēplum aliud quoque ab Antiquis extructum, Inoque, ſeù Leucotheæ dicatum, ex ruderibus, quæ in Leucotheę colle paſſim videntur, eruo; ab eoque Numine colli eidem inditum nomen adſtruo. Hinc mirari ſubit Carreram, Leucotheam cum Galatheæ confundere, Groſſumque, à Proſerpina, quæ Hecate dicitur, collem hunc denominatum conjectare, quum vulgare *Licatiæ* nomen Leucotheæ potiùs quàm Galatheæ, aut Hecati reſpondere videatur; Quid quod ipſemet Blundus ab utroque

Authore

Authore relatus Proſerpinæ Raptum eò loci ſtatuens de Leucotheæ quidem pratulis, minimè verò Galatheæ, aut Hecatis meminit? *Juxtà quod*, ait, *ab Orco Plutone Moloſſiæ Rege Proſerpinam Leucothoæ fragrantibus in pratulis, æterna florum copia propè Urbem pullulantium, raptam affirmant.* Nec aliude Leucotheæ delubrum inconſultò in colle mari proximo, ac portui impendente exedificatum putavi. Leucothea enim, ſeù Ino Cadmi, & Ermionis, ſeù Armoniæ filia, uxorque Athamenis Thebarum Regis creditur, quæ poſtquam furentis Viri timore perculſa cum Melicerte natu minore filio in mare ſeſe præcipitem dediſſet, inter marinas Deas relata dicitur. Hinc navigantibus illam prodeſſe Pauſanias in *Boeticis* affirmat; quod etiam Natalis Comes advertit. (*a*) ſubditque Theodontius apud Boccacium (*b*) Inum, & Melicertem profugos, quum excepiſſet Siſiphus, ab eodem ſuo Portui præfectos eſſe, atque hinc Melicertem Palæmonem, Inum verò Leucotheam dici cœpiſſe. Hoc porrò nomine primùm appellatam apud Megarenſes idem Pauſanias in *Atticis* ſcribit; & in *Meſſeniacis*, non procul ab Urbe Coronâ in quodam Vico id accidiſſe refert, ac tunc in Dearum munerum Inum relatam. Fanum denique illam habuiſſe, & Oraculum propè Thelamos tradit in *Laconicis*, aliudque in iſthmiaca regione Corinthi ſatis celebre; ut propè maritimam Catanæ oram ſuum quoque tenuiſſe, non incongruum ſit opinari.

(*a*) *Myth. lib. 8. cap. 4.*

(*b*) *Geon. Deor. lib. 10.*

III. CERES NOBILISSIMO TEMPLO CATANÆ CULTA.

Cereri, ejuſque filiæ Proſerpinæ tota olim Siciliæ Inſula, Tullio (*c*) aliiſque teſtibus, ſacra fuit, atq; in primis Catana, quam, proinde in ejus honorem celeberrimum excitaſſe Templum, at-

(*c*) *Lib. 4. in Verrem.*

que Statuam ſacraſſe, nedum Hiſtoriæ, ſed ipſę etiam adhuc ſuperſtites teſtantur ruinæ. Templi ſitus ad æſtivum Urbis occaſum, ubi hodiè propugnaculum ab *Inſectis* appellatum; An verò extra Pomerium ſteterit, anceps ſum animi. Petrus Carrera (a) ex delubris Segeſtæ, Ennæ, ac Syracuſis eidem Cereri dicatis, atque ex Vitruvii præſcripto, extra mœnia fuiſſe arguit; Sed alibi ejuſdem in urbe media ſtetiſſe Templa legimus, ut illud Cereris Pubeſcentis intra Athenarum muros ex Pauſania in *Atticis*, illudque Cereris Legiferæ apud Megarenſes ex eodem. Veneri quoque in urbis penè centro Ædes Catanæ dicatas alibi dicemus, nequicquam Vitruvii præcepto ſuffragante, qui longè ab urbe, ne inficeretur Juventus colendam Deam ſanxit (b) Blundus denique apud eundem Carreram Cereris Fanum mœnibus contiguum ſtatuit, ab eaque regionem illam nomen obtinuiſſe ſcribit.

(a) Cat. Hiſt. l. 1. cap. 3. n. 6.

(b) Lib. 1. cap. 7.

Templi veſtigium, internam, externamque faciem accurata deſcriptione proſequitur ex laudato Petro Blundo Archangelus, atque ex eo Carrera, & Groſſus in ſuo Decacordo (c) ubi illius Iconographiam affabre delineatam exhibet. Blundi forte ætate, qui Alphonſo Magnanimo Siciliæ Rege floruiſſe dicitur, nondum extructo propugnaculo rudera extabant ingentia, ex quibus erui quodammodo totius Templi ſtructura potuit; ſed minima quæque ejuſdem ornamenta tàm accuratè exprimi, ac penicillo exarari, haud facilè crediderim. Blundi verba tranſcribere longum eſſet, habes illa apud laudatos Hiſtoricos. Cæterum hodiè non niſi fornicis fragmenta, quæ Templi magnificentiam panduit, eleganti opere plaſtico contecta, tantæque molis veſtigia penè obruta conſpicimus,

(c) Cord. 2. mod. 1

ſpicimus, quorum pars cunctis obvia in publica area, pars reliqua propugnaculo ſubjacet. Extabat olim pars Coronidis è nigro lapide, Doricè elaborati, quæ propè Ædem Spiritus Sancti (Hęc non longè erat à Templo Cereris) inventa, antè publicum Civitatis palatium translata hac notabatur Epigraphe.

K.

ΔΗΜΗΤΗΡΗ ΙΕΡ...

Quàm interpretatur Petrus Carrera: *Catanęę Cereri Sacrum*; nec abnuit Gualtherius, ut ſuo loco dicam. Aliam quoque Coronidis partem, ſeù fruſtrum ejuſdem omnino artificii in Villa Templo proxima diù jacuiſſe idem teſtatur Hiſtoricus.

Gallicanum porrò *Breviarium* in S. Leonis Magni Catanenſis Pontificis feſto, duo Simulacra prægrandis ſtaturæ, & admirabilis pulchritudinis, magica virtute Templį verticem occupaſſe innuit; quorum etiam m.ſ. Syracuſanæ Eccleſiæ Codex meminit his verbis: (*a*) *Erat autem in Urbe* Catana *tunc temporis quoddam ſummæ venerationis delubrum ſuper ædificia Civitatis eminens univerſa; in cujus ſummitate lapidea duo extabant Simulacra ſtaturæ prægrandis, ſculpturæ admirabilis indiſſolubili, ut dicebatur, ibi Magorum arte locata*. Petrus Blundus ab Archangelo relatus viginti Atlantes Coloſſæos in eminentiori Templi vertice Apogeum, ſeù Tholum ſubſtentantes memorat in ſua ejuſdem Templi deſcriptione. Tholum verò organica, & aſtronomica ſymmetria, rotarum ponderibus libratum annuatim circumferri, in ejuſque concavo Solis, & Lunæ, Aſtrorumque motus ad horarum, & temporis intervalla deſcribi tradit. Tullius denique (*b*) Cereris Signum perantiquum in ejuſdem Templi intimo

(*a*) *Apud Cajetan. tom. 2. SS. Sicul.*

(*b*) *Lib. 4. in Verrem.*

ſacrario locatum celebrat, cujus mox cultum, ac religionem ediſſeram.

De Templi Authore, in tanta annorum diſtantia certi quidquam decernit nequit; minus de tempore, quo extructum. Antiquiſſimum appellat Cicero. Gualtherius ex allata Inſcriptione Hieroni Syracuſarum Tyranno adſcribit, ſed anceps eſt animi; Illius tamen cenſionem Cajetano arriſiſse ſatis illa declarant, quæ in Animadverſionibus ad vitam S.Leonis ſcribit. (a) *Extant adhuc ingentis Coronidis nigra ſaxa (Delubrum enim ex nigro, quadratoque lapide ædificatum) cùm Inſcriptione Græca*: Cereri Sacrum. *An verterim*: Cereri Hiero? *Ut Templum Cereri ſtruxerit, dicaritque Hiero Rex Syracuſarum, cum Catanenſibus Patria ejectis, novos Catanam Colonos deduxit, mutatoque nomine, Ætnam dixit, ut Diodorus, & Strabo tradidere?* Verùm prima illa, ac ſolitaria litera K. quàm rectè *Katanam* denotare Gualtherius ipſe contendit, cum ejuſdem, tùm Cajetani conjecturas convellit. Hiero enim, qui Catanæ nomen in Ætnam commutavit, initialem potiùs Ætnæ notam imprimi in perennem rei memoriam præcepiſſet. Sed de hoc fuſiùs dicemus, quum de Inſcriptis lapidibus ſermo erit.

(a) Vitæ SS.Sicul. tom. 2.

Diodorus libro XI. egregia Gelonis Syracuſarum Regis facinora recitans hæc inter alia ſcribit. *Poſt hæc Cereri etiam in Ætna fanum ædificare ſtatuit; jamque Dea in Sacrarium collocata erat; ſed à fato interpellatus imperfectum illud reliquit.* Verùm in exemplaria errorem irrepſiſſe credit Cluverius, (b) atque in Enna ſatis celebri colle ab Gelone Templum Cereri excitatum tradit. Sanè de Catanenſi Diodorum minimè loquutum facilè putaverim, quòd etiam Carrera advertit, (c) quamvis

(b) Sicil. Ant. lib. 2. cap. 7.

(c) Cat. Hiſt. lib. 1. cap. 3.

vis in Ætnæ deſcriptione contrarium ſenſerit. Gelonis quippè ævo ſuum Catana retinebat. An de Ennenſi potiùs, quàm de Ætnenſi intelligendus Diodori locus, lis adhuc, ni mea me fallunt, ſub Judice. Quandoquidem apud Valerium Maximum (a) Templi etiam Cerealis fit mentio in Ætna, Romanoſque Sybillinis libris monitos, ut vetuſtiſſimam Cererem placarent, Ætnam (quoniam Sacra illius Deę inde orta credebant) quindecim Viros ad eam propitiandam miſiſſe ſcribitur. Non inficiar, Tullium (b) Ennæ ſuffragari; eamdem quippe legationem referens ait: *Apud Patres noſtros, atroci, ac difficili Reipublicæ tempore, quum T. Graccho occiſo, magnorum periculorum metus in Oſtentis portenderetur, P. Mucio, L. Calpurnio Coſſ. aditum eſt ad libros Sybillinos, in quibus inventum eſt Cererem Antiquiſſimam placari oportere. Tum ex ampliſſimo Collegio Decemvirali Sacerdotes Populi Romani, quum eſſet in Urbe noſtra Cereris antiquiſſimum, & pulcherrimum Templum, tamen uſque Ennam profecti ſunt*: Valerium nihilominus de Ætnenſi Templo ea protuliſſe aliis perſuaſum, ejuſque in primis Commentatori Oliverio Aiziganenſi, qui ait: *Ætna mons eſt Siciliæ à Poetis decantatus, in cujus radicibus eſt ejuſdem nominis oppidum teſte Strabone lib. 6 ... Illuc miſſi fuere legati*. Et poſt pauca: *Lactantius de falſa Relig. dicit: Republica tandem perturbata, ſeditionibus, & oſtentis cum moniti eſſent carminibus Sybillinis Cererem debere placari, legatum Ætnam miſerunt*.

(a) Lib. 1. cap. 1.

(b) Lib. 4. in Verrem.

Jamverò, quum expendendæ Valerii ſententiæ occaſione, eò evaſit oratio, ut Siculorum ergà Cererem religionem ab ipſis etiam Romanis ſuſpectam fuiſſe, enarrare minimè piguerit; Juvat hìc

Catanenſium quoque pietatem (veriùs ſuperſtitionem) paucis perſtringere. Sacrorum curam penes Matronas nobiles, ac Virgines fuiſſe docet in primis Cicero laudatis locis: *Poſtridiè Sacerdotes Cereris, atque illius fani Antiſtitæ majores natu, ac nobiles mulieres rem ad magiſtratus ſuos deferunt.* Cereris hinc ſimulacrum nè quidem aſpicere fas erat Viris: Idem. *In eo ſacrario intimo fuit ſignum Cereris perantiquum, quod viri non modò cujuſmodi eſſet, ſed nè eſſe quidem ſciebant; aditus enim in id ſacrarium non eſt viris; ſacra per mulieres, ac virgines confici ſolent.* Et lib. 5. de Simulacri ejuſdem nefario raptu per Verrem diſſerens, ait: *Ut Simulacrum Cereris unum, quod à viro non modò tangi, ſed ne aſpici quidem fas fuit, è Sacrario Catinæ convellendum, avertendumque curaverit.* Et rurſus: *Hoc ſignum noctu clam iſtius ſervi, ex illo religioſiſsimo, atque antiquiſſimo fano ſubſtulerunt.* Eadem habet continuatæ Argenidis Author. (a) *Finierat Argenis laudationem funebrem, cum ingreſſa Cereris Fanum, in penitiores templi partes, ipſumque uſque aditum penetravit, ut antiquiſſimam Deæ amplecteretur ſtatuam, quam profanos, nec Eleuſiniis ſacris initiatos videre, vel tangere nefas erat, ab illo uſque tempore, quo Proſerpina Cereris filia rapta fuit haud longè Ætna Civitate per Orcum Moloſſorum Regem.* Ubi illud obſerva: Catanæ Templum extructum dici paullo poſtquam rapta Proſerpina fuit; proindeque & illud Ennæ unà cum Opido à Syracuſanis conditum, & aliud Gelonis fundatione ſua præceſſiſſe.

(a) *Lib. 1. cap. 2.*

Ex hoc Catanenſi Templo jure optimo eductam ſuſpicatur Carrera *Caſponiam*, illam, cujus meminit Gruterianus Lapis à Gualtherio inter Siculas

culas Tabulas relatus *Caſponia P.F. Maxima, Sacerdos Cereris publica Populi Romani, Sicula.* Sacrarium quippe Cereris apud Catanenſes eadem religione, quà in cæteris locis, quà propè in toto terrarum orbe effloruiſſe laudatus Tullius teſtatur, cui concinit Marius Aretius. (*a*) *Erat,* ſcribens, *in hac urbe Sacrarium Cereris olim eadem religione, quà propè in toto terrarum orbe.* Illud denique memorabile, quod clariſſimus Vir Franciſcus Blanditius in m. ſ. opuſculo de Patria S. Agathæ ex ejuſdem Tullii verbis colligit: A Catanenſibus nempè Cerealia feſta fortaſsè originem duxiſſe, de quibus Ovidius lib. I. Faſt: ac Diodorus lib. v. Bibl: Hiſt: à Carrera relatus.

(*a*) *In deſcript. Siciliæ.*

Maximam celebre hoc Templum paſſum ruinam lego S. Leonis Catanenſis Pontificis, cognomento Magni orationibus. Quum enim Chriſtianis Cereris ſacra offendiculo eſſent, avitamque religionem mordicus Paganorum reliqui aſſererent, Præſul ſanctiſſimus *fidei clypeo,* ut Acta habent, (*b*) *armatus ad Fanum intrepidus acceſſit, ſactaque oratione in quatuor ſciſſum eſt partes; Simulacra vero in fruſtra contrita ſunt minutiſſima:* Ut in ejuſdem Sancti vita fuſius diximus. Hinc Turris proxima urbis mœnibus adhærens, cujus etiam rudera ſuperſunt, ab *Epiſcopo* appellatur, quod ſcilicet in ea, aut propè Sanctus Pontifex orando præſentem opem Divinam habuerit, atque ædem Dæmonum cultu celebrem, proſtraverit. De Cerere, ejuſque fabulis Nos alibi diximus in Ævo Poetico.

(*b*) *Apud Cajet. T. 2. SS. Sic.*

IV. VUL-

IV. VULCANI DELUBRUM, AC LUCUS.

Templum in Ætna monte Vulcano ſacrum fuiſſe Author eſt Ælianus (a) ab Catanenſibus dubio procul, veterum more, longiùs ab urbe erectum, ut cautum ædificiis ab igne eſſet, qui perpetuus ibi, atque ineſtinctus perſeverabat. Plura autem de eo, ac prorſus mira ab laudato Æliano referuntur his verbis: *In Ætna Siciliæ monte ſacra eſt Vulcani Ædes, & circa eam muri, & arbores ſacræ. Ibidem ignis perpetuus, & ineſtinctus aſſervatur. Sunt & Canes in Templo, Lucoque ſacri, qui modeſtè, & decenter in Templum accedentes blandè, & adulantes excipiunt, & tamquam familiaribus benignè ſe illis oſtendunt. At ſi quis ſceleratus, aut manibus impurus, adeat, illum & mordent, & laniant; illos verò, qui libidine aliqua turpi ſe contaminarint, fugant ſolùm, & perſequuntur.* Ejuſdem Vulcani in eo Templo ſacra erant, *Vulcanaria* appellata, è quibus ſceleſti, pollutique voce Sacerdotis ſubmovebantur, ut Gratius canit in Cynegetico (b)

Emicat ipſe manu ramum pallente Sacerdos,
Termiteum quatiens, procul hinc extorribus ire
Edico præſente Deo, præſentibus aris.
Queis ſcelus, aut manibus ſumptum, aut in
pectore motum eſt
Inclamat.

Meminit Templi ejuſdem Pindari Scholiaſtes in Nemeſi; Tulliuſque lib. de Natura Deorum Ætnam montem Vulcano fuiſſe ſacrum teſtatur. Vulcani Ætnæi Templum ſuperſtitioſo ritu curandi pecudis inſigne, ſpiſſa conditum ſilva, unde religio augebatur, memorat etiam Thomas de Angelo noviſſimus Annalium Eccleſiæ Siculæ Scriptor

(a) *De Animal. lib. 11. cap. 3.*

(b) *Apud Cajet. Iſagog. cap. 4.*

ptor (*a*) Situm credunt Fazellus, & Cluverius non longè à ſummo vertice, ubi nunc rudera, ac lateritium vetuſtiſſimi fornicis extant, quæ vulgò *Turris Philoſophi* nomen habent, & ad Empedoclis ſepulchrum ſpectaſſe creduntur. Verùm nec ignem ibi perpetuum, nec lucos, arboreſque ali poſſe, minus mortalem vivere, brumali præſertim tempore, ob nivium ingentem vim, abundè conſtat. Hinc Carreræ conjecturæ ſtandum cenſeo, hanc Vulcani ædem in pede montis, commodiori ſcilicet in loco, ſilvæ excolendæ, atque adeuntibus religionis ergo aptiori ſtatuentis. Carreram ſequitur Groſſus; utroſque autem præceſſiſſe videtur *Continuatæ Argenidis* Author (*b*) *Ipſi ſimul profecti ſunt ad Templum, quod in pede montis illius Ætnæ exædificatum, magna adiri ſolebat religione. Erat autem hoc non alii Divo, quam Vulcano ſacrum, ut & univerſus mons vicinus. Ipſam ædem cogebat lucus denſus, ſacer, ac inviolabilis ferro.*

(*a*) *Prolegomenum.* 5.

(*b*) *Lib.* 3. *cap.* 1.

V. JOVIS ARÆ, AC TEMPLUM.

Jovi Ætnæo poſitas Aras per univerſam Siciliæ inſulam Diodorus tradit. Hinc facilè quiſque colligat, qua vetuſtate, quave religione, qua demum celebritate maximi hujus penes Antiquos numinis præfulſerit Fanum ab Catanenſibus in ipſa Ætna excitatum. Jovis Ætnæi celebrè apud Pindarum, ejuſque Interpretem in Olympiacis, & Nemæis nomen; hinc Cajetanus in Iſagoge (*c*) *Catanenſibus*, ait, *Jupiter Ætnæus, cujus Templum in Ætna Interpres Pindari in Nemæis memorat*. Sed ipſum audiamus Poetam (*d*) *O Saturni fili, qui Ætnam habitas, onus ventoſum concipis Typhonis validi, de Olympica victoria, accipe gratiarum cauſsâ hunc chorealem hymnum*.

(*c*) *Cap.* 4.

(*d*) *In Olymp. Olymp.* 4.

Et Olymp. VI. *Rubripedem colit Cererem, & albos equos habentis filiæ faſtum, & Jovis Ætnæi imperium*. Denique in Nemeis ode prima: *Reſpiramen venerandi Alphei inclytum Syracuſarum germen O Ortygia, cubile Dianæ, Deli ſoror, à te ſuaviloquus hymnus aggreditur ponere laudem procellipedum magnam equorum, Jovis Ætnæi gratiâ*.

Templi ſitus omnino incertus; ſed quanta ejus eſſet religio ex Diodoro diſcimus, ait enim (a) *Senatus iram Deorum veritus, conſultis libris Sybillinis, legatos ex collegio decemvirali in Siciliam mittendos cenſuit. Hi univerſam Siciliam obeuntes, Aras Jovi Ætnæo poſitas certis cæremoniis, & ſacrificiis conſecrarunt, additaque macerie interclſerunt, præterquam iis, qui ex ſingulis civitatibus patria ſacra, more majorum, ad eas Aras factitare ſolebant*. Legationem hanc anno ante Chriſtum natum CXL. ſæpius laudatus Carrera conſignat. (b)

(a) Lib. 34. ex Valeſii Interpretat.

(b) Lib. 1. Cat. Hiſt. cap. 21.

VI. PIORUM FRATRUM AMPHINOMI, ET ANAPIÆ TEMPLUM, STATUÆ, CAMPUS, SEPULCHRUM.

Memorandum Piorum Fratrum facinus, quod libro primo hujus Hiſtoriæ ex Pauſania in Phocicis deſcripſimus, elegantiſſimo expreſſit Epigrammate Claudianus, ubi delatos piis Fratribus honores, dicatumque ab Siculis Templum innuit hiſce verbis.

Aſpice ſudantes venerando pondere fratres
Divino meritos ſemper honore coli.

Et paullo poſt de Templo ſingillatim:

Cur non Amphinomo, cur non tibi fortis Anapi
Æternum Siculus Templa dicabit honos?
Plura licet ſummæ dederit Trinacria laudi

Nove-

Noverit, hoc majus ſe genuiſſe nihil.
Ne doleat damnis, quæ devius intulit ardor,
Ne gemat exuſtas igne furente domos;
Non potuit Pietas flamma ceſſante probari
Emptum eſt ingenti clade perenne decus.

Quos autem intelligat ſingillatim Poeta *Siculorum* nomine, facile captu eſt, Catanenſes videlicet, apud quos eorumdem *Piorum* Statuæ, Campus, Sepulchrum. Ex his porrò Claudiani verbis colligit Carrera, ejuſdem Poetæ tempore Piorum Templum minimè extitiſſe; quod non inficior; effloruit enim ille Honorii Auguſti ævo, quando extirpata ſuperſtitione uni Deo univerſa Sicilia ſacra. Verùmenimverò neutiquam contendere Poetam arbitror, delubrum Piis Fratribus fuiſſe dicatum, immo Siculos commendare, quod aliorum exemplo, Piis ſacra decernendo, nihil novi moliti fuerint. Cæterum *Statuas* graphicè à Claudiano in laudato carmine effictas Cluverius teſtatur (*a*) En illius verba:

Nonne vides ut ſæva, Senex, incendia monſtret
Ut trepido Genitrix invocat ore Deos?
Erexit formido comam, perque omne metallum
Fuſus in attonito palluit ore color.

Deinde unius vultum referre Patrem, alterius verò longævam Matrem ſcribit, ſubdens:

Hæc quoque prætcriens oculis nè fortè relinquas,
Artificis tacitæ, quod meruere manus.
Nam conſanguineos eadem cum forma figuret,
Hic propior Matri, ſit tamen ille Patri.
Diſſimiles annos ſolertia temperat artis,
Alter in alterius redditur ore Parens.
Et nova Germanis paribus diſcrimina præbens,
Diviſit vultus cum pietate Faber.

Conſtat porrò ex his ære fuſas fuiſſe Statuas. A-

(a) Lib. 1. cap. 8.

lias è marmore penes Romanum Equitem in villa ſecus viam, qua Viterbio Romam itur, aſſervari cum Epigraphe: *Amphinomos*, *&* *Anapias* teſtatur Archangelus (*a*) eaſque olim è Catanenſi Piorum Campo ſublatas levi prorſus fundamento conjectatur Carrera (*b*)

(*a*) Lib. 3. cap. 3. Hiſt. Cat.

(*b*) Lib. 1. cap. 20.

Jamverò circa locum, ubi *Campus*, diſſident noſtri à Cluverio; hìc enim ab ea urbis parte, quæ ad Leontinos ducit, ſitum adſtruit: *Nam cætera*, ait, *in Occidentem, Septentrioneſque vergentia, montuoſa ſunt, & tunc ingentibus ſaxis, quæ Aetna eructabat, oppleta*. Verū ſi fluvius igneus in urbem devolvebatur, ut ſcribit Pauſanias, Cāpus inter urbē & montē eſſe oportuit, & circa ipſū arentiū veſtigia lapidū extare. Cōſtat autē loco ab Cluverio deſignato utramq: conditionem aptari neutiquam poſſe. Quòd etſi montuoſa, ſaxiſque oppleta, quę ad occidentem, ac ſeptentrionem verguntur, campis attamen, planiſque locis minimè deſtitui, ſæpiſſimæ hinc inde ſeſe extendentes vineę, ac longè, & latè patentes terræ ad culturam aptiſſimę, atque ab incendiis immunes, clariſſimè oſtendunt. Hinc congruentiùs poſt Archangelum Carrera, & Groſſus ſub Cereris colle ad Aquilonem, quem hodiè à *S. Sophia* appellant, mille, ac quincentos circiter paſſus ab urbe Piorum ſtatuunt Campum, ubi Statuæ in perennem rei memoriam locatæ. Continuatæ Argenidis Author Columnæ etiam meminit cum Epigraphe: *Catanenſes profecto ad indelebilem tam egregii facinoris memoriam in honorem horum Fratrum Columnam marmoream erexerunt, cui hoc Filiorum factum, uti acciderat, inſculptum poſteris ſalubris admonitionis locum præſtaret. Additus etiam ipſi loco honos, in quo columna ſuſcitata fuerat, ut Campus pietatis appellaretur.* An

An ſteterit ibi etiam *Piorum Sepulchrum* anceps ſum animi. Solinus id citra dubium omne affirmat ſcribens (*a*) *Horum Fratrum memoriam ita poſteritas munerata eſt, ut Sepulchri locus nominaretur Campus Piorum*. Fazellus monumenti regia magnificentia extructi meminit; ſed ubinam illud fuerit ſitum diſſimulat (*b*) Philotheus denique in Topographia Ætnæ hæc de Sepulchro ſcribit: *Hoc namque Sepulchrum Piorum plerique putant hucuſque extare Catanę, aut veſtigia ſaltem extra Steſichori Portam in hortis quibuſdam ad Aquilonem, ubi Steſichori lepidiſſimi Poetæ Himerenſis erectum quoque Phalaridis ſuaſione fuit Sepulchrum*. In eodem denique Campo, aut propè, loco ſuperiùs deſignato, ſub Cereris colle, Templi veſtigia extare ex laudato Archangelo tradit Carrera. De exigua, ac peregrina molis forma nihilominus ſubdubitans, promere id certo certius non audet. Sanè propè viam, quæ ad proximum ducit Gravinæ vicum, ſub eodem colle fornices videntur, ac tholus, qui Saracenorum potius exhibent delubrum, aut longè recentius ædificium. Stetiſſe porro ad hanc uſque ætatem tantillam ædem vix crediderim.

(*a*) Lib. 1. cap. 11

(*b*) Dec. 1. lib. 3. cap. 1.

VII. PALICORUM TEMPLUM, CRATERES, STATUAE.

Palicos Deos coluiſſe Catanenſes, duos nempè Crateres ſubſilientes in Naftiæ lacu ſub Menarum colle teſtantur Cajetanus, (*c*) & Thomas de Angelo (*d*) Illos Adrani filios effinxit Heſichius; Æſchilus Jovis, ex Thalia Vulcani filia; Silenus ex Aetna Oceani filia. Adranus porro, Aetna, ac Thalia propiùs Catanam ſpectant, ejuſque fines. Palicorum aliunde Crateres, & Ara in Agro Catanenſi; hinc illud Virgilii (*e*) *Symethia circum* Flu-

(*c*) Iſag. cap. 3.

(*d*) Prolegom. n. 5.

(*e*) Æneid. lib. 8

Flumina, pinguis, ubi & placabilis Ara Palici Palicorum fabulam ex Macrobio ſuo loco dedimus lib. primo cap. primo num. IX. de illorum Templo hæc idem Author ſubdit (a) *Nec ſine divinatione eſt Palicorum Templum; nam cum Siciliam ſterilis annus areſeciſſet, divino Palicorum reſponſo admoniti Siculi Eroi cuidam certum ſacrificium celebraverunt, & revertit ubertas. Quæ gratia Siculi omne genus frugum congeſſerunt in Aram Palicorum, ex qua ubertate Ara ipſa pinguis vocata eſt.* Proſequitur ex Palemone Siculo Scriptore *lib. de Admirab. Siciliæ fluminibus* ritus enarrare jusjurandum in eo Templo exigentium illis verbis: *Cæterum Jusjurandum hic eſt Siculis maximum, quo ſe purgant, qui aliquo crimine accuſantur. Qui id Jusjurandum exigunt, tabellam tenentes, prædicunt juraturis, de quibus rebus Jusjurandum exacturi ſunt. Qui jurat ramum vibrans, ſertoque redimitus, & discinctus, ſimplicique tunica indutus, ac manu contingens craterem verba prœeuntis ſequens Jusjurandum peragit. Quod ſi verè, ac bona fide in prædicta verba juret, illæſus, atque incolumis domum diſcedit; Sin verò pejeret, antè ipſos Deos expirat. Quum autem hæc fiunt, fidei juſſores dant, qui Sacerdotibus ſolvant expiationem, ſi quid novi eveniat piaculo obnoxiis.* Hæc Palemon apud Macrobium.

(a) *Saturnali lib. 5. cap. 19.*

Servius in laudato Virgilii loco de Palicis diſſerens: *Hi primo*, ait, *humanis hoſtiis placabantur; poſtea quibusdam ſacris mitigati ſunt, & eorum immutata ſacrificia. Ideo ergo Placabilis ara.* Sacrorum immutatio ab Hercule facta, quem humanas hoſtias in Italia, & Sicilia ſubſtuliſſe ex Dionyſio Alicarn: (b) ſatis conſtat, ut

(b) *Lib. 1. Hiſt.*

Caje-

Cajetanus advertit. Peculiaria ab Stephano in Epitom: & Diodoro de Lacu, Templo, & Jurisjurandi ritu etiam memorantur, quorum hìc referre verba non gravabor: *Eſt autem fons quidam*, inquit Stephanus, *apud Palicos in Sicilia amplitudine decalinus. Is aquam ejicit ad altitudinem ſex cubitorum tantâ copiâ, uti ſpectantes putent campum eum omnem inundaturum, ac rurſum in ſeſe redit. Eſt ibidem & ſanctum Jusjurandum; quidpe is, qui jurat, ea quæ jurat tabellæ inſcripta in aquam immittit. Quod ſi bona fide juret tabella innatat; ſinvèro pejeret, ſubmergitur, atque evaneſcit, ipſe autem comburitur.* Diodorus verò poſtquam ſcripſiſſet Ducetium Siculorum Principem propè Palicorum fanum urbem extruxiſſe Diis cognominem, quæ hodiè creditur *Paliconia*, ſubdit: (a) *Fanum igitur hoc cum antiquitate tum religioſa veneratione, quod multa in eo rara, & ſtupenda eveniant, cæteris omnibus longè anteire tradunt. Ac primum Crateres illic exiſtunt amplitudine quidem haud perinde vaſti, cæterum, qui è profunditate inenarrabili ſcintillas ingentes eructant, lebetum naturam referentes vi ignea æſtuantium, unde fervens aqua ebullit.* Et poſt pauca ſubdit: *Aqua tamen ſulphuris odorem exuberantis refert, & vorago rugitum ingentem, atque horrendum emittit.* Denique concludit: *Cum itaque tam divina fanum iſtud majeſtas obtineat, ſanctiſſima illic juramenta præſtantur, & repentina Numinis vindicta pejerantibus incumbit. Nonnulli enim oculis capti delubro excedunt. Ingens igitur religio efficit, ut arduis intricati negotiis, quando ſuperioris potentiæ injuria premuntur, juris tandem jurandi religione interpoſita, exitum cauſæ inveniant.*

(a) Lib. 11. Bibl. Hiſt.

De

... De inviolato porro Aſylo loquens ait: *Preterea Fanum hoc, quod aliquod jam tempus inviolatiſſimum eſt aſylum, quod ſervis ærumna aliqua oppreſſis, Dominoſque inclementes nactis, plurimis auxilii præbet. Etenim, qui illuc confugerint, eos per vim Dominis abducere haud licet; ſed inviolati illic permanent, donec per benevolos Domini arbitros perſuaſi, fide ſecuritatis juramento firmata, illis reconcilientur. Nec ullus memoriæ proditus reperitur, qui datã ſervis fidẽ violarit; adeo Deorũ metus jurata ſervis fideliter ſervare Dominos cogit. Ceterò ſitum hoc Templum eſt in campo lætiſſimo, ac Deorum majeſtate maximè digno, porticibus, atque aliis diverſoriis magnificè exornatum.* Hactenus Diodorus. Ariſtoteles prorſus ſimilia habet de lacu, & ritu Jurisjurandi lib. de Admir: Sed juvat Fazellum recentioris ævi ſcriptorem de hoc ipſo lacu, & Templo audire: {*a*} *Lacus inter Menęum oppidum, & hoſpitium Gutterrę non magni ambitus, ad radices cujuſdam collis paulo infra Symethi capita* (*) *adhuc extat Naphtia ætate mea vulgò appellatus, qui aſſiduam ſcaturiginem turbulentarum, ac penè ſulphurearum aquarum tribus in medio crateribus ad tres circiter cubitus in altum rejectans, non aliter quam ſubjectis ignibus ebullit olla, cujus aquę ad perpendiculum cadentes numquam effluunt.* De Templo autem paullo poſt ait: *Extant hodiè Templi ipſius magna circum locum, & ea pro majori parte obruta monumenta; lacus autem ipſe ad angulũ planitiei eſt circa collis radices, ac mali odoris ambitus paſsuum non minus centum .... Ætate mea*

(*a*) Dec. 1. lib. 3. cap. 2.

(*) De hac Fazelli opinione, circa Symethi capita, videnda, quæ diximus in *Apparatu* de Catanæ Agro, ejuſq; fluminibus.

mea, cum aliquando Sicilia ſiccitate laboraret, ſtagnum hoc prorſus exaruit, è cujus tamen crateribus, ventis ſolummodo furentibus, pulvis tantùm efflabatur. Id etiam æſtivo præſertim tempore quandoque obſervatur, ut ab incolis accepi. Hodie lacus extat, & profundiſſimus, ſed aquarum graveolentia fermè nulla.

Hæc fuſius pertractata quiſpiam fortè cauſabitur, magis enim propriè ad Menas, ac Leontinos ſpectare videntur; Verùm, quo pacto res etiam noſtras tangant, ſub ipſo ſtatim initio admonui. Cæterum Joannis Boccacii verba ſubtexere ad idem firmandum non erit incongruum. *Cur autem Jovis dicti ſint Filii Palici, & abſorta ſit Mater, talem reddit rationem Theodontius. Dicit autem, haud longè à Panormo non ignobilem fuiſſe ſcrobem.* (Hìc etiam Panormi nomine opidulum intelligit quatuor millibus ab urbe Catana diſſitum ad Aquilonem, vulgò *Galermo*. Panormus enim urbs Siciliæ celebris millibus fermè CL. minimùm Ætnâ abeſt) *loco, qui dicebatur Thalia, in qua omnis aqua, quæ à plaga illa montis Ætnæi ob imbrem cadebat, mergebatur. Et quidquid tunc fuiſſet in cavernam dejectum non multo poſt in lacus, ſeu fontes Palicorum ebullientes videbatur emergi; per quod apparebat imbrem, quem Jovis, ideſt aeris opere natum volunt, eo in loco ſub terras condi, & demum apud lacus Palicorum iterùm naſci, & ſic à Jove nati Palici.*

Colligit hinc eruditiſſimus Franciſcus Blanditius Soc. Jeſu m. ſ. opuſculo de Patria S. Agathæ (*a*) Crateres Palicorum ad Catanenſem ſpectare regionem, non ſecus ac Panormum, vulgò *Galermo*, ac Thaliam ſcrobem. Quamvis autem, ubi hæc ſita ſit, ſibi non ſatis liquere ingenuè fatea-

(*a*) *Lib. 1. cap. 30*

fateatur, ſubdit tamen. *Juvat hic mentis meæ ſuſpicionem detegere, ubinam Thaliæ Scrobem ſuiſſe opinor, inclinatque animus ad Scrobem cavernę ingentis, ac profundę, ſuper quam ædes S. Joannis à Galermo ſita eſt; vel ad Scrobem Vallis currentis, ad quam ex Ætna varii bituminoſorum imbrium rivuli, colore ferrugineo, ſapore acido, odore tetro defluebant, miſcebanturque; ubi paucis antè annis magnus ſtagnabat lacus, anguium, hydrarumque peſtilens vivarium; ad quam malorum Lernam abolendam quidam vir ingenioſus, quaſi novus Hercules, gratus accolis, ita induſtriâ inſudavit, ut ſalubres aquas à peſtilentibus ſecreverit; atque has inter Ætnæa ſaxa, & glareoſas pumices abſorbendas curarit; illas verò ad hortos irriguos excolendos derivarit. Quâ de cauſa noſtra tempeſtate Palicorum lacus, nè hybernis quidem menſibus magnas vomit aquarum moles, ut docebat olim Ariſtoteles lib. de Adm. neque æſtivis aliud niſi pulverem eructat.*

Illud autem hic minimè diſſimulandum; Non deeſſe ſcilicet, qui Palicos propè Paternionis Opidum intra Catanenſem regionem ſtatuant, ut alibi dixiſſe memini. Extant enim ibidem crateres Naphtiæ fontibus fermè ſimiles, ebullientes, ac ſulphureas aquas, quæ in crateres reſiliunt, eructantes, circa Symethi fluvium. Primus, quod ſciam, hanc vulgavit opinionem Clar: Franciſcus Honoratus Columna in Hiſt: Compendio Opidi Paternionls m. ſ. lib. 3. cap. 2. validiſque conjecturis fulſit, quarum firmior illa: Omnibus nempè priſcis Scriptoribus, Poetiſque Palicorum fontes juxta Symethum ſtatui prope Catanam, Virgilio, Pomponio, ac Solino vel maximè qui ait: *Supra Catanā, & Centuripas Symethus flu-*

vius

vius eſt Siciliæ, propè eſt fabula Palicorum. Inter Centuripas verò urbemque Catanam Symethus, atque Paternionenſes Crateres, minimè verò Naphtiæ lacus, qui cum Catanâ, tum Symetho fluvio longè abeſt. Palicos aliunde Adrani filios nonnullis dici ſuperius monui. Adranus porro noſtris hiſce crateribus, quam Naphtiæ proximior; ab illis enim ſex fermè paſſuum millibus, ab hac penè triginta diſſidet. Atque hinc in errorem lapſos veteres haud dicendum, dum Symethò Naphtiam adjacentem autumantur; minuſque cum Fazello flumen à S. Paulo olim appellatum, hodiè proximis immixtum, ac penè deperditum, ad cujus fontes Naphtia, cum Symetho vulgò *Jarretta* confundendum; id enim à vero omninò alienum, ut alibi fatiùs oſtendi. Utut ſit, communis alioqui de Naphtiæ Palicibus opinio ſuâ excidit certitudine.

Palicorum ſtatuas Archangeli ætate propè Lunare Emporium Catanæ inventas ex laudato Carrera diſcimus, (*a*) quæ Fabritio Brancifortio Buteræ Principi poſtea ceſſerunt. Ibidemloci Caſtoris, & Pollucis Templum marmoreis contectum tabellis ſitum Laurentius Bolanus teſtatur; cujus extare veſtigia idem Carrera ſcribit. An Simulacra illa Brancifortio donata Caſtorem, & Pollucem ſeſe invicem complectentes, qui etiam Palici ex Varrone, & Servio, teſte Cluverio, (*b*) dicuntur, exprimebant, ac in eodem Templo Catanæ colebantur? Id enim innuere videntur Templi veſtigia, ac Statuæ eodem in loco Archangeli, & Bolani ævo detectæ.

(*a*) *Lib. 1. cap. 29*

(*b*) *Lib. 2. cap. 9.*

VIII. BACCHI DELUBRUM.

Thermas Catanæ celebres, ex ruderibus Templo maximo ſubſtructis, quæ adhuc extant, arguimus. His Bacchi Templum adhæſiſſe à Veteribus traditum, ut gentici Scriptores produnt. *Bacchi Templum*, ait Bolanus, *primis Thermis ſuperſtetiſſe veteri quadam relatione, ex vocis teſtimonio didici. Cætera penitus diruta nihil nobis objiciunt. Rotundum extat domibus circumdatum prope portam Macellariam hodie Doliariam viſu non indignum.* Bacchi cultus apud noſtros antiquiſſimus, quum ſcilicet Chalcidenſes deductâ Coloniâ Catanam auxerunt. Hinc Avercampus alibi libro primo laudatus: *Catana*, inquit, *Colonia Chalcidenſium ex Naxo profectorum Patrium ſacrorum ritum in novas deduxit ſedes, cultum videlicet Bacchi, quem lætitiæ datorem quum in fœcundiſſimo Siciliæ ſolo uberrimè nova Civitas experiretur, tanto magis in honore habere perſeveravit, atque per omnia fortunę ſuę tempora, numiſmatis non minus, quam aliis honorum generibus condecoravit.* Xenodotus apud Athenæum ejuſdem falſi numinis venerationem frequentiſſimam in tota Siciliæ Inſula tradit, à Chalcidenſibus dubio procul inductam, penes quos Liberi Patris, ſeu Bacchi religio celeberrima. Sub *Archagetę* nomine primos Naxios Baccho Melichio ſtatuam dedicaſſe Appianus etiam teſtatur. (a) *Cęſar ad Archagetam appulit, Deum precatus, oppugnaturus Tauromenium. Eſt autem Archageta parva Statua, quam primi dedicarunt Naxii Baccho Melichio, quia mortalibus ficum dederit.* Nonnus denique antiquiſſimus, ac gravis Poeta Catanenſes inter adſcitos ab Ariſtæo ſocios in celebri Bacchi adverſus Indos expeditione memorat.

(a) *Belli Civil. lib. 5.*

morat. En verba illius apud Carreram. (*a*) (*a*) *Lib.1, cap.12*

Quique Palicorum,

Solum circumpaſcebant, & qui Catanam apud Limnam.

Vicinam Sirenibus urbem habitabant.

Thermas porrò ipſas Baccho ſacras fuiſſe Catanæ nedum communis fert Authorum opinio, ſed & fornices uvæ racemis opere plaſtico effictis ornati, ætate noſtra detecti ſatis innunt.

IX. DEI FIDII TEMPLUM, AC TABULA.

Anno Salutis 1554. *menſe Majo* verba Fazelli damus (*b*) *apud Catanam in fodiendo littore apud Portum cognomento Saracenum in tabula marmorea quadripedali Fidius apud Græcos Trinomius, veteris ſuperſtitionis Deus, tribus bis nominibus appellatus Semipater, Fidius, & Sanctus, & bis aliis Honor, Veritas, & Amor ſub tribus imaginibus ſculptus, fuit repertus. Honor ſcilicet, & Veritas manus dexteras jungentes, ille aperto capite, hæc pallio velata, & Amor medius adoleſcens utrumque complectens. Fidius hic marmoreus* (*c*) *Panormum poſtea aſportatus in ædibus Alphonſi Roys Protonotarii, & totius antiquitatis ſtudioſiſſimi maxima cum voluptate ab Eruditis hodie cernitur.*

(*b*) *Dec.1.l.3.c.1.*

(*c*) *In Append. 2. Edition.*

Extabant porrò propè locum, ubi Tabula effoſſa, Turris, ſeu Templum triangularis formæ, quod Joannis Veghæ Siciliæ Proregis juſſu ad opus conſtruendi urbis mœnia ſolo æquatum; Ejuſdem verò rudera ingentia, ut ſcribit Archangelus (*d*) in mari proximo videbantur. Groſſus id Templum in regione ab arcuatis aquæductibus, vulgò *dell' Arcora* appellata, ſitum ad occidentalem urbis plagam fuiſſe tradit (*e*) ſed fallitur; Portus enim

(*d*) *Hiſt. Catan. lib. 3. cap. 4.*

(*e*) *In Dec. Cat. Cor.2. Mod.1*

enim Saracenus meridionalem ſpectabat oram. Tabulę archetypum exhibet idem Author, ac Templi etiam exemplar, ſed hoc triangulari formæ minimè reſpondet. Mirari hinc ſubit Georgium Gualtherium ex antiquis Siciliæ tabulis hanc Catanenſis Fidii, levitate planè, ac invidiâ ductum eliminaſſe, quum ſeſe teſtem oculatum omni exceptione majorem Fazellus prodiderit, atq: in Theatro urbium illuſtrium ejuſdem cenſionem Georgius Braunius ſuo calculo firmaverit. Quod autem Gualtherii ætate Panormi Tabula minimè extaret, nec mirum, neque novum. Complures ab ipſomet Gualtherio olim obſervatas, atque illuſtratas, vel caſu, vel incuria nunc periiſſe dolemus, nec illas idcircò veluti apocryphas rejicimus.

Cæterum Fidius ex Plauto *in Aſinaria* Deus erat, qui fidei præeſſet, per quem jurare ſolebant dicentes: *Medius Fidius*. Dicitur à nonnullis Semicaper, Fidius, & Sancus; Sangus, quoque & Semon in antiquis Inſcriptionibus, ut Carolus Neapolis (*a*) obſervat. Joſepho Scaligero demum Semocaper appellatur. Fidius præcipuè cultus à Sabinis, qui, teſte Auguſtino (*b*) primum Regem ſuum Sanctum, ſeù Sancum retulerunt in Deos. A Sabinis accepere Romani, penes quos dies ejus feſtus celebris nonis Juniis. Hinc non abſimile Simulacrum Romæ extitiſſe Author Additionum ad Pierii Valeriani opus prodit, ſcribens: *Præſtantiſſimum erat Romæ in antiquo marmore Fidii Simulacrum ſic expreſſum: Vir eſt imberbis, quidem, ſed tamen maturam pręſeferens ætatem, cui adjectum eſt nomen Honor; Hic Veritati, quæ Virginis forma eſt, porrigit manum, prenditque; in medio autem eſt Amor pue-*

(*a*) Com. ad Ov. Faſt.

(*b*) Civ. Dei l. 18.

pueriliætate, quod tria hæc ſint, quibus fides nititur, quæque illam inviolatam conſervant.

X. PANTHEON.

Unica tot ruinis ſuperſtes, ac noſtris adhuc diebus integra moles Pantheon, Sacrum nempè Diis omnibus fanum poſt S. Auguſtini Cœnobium ad Urbis aquilonarem plagam exurgit. De illo Bolanus: *Vetuſtiſſimam ædem Rotundam hodie ſemper Virgini dicatam poſt divi Auguſtini ad aquilonem in Pantheum Catana poſſedit; quod non columnarum, & ſtructuræ majeſtate Romanum, ſed figura imitabatur*. Quem injuriâ arguit Carrera, (*a*) quod de Templi ornatu ea ſcripſerit, ejus quippe ævo nudum etiam omnino, ut hodie, ornamenti alicujus ſignum exhibebat nullum. Frigida quoque ejuſdem Authoris conjectura, qua Tholi partem ævi recentioris opus eſſe contendit, quum univerſa moles eamdem preſeferat vetuſtatem. (a) To.1.l.1.c.7.

Templi veſtigium, internumque proſpectum, Archangelus adamuſſim delineavit; patet enim area in longitudinem, & latitudinem palmos LXII. Abſideſque hinc inde ſex XIV. palmorum ambitum habent; quarum duæ valvis hodie occupantur, & ab occaſu, & meridie ingreſſum prebent, reliquæ inanibus olim Diis ſacræ, nunc Chriſtiano ritu Beatæ Virgini, Diviſque Tutelaribus dicatæ. Priſco Urbis ſolo novis aggeribus ex tot ruinis aucto, Templi pars interior pene ad altitudinem quadripedalem obruitur, hinc brevi deſcenſu in eam aditus patet. Pre foribus ad Meridiem hæc extat Inſcriptio.

Quod inanium Deorum omnium venerationi ſuperſtitioſa Catanenſium erexerat Pietas, idem, profligato ementitæ Religionis errore, ipſis naſcentis

tis fidei exordiis D. Petrus Apoſtolorum Princeps Anno Gratiæ XLIV. *Claudii Imperatoris* XI. *D. O. M. ejuſque Genitrici in terris adhuc agenti ſacravit Pantheon.*

Reſpondet Epigramma veteri, ac communi apud Catanenſes traditioni, qua credunt S. Petrum in prima, vel ſecunda Romana profectione in Siciliam advectum Urbem noſtram ſua prędicatione, ac præſentia illuſtriorem reddidiſſe, profanumque Pantheon, quod deſcribimus Uni Deo, ac Virgini Deiparę dicaſſe. Traditionem hanc alibi firmandam ſuſcepi.

XI. CYBELES, & ONGIÆ TEMPLA.

Cybeli Deorum Matri Fanum à Catanenſibus poſitum, dicatamque Statuam eo in loco, qui nunc vulgo *Ciſale*, atque olim *Cibale* dicebatur, ad mille circiter paſſus ab Urbe adſtruunt Scriptores noſtri Archangelus, Carrera, & Groſſus, è cujus ruderibus ibidem extantibus molis univerſę integrum pene veſtigium eruerunt. Concidiſſe id Templum ex ingenti terręmotu anno ante Chriſtum natum CXX. tradit Carrera, qui eximii Cybeles Simulacri in Urbem à L. Metello aſportati meminit. Viſitur hodie fornicis pars ex Ætnæo lapide, ac teſſellati pavimenti reliquię ruſticis agri cultoribus quotidie occurrunt, cujus fruſtulum in noſtro S. Nicolai Muſeolo aſſervamus.

Eidem Magnæ Matri, Ideæ Matri, Diis Matribus. (His enim nominibus Cybele Antiquis etiam nuncupata) in Engyo dicatum celebre Fanum memorant Hiſtorici, atque in primis Diodorus. (*a*) Engyum, ubi nunc Ongia, vulgo *Lognina*, atque olim Ulyſſis Portus, ſitum credit Fazellus; cujus opinioni jure merito refragatur Carrera, Engyum in mediterraneis ex Diodori

(*a*) *Lib.* 4. & 5.

ri monte ſtatuens; quamvis alii ad Emporium *Agniuni* in Catanenſi ſinu ſtetiſſe affirment, ut alibi dictum. Ongiam nihilominus Catanæ proximam Engyum olim appellatam idem Carrera dicit, ibique aliud Magnæ Matris, ſeù Cybeles Templum locatum celebri illi Engyno cognomen, ex Epigraphe à Blundo allata, ejuſdemque ætate inventa colligit, cujus hæc erat interpretatio.

Diæ Ongiæ, Saturniæ, Ætnææ, Deorum Matri, Filiæ, Uxori, in Portu Sepulchrum, Templum, & Arcem Acis Fauni Filius, Pici Nepos, Saturni Pronepos, Latini Frater.

Ongia enim hìc æquè, ac Cybele Deorum Mater nuncupatur; & forte Siculis Cybele Engya appellata ob Templum in Engyo, ſicut Berecyntia à Berecynto Caſtello, Idęa ab Ida Phrigiæ, ſeù Cretæ monte, ubi præcipuo honore culta, ac Cybele à Cybalo Opido. Oncam quoque dici Cybelem Seldenus de Diis Syris affirmat, unde deductum Ongiæ nomen; Et Nonnus Panopolita Dionyſ. XIV. apud eumdem Seldenum Minervam Oncam appellat. Quæ ſanè, ut inter apocryphas minimè recenſeatur hæc Ongiæ Inſcriptio, anſam quodammodo præbent. Cæterum inter Catanenſes complures eſſe numos Cybeles figura obſignatos Carrera contendit, atque hinc Urbem noſtram ejuſdem cultui præcipuè addictam non incongruè arguit.

XII. PLUTONIS, HERCULIS, MARTIS, ET EUSCULAPII DELUBRA.

In agro Catanenſi ſub Aetna monte abreptam à Plutone Proſerpinam tradit Claudianus, ut alibi diximus. Geſtum id facinus deſignant noſtri ſub amœniſſimo Cereris colle hodie à S. Sophia; Antrumque Aquilonem verſus hians, un-

de viam ſibi Dis aperuit, oſtendunt; juxta quod Templum, ac Lucum eidem numini ſacrum ſtatuunt, Petro Blundo etiam memoratum apud Carreram, & Archangelum, qui delubri typum ex ruderibus ſummâ induſtriâ erutum profert, ab Joan: Bapt: Groſſo editum.

Herculem, cui ob ſublatas humanas victimas, ac impia deleta ſacrificia maximè apud Palicos, Sicilia, atque in primis Catana debet plurimum, Templum in eadem Urbe obtinuiſſe noſtros latuit Scriptores, paucisque ab hinc annis innotuit, quum è conſpectu ampliſſimi Collegii Societatis Jeſu fundamenta domus à Viro Patricio Aſcanio Ricciolo effoderentur; Detecta quippe Templi complura veſtigia, parietes nempe marmoreis tabellis levigati, ſolum teſſellato, ac muſivo opere elaboratum, baſes, pilæ, peryſtilia item marmorea, ac columnarum fragmenta, plumbei tubuli, elegantiſſima denique ejuſdem Herculis Leonis Nemęi exuviis contecti lapidea bipedalis ſtatua in fruſtra conciſa, ſed integris adeo partibus, ut facili negotio queat compaginari. Quę omnia indicio ſunt ſtetiſſe ibidem loci Herculis Fanũ. Statuę typum habes ad calcẽ hujus Cap.

Martis Lucus prope Symethum Templum fortaſſe ejuſdem honori ſacrum ambiebat; Antiquis enim ſollemne Lucos amœniſſimos prope Deorum fana conſerere. Ex hoc Luco eductum Arcentem, qui adverſus Æneam pro Turno decertavit, teſtatur Virgilius Æneidum libro VII. de quo nos alibi. Obſervat Carrera (a) agrum, quem alluit Symethus, frugibus alioqui feracem arboribus tamen ferendis prorſus ineptum; Martis proinde Lucum poetico more circa Symethum locaſſe Virgilium, ſitumque potius juxtà Catanam

(a) *Lib. 1. cap. 19*

ad

ad auſtralem plagam contra Symethum, opinatur. Verùm ultra flumen lætiſſimas etiamnum hodie vineas excoli ad meridiem videmus; potuit hinc Lucus Martis in ea regione, ut ſcribit Poeta, exurgere.

Ex invento demum Euſculapii Simulacro, atque ex ruderibus prope S. Benedicti Monialium Cœnobium domui Scipionis de Archangelo ſubſtratis, Templum ibi eidem ſacrum à Catanenſi populo conſtructum colligunt laudati Archangelus, & Carrera. Statua Carreræ ævo ſuperſtes ſiniſtra manu ſceptrum, dextera baculum ſubſtinebat, quod penes ſe habere Archangelus ſcribit. Huic ſerpens obvolvebatur, cum Epigraphe Græcis characteribus expreſſa *Aſclepius*. Quo ſanè nomine ob Aſclem Epidauri Tyrannum extremo morbo laborantem priſtinæ ſaluti reſtitutum Euſculapius appellatur. Etſi Aſclepium Euſculapii Nepotem nuncupari Boccacius affirmet. In S. Euplii Catanenſis Diaconi, & Martyris Actis à Cajetano relatis (a) Calviſianus Siciliæ Proconſularis Sanctum Diaconum hortatur, ut Diis thus adhibeat; *Jovi*, *Euſculapio*, *Dianæ*, & *Galino*. Diis itaque Catanenſium Euſculapius accenſendus, Fanumque in urbe Catana illum habuiſſe non inconeruum opinari.

(a) *Temp. SS. Sicul.*

XIII. PROSERPINÆ, FORTUNÆ, VENERIS, AC PALLADIS TEMPLA.

Proſerpina, ut Mythologis ſatis eſt exploratum, Lunæ etiam vocabulo inſignitur, quòd mediâ ſcilicet anni parte una cum Matre Cęlos incolere fuerit illi ab Jove datum. Eidem ſub hac nomenclatura Catanæ Templum extructum, adeo celebre, ut ab eo tertia Urbis regio Luna-

ris fuerit appellata, quod ex Blundo tradit Archangelus. Emporium inde Lunare, ac nundinę in ejuſdem Proſerpinæ honorem inſtitutæ, ut notat Carrera. Quamvis etiam à die, quo celebrantur, paſſim hodie *Lunares* dicantur. Templi veſtigia cùm Archangelus, tum etiam Carrera ſeſe vidiſſe fatentur, ejuſdemque magnificentiam ex parietibus vario marmore conteſtis, ex pavimento muſivo opere elaborato, atque ex ruderibus juremerito arguunt. Aras alibi extra Urbem Proſerpinæ poſitas recenſent, inventamque in regione *Trixinis* foro Lunari olim proxima Proſerpinæ cubitalem ſtatuam proferunt cum epigraphe: *Proſerpina Regina Catanæa*, quam Grecis characteribus exaratam inter Siculas antiquas tabulas Gualtherius enumerat, ut alibi diximus. Numiſmata demum ejuſdem effigie ſignata inferius proferam; nec non inter Catanenſium Numina Dianam enumeratam ſuperius ex Actis S. Euplii adnotavi.

Fortunæ ubiq; gentium delatos fuiſſe honores in Urbe vel maximè author eſt Alexander, (*a*) cujus forte æmulatione noſtri ceco eidem numini Fanum dedicarunt, de quo Archangelus, & Carrera. Templi ſitus omnino incertus.

(*a*) *Dier. Genial. lib. 1. cap. 13.*

Catanæ regio æſtivum reſpiciens occaſum olim à Cypriana dicebatur, quod nomen penes aliquot adhuc retinet. Ibi *Veneri*, quæ paſſim Cypria audit, erectum Templum opinantur; idque arguunt rudera pene ingentia dudum Carreræ, ac Bolani ævo, & nuper noſtris hiſce diebus detecta, conſtratum ſcilicet muſivo opere pavimentum, ſolidiſſimi parietes nigris quadratis lapidibus contecti. Baſes alioqui, quę columnis forte ſubſtructę, ad Templi porticum ſubſtentan-

dam

dam, aliaque ędificiorum veſtigia molis magnitudinem arguunt. Non inficiar, ut ipſe etiam Carrera advertit (*a*) rudera hujuſmodi alterius ædis, aut publicę, aut privatę olim uſui aptari potuiſſe; ſed regionis nomenclatura, ac vetus traditio Veneris fanum ibidem ſtatuens haud leve pondus conjecturę adjiciunt.

(*a*) *In Addit. ad tom. 1. f. 504.*

Palladis denique, ſeù Minervæ Templum, ac Lucus apud Noſtros memoratur, ſed hęc ubinam ſita, prorſus incertum. Vetus Catanę Inſigne Pallas armis inſtructa, & Ægide. Palladi nempe, quæ belli Præſes, ac Sapientiæ Dea dicitur, potiſſimum addictam ſignificare ſatis appoſitè Priſci voluere Urbem ab literis, rebuſque bellicis commendatam, cui proinde Templum quoque dicatum optimè arguimus. Aras obtinuiſſe etiam extra Urbem tradunt; Numos denique Catanæ cuſos, aut ejus capite, aut noctua, quæ avis eidem ſacra, obſignatos paſſim exhibent Eruditi.

XIII. ALIA SUPERSTIOSÆ VETERUM CATANENSIUM RELIGIONIS MONUMENTA.

Tradit ex Blundó Archangelus Muſęa, ſacroſque Lucos, Delubra, & Aras per quinquaginta ſtadia Urbem Catanam olim conſpicuam, ac prę cęteris ſuperſtitioni addictam prodidiſſe. Illud memorabile, cujus meminit Cartagena (*b*) hiſce verbis: *Salvaticus de Victoria Verbi Dei contra Hebręos refert, quondam in Catania Idolatras in magna habuiſſe veneratione Virginem quamdam Infantem propriis manibus bajulantem; qui interrogati quare annis ſingulis imaginem illam per publicas plateas circumducerent, reſpondiſſe teſtatur: id in bonorem, & cultum cujuſdam Vir-*

(*b*) *Hom. 6. de Virgine.*

Virginis præſtare, quæ Virgo manens peperit Filium. Huic autem Virgini Templum, aut Aram dicaſſe Catanenſes, atque hinc Urbem noſtram profanis etiam ritibus veręfidei myſteriis prælufiſſe optimè conjectaverim; In Virginis enim Filium bajulantis veneratione ſingularem erga Deiparam exhibitum ſeris temporibus ab Catanenſibus honorem prę figurari non ambigo.

Jamvero Symethi, Acidis, & Amenani, ſeù Amaſeni Genios Catanę etiam in veneratione habitos numiſmata evincunt in eorum honorem obſignata, quę paſſim ſunt obvia. Quocirca Cajetanus, de Amenano, qui Catanam interfluit, ſignanter loquens ſcribit. (a) *Catanęos verò Amaſenum coluiſſe, eorum nummus docet.* Subdit inde num. XIV. de Siculorum Religione differens: *Ut verò fluminum, & fontium, ita proprios, & indigenas maris Deos Siculi videntur habuiſſe. Etenim in Actis S. Euplii Diaconi Catanenſis, & Martyris Græcè traditis Galinus (emendo Galenus) Deus nominatur. Quis fuerit à nemine explicatum ſcio. Crediderim Galenum Deum fuiſſe, qui mare tranquillum redderet. Ita Arnobius contra Gentes Pauſam Deam numerat Bellonę, & Marti adverſariam, quæque pauſam, & quietem in præliis afferret. Catanenſes igitur, ut Galatheam, ideſt Maris Candorem, atque Malaciam, ita Galenum (nam Galenos Gręcis Tranquillus) Deum mare tranquillantem videntur coluiſſe.* Similia habet in Animadverſionibus ad vitam S. Euplii. (b) His porro profanis Numinibus Catanę extructa Templa facilè autumaverim, atque ex variis ruderibus, quę paſſim deteguntur colligo, quamvis certi aliquid ex illis erui haud poſſit.

(a) Iſagog. cap. 3.

(b) Tom. 1. SS. Sical.

Apolli-

Apollinem Ducem, (quem Archagetam vocat Carrera) coluiſſe olim Catanenſes par eſt conjectare; numus quippe extat ex una parte Amenani, vel alterius amnis genio, ex altera verò Capite radiis coronatò obſignatus, quo Apollinem ſignificari idem Carrera affirmat (*a*) Unde autem apud noſtros Apollinis religio ortum duxerit facile eſt conjicere; Scribit enim Thucydides ſub initium libri VI. *Græcorum primi Chalcidenſes ex Eubea claſſe profecti cum Theocle Coloniæ ductore Naxum condiderunt, & Aram Apollinis ducis, quę nunc extra Urbem viſitur, extruxerunt; Ubi quoties è Sicilia ſolvunt, oraculum petituri ſacrificant.* Quum autem è Naxo recepiſſe Catanam Chalcidenſes in colonos ſit omnino exploratum, facile eſt credere, eoſdem Patrii numinis cultum in novam Urbem invexiſſe. An verò Templum, aut ſaltem Aram Catanæ Apollo obtinuerit, Nos latet.

(*a*) *Lib.3.cap.18.*

Huc facit, quod in Actis S. Leonis Epiſcopi Catanenſis legitur: Heliodorum magicis præſtigiis populum ad Idololatriam inſtigaſſe, atque ad Statuam, quæ Aeris, aut Ætheris Elementum figurabat, adorandam impuliſſe. Hæc à Gentilibus dudum erecta, qui falſa ſuperſtitione, Urbem ab Ætnæ incendio ejuſdem patrocinio fore immunem, ſibi ſuadebant. Sic enim intelligo ſubobſcurum illum locum Epiſtolę Lucii Præfecti ad Imperatores. *Quin & Populum ad Idololatriam inſtigavit; Præſens enim Statua Elementum Aeris eſt; nequando prorumpens Ætnæ flamma Urbem accendat.* Nec abnuit Cajetanus in Animadverſionibus ſcribens. (*b*) {*Præſens enim ſtatua eſt*}. *Obſcurus locus, cujus hæc videtur eſſe mens: Heliodori fraudibus multos ad Simulacrum adductos Dæmo-*

(*b*) *Ad vitam S. Leonis tom.2 SS. Sicul.*

Dęmoni cultum exhibuiſſe. {Nequando prorumpens Ætnę flamma &c.} Simulacrum igitur adverſum Ætnę ignes per magiam collocatum eſt. Huic loco lucem aliquam Photius afferet. Qui ex Olympiodori Thebæi hominis Ethnici hiſtoria, quam ſcripſit ad Theodoſium Juniorem hæc memorat. Rhegium Metropolim eſſe Brutiorum, è qua, narrat Hiſtoricus, Alaricum in Siciliam trajicere volentem prohibitum fuiſſe; Statua enim, inquit, inibi inaugurata trajectum inhibebat. Conſecrata vero fuerat, ut fabulatur, ab Antiquis tum ad avertendum Ætnę ignem, tum ad Barbarorum per mare tranſitum amoliendum. In altero enim pede ignis erat pervigil, in altero aqua incorrupta. Sed eâ Statuâ tandem diſiectâ, & diſſolutâ, multis, & ab Ætnęo igne, & à Barbaris Sicilia damnis affecta eſt. Evertit autem illam Aſclepius, cum Conſtantii, & Placidię rerum in Sicilia Procurator conſtitutus eſſet; Hæc Photius. Quæ autem Olympiodorus ſcribit: confractâ tandem Statuâ Siciliam ab Ætnęo igne, & à Barbaris detrimentum cœpiſſe, ut homo Ethnicus ex vana, falſaque gentium ſuperſtitione tradit. Cęterum Aſclepius Procurator in Sicilia fuit anno Chriſti CCCCXVII. *Eo enim anno Placidia Conſtantio data eſt.* Simulacrum porro ab Olympiodoro memoratum contra Rhegium ſtetiſſe putandum in littore Inſulæ Orientali; atque illud Catanæ eadem religione cultum ad S. Leonis tempora perſeveraſſe, à quo cum aliis ſuperſtitionis reliquiis everſum, ut ſuo loco diximus.

De Templo Adrani, quod Ætnæ, & Catanæ finibus claudebatur, ut de illo Hybleæ ad extrema Catanenſis Agri, quod in magna religione à Siculis habebatur, ut Pauſanias teſtatum reliquit (*a*) videſis Cluverium in ſua antiqua Sicilia.

(*a*) *In Eliac. l. 5.*

CAP. II.

CAPUT II.

PUBLICA ÆDIFICIA.

VEterum ſtudia in id collineaſſe plerique arbitrantur, ut publicis nempe ædificiis perenne ſibi nomen compararent, quum æquis aliunde æſtimatoribus, illos nonniſi majori Reipublicæ bono hujuſmodi operibus proſpexiſſe, ſit omnino exploratum. Juventuti enim literis, bellandique arte informandæ, Populo ſpectaculis, ac ludis, ne otio indulgens paſſim ad vitia dilaberetur, obleſtando, Naumachias, Hippodromos, Gymnaſia, Theatra, Balnea, atque id genus alia legimus inſtituta. Quamvis hujuſcemodi etiam molitionibus Urbium magnificentiæ, Magiſtratus, Principumque gloriæ fuiſſe etiam conſultum minimè negaverim: Legibus porro optimis, quibus informabantur, debuiſſe Reſpublicas id ornamenti certum eſt; cautum quippe in illis, ut omni induſtria Juventus bonis artibus imbueretur, Vulgique animus, nova ſemper moliendi cupidus, rerum varietate diſtineretur. Siqua autem Urbs publicis hiſce monumentis ad Civium commodum, atque utilitatem extructis emicuit, noſtra dubio procul cum primis cenſenda, ubi olim complures pene ad artis miraculum moles extitiſſe, ipſæ teſtantur ingentes ruinæ noſtra adhuc ætate perſtantes, quæque quotidie, dum Urbs reparatur, deteguntur. Jamverò de ſingulis agendum.

I. NAUMACHIA.

Lacus erat fabrefactus, in quo, inſtar exigui maris coactis aquis repleto, navales ludos Veteres edebant, ac quoddam maritimæ pugnæ

 ſimu-

ſimulacrum exhibebant. Romæ in Circum maximum ſæpiſſimè inductis aquis, hujuſmodi ludos legimus celebratos; ſuam in Campo Martio Naumachiam Domitianus inſtituit, teſte Svetonio in ejus vita, ubi prælia pene juſtarum claſſium fecit; ſuam habuit etiam C. Cæſar in Tranſtyberina regione, quam alii rectius Auguſto tribuunt; ſuam denique effodiſſe tradunt Claudium Neronem in Valle Vaticana, quas omnes longo temporis intervallo anteceſſiſſe Catanenſem Naumachiam Scriptores gentici produnt. De ea Bolanus in m. ſ. Opuſculo de Rebus Catanæ, ubi illius deſcribens ſitum concludit: *Hujus reliquiæ extra Urbis mœnia ante Decimarum portam viſuntur, nimirum in via occidentali vetuſtiſſimus, ac duplex murus ſuis quibuſdam diſſectus intervallis, cui reſpondet auſtralis non abſimilis, ſed elatior, in ædificium commune vetuſtis Urbis mœnibus adhærens.*

Simile habet Cæſar Piſcis Seculi XIV. ſcriptor, cujus m. ſ. opuſcula periiſſe dolemus, paucis fragmentis exceptis, quæ nobis Octavii de Archangelo induſtria ſervavit. Sic autem ait: *Magnis ex ære captivo ſumptibus Catanæi inſtar natatoriam Naumachiam ſub Circo majore prope arenoſum maris littus, ſub Cereris Saturniæ, Gymnaſio contiguam, ſex fere ſtadiorum ambitu, muro decempedali latitudine conſtruxere; Cujus lacuna ſexcubitalem profunditatem obtinebat; Juniperis, Mirtis, Lauris, Olivis, ceteriſque perpetuo virentibus vitibus, Populis, Platanis, Ulmiſque incumbentibus circumſeptam, amœnitate ſpectabilem; in quam ſubterraneos per canales lateritios dulcium aquarum euripi traſvehebantur.* Hæc & piſcinæ uſum, & oculis oblectamentum

præ-

præbuit, Anſerum, Cycnorum, Anatumque turmę ad delicias ſupernatabant. Hæc eadem diu priſcorum negligentia, inde in agrum uberem vitibus, cæteriſque plantis conſertum, reducta fuit. Quibus extremis verbis videtur Author innuere Catanenſem Naumachiam piſcinæ oblectamenta prębuiſſe, quod forte quiſpiam negaverit; ſtagnantibus enim aquis prope Urbis mœnia, neutiquam fuiſſet, æſtivis ſaltem temporibus, Civium ſaluti conſultum. Romæ aliunde id uſui fuiſſe legimus, ut apertis euripis aquarum vim uno hauſtu Naumachia reciperet, laxaretque finito ſpectaculo.

Petrus Carrera (*a*) ex laudato Archangelo tradit, muros, qui pro argine erant, quibuſdam in locis pedum viginti circiter latitudinem exceſſiſſe. Protendebatur autem, ut idem ſcribit, ab Ortu ad Occaſum pedes circiter MDCCC. ab Auſtro ad Aquilonem CCCIX. externuſque circuitus quatuor mille pedibus abſolvebatur. Cajetanus, qui neutiquam Carreræ, utpote oculato teſti præferendus, (*b*) Naumachiæ latitudinē CCCCLXXXVIII. latitudinem DCXCVI. pedibus definit. Hodie eximiæ hujus molis veſtigia, olim cunctis obvia, nigris Ætnæis lapidibus conteguntur, ſed foſſoribus ſæpiſſimè occurrunt eorumdem fragmenta, ex quibus Naumachiæ arguere quiſque poterit magnificentiam.

(*a*) *Lib. 1. cap. 41.*

(*b*) *Animad. ad vit. SS. Sicul. tom. 2. f. 7.*

II. HIPPODROMUS, SIVE CIRCUS MAXIMUS.

Theatrum ubi Equi agitabantur, ac de pernicitate eorum certabant Veteres, Hippodromum appellabant. Circum etiam dicebant, quia figuræ circularis, ſed oblongæ, ellipticam ſcilicet imitabatur. Gradus porro habebat plurimos, in qui-

bus ludos, equorumque, ac curruum procurſus ſpectaturi ſedebant, atque ita, ut alter alterius proſpectum non impediret. Maximus denique vocabatur, quod capaciſſimus plura hominum millia admittebat. Hujuſmodi moles Catanæ prope Naumachiam extitit, de qua ſic Maurolycus (a) *Extra Urbem* Catanam *ad Auſtrum Circus fuit certaminum, cujus veſtigia, ac teſtudines gradibus ſubjectæ adhuc extant.* Bulanus verò accuratius: *Hippodromus fuit Catanæ exercendis equis cum unicis, tum bigis, tum quadrigis in hoſtium ruinas, ac caſtra vertendum, & diruendum .... Erat hic prope decimarum portam, {cujus arcum dirutum hodie murum ruptum appellamus,} & figulinas publicas, pedibus* CCCLXXXIV. *ab Oriente, ad Occidens latus,* MDCCCLXXII. *ab Auſtro ad Aquilonem longus,* Romanorum *inſtar pulcherrimus, cujus admirabiles adhuc reliquiæ ſumptus maximos enunciant.* Conſonat Cajetanus (b) *Catanæ Hippodromus fuit prope portam, cui nomen hoc ævo à decimis, ante quam pro Urbis mœnibus illius reliquiæ viſuntur. Extans adhuc arcus (hodiè murum ruptum appellant) in reliquiis cognoſcitur. Hippodromum ab Oriente ad Occidentem latum fuiſſe pedes 184. à Meridie ad Septentrionem 1872.* Blundus atque ex eo, Archangelus, & Carrera (c) peculiaria Circi ornamenta expendunt, quæ verò ſimilia putaverim.

(a) *Hiſ. Sicula lib. 2.*

(b) *Animad. ad vit. S. Leonis Epiſc.*

(c) *To.1.l.1.c.42.*

Ludi Circenſis denique Catanæ juxta morem celebrati in S. Leonis Catanenſis Pontificis vita ab Encomiaſte Græcè exarata fit mentio illis verbis: (d) *Quodam vero die, cum Circenſia, ut mos eſt, Catanæ celebrarentur, Chryſim allocutus Heliodorus S. Leonis conſobrinum, poſſum, inquit, ſi tibi cordi eſt, equum dare, qui omnes curſu an-*

(d) *To.2. SS. Sicul. apud Cajetanum*

tever-

revertat coram Præfecto. Chryſis autem de magica Heliodori arte nihil ſuſpicans, optare ſe dixit; ſtatimque ſiſtitur equus candidus, quo Juvenis inſcenſo, cæteros omnes longo intervallo vicit, adeout ſtuperent univerſi, atque ipſe cum primis Præfectus. In quem locum Cajetanus laudatus: *Cum Circenſia*, inquit, *ut mos eſt Catanæ, celebrarentur, quibus ludi Equeſtres in Circo edebantur*. Circenſes porro ludi, vel quod circum populus fuſus illos ſpectabat, ſive ab ipſo Circo, in quo fiebant, appellati; quamvis putarit Varro Circenſes dici, quod prius locis virentibus, atque herboſis inter enſes, & flumina, quaſi *Circum Enſes* inſtituti, ut Lucius Faunus obſervat (*a*)

Cæterum in utraque Circi parte pari diſtantia duas figebant metas Antiqui, pyramidum inſtar habentes, circum quas equi, curruſque volvebantur; idque ornamenti noſtrum etiam habuiſſe Circum Scriptores gentici tradunt. Ejus veſtigia noſtra ætate ingens Ætneorum lapidum moles etiam obruit, ut de Naumachia diximus, Figulis quandoque effodientibus ædificiorum rudera, quę nulla vi diſſolvi poſſunt, occurrunt, Ævo Archangeli, & Carrerę varia quoque è marmore detecta fragmenta, quę ſtructuræ produnt elegantiam.

(*a*) *De Antiq. Urb. Romæ lib. 3. cap. 9*

III. AQVÆDUCTUS.

Aliis celebrior, ac ipſis Romanæ Urbis ductibus comparandus, Fazello, & Braunio teſtibus, Catanæ ille erat, quo decem & octo ferme paſſuum millibus, magna aquarum copia, ad Naumachię ludos, Thermarum uſum, Civium denique utilitatem, & commodum deducebatur. Aqua hæc ſub amœniſſimo colle à Licodia, hodie appel-

appellato, cui Monaſterium S. Mariæ Benedictinum inſidet, adhuc concipitur, ubi extructa moles vulgari nomine *Botte* opere fornicato, pedes circiter duodecim lata, ac ſolido muro intermedio ad fornices ſubſtentandos diviſa, in cujus imo fundo, hiatus ſex videntur, unde aquarum fontes Meridiem ſpectãtes effluebant, quorum duo hodie ſunt perennes; Hi in ductum palmos ferme duos latum, quinque altum, è ſolido lapide compactum corrivabantur. Caſtellum porro, vulgo *Botte*, fornice excepto, qui periit, hodie pene integrum hoc epigramma nigrò lapidi inſculptum præſeferebat.

CURATORES
Q. MACULNIUS
ETRATIVODE
ATVRIVCAOCHAC.

Quod ſanè aut incœptum, aut inſtauratum Aquæductuum opus Romanorum ævo arguit; Q. Maculnii quippe nomen prorſus Romanum, ac in Romana Republica Aquæductum Curatores legimus inſtitutos.

Jamvero Aquæductus Orientem verſus centum circiter paſſus procurrens, mox occultatur, atque non diu denuo ſeſe prodit in loco, qui apud incolas *Civitas* audit, de quo ſuo loco diximus; ibi ſolidæ pilæ arcus ſuſtinent lapideos ſexdecim circiter palmos altos, quibus Aquæductus incumbit ubique concameratus. Producitur hic exinde ſuper Aetnæos lapides paſſuum millibus circiter quatuor uſque ad Vallem Currentem, ubi alterius Caſtelli veſtigia extant, ex quo ingens quoque aquarum copia eo loci effluens in Aquæductum derivabatur. Tum ſubterraneo occultoque itinere, montes etiam penetrando, ad vi-

cum

cum uſque, quem Monaſterium Album appellant, quinto ab Urbe lapide producitur, ubi æqualis omnino molis, operiſque rudera, quà vicus ipſe meridiem reſpicit, ſpectantur. Denique prope villam, cui à *Sardo* nomenclatura, ad occiduum Catanæ ſolem rurſus emergens, olim non interruptus continuatis arcubus ad Urbis mœnia ſeſe extendebat, quorum aliquot hodie inter noviſſimos Aetnæos lapides jacent, aliquot elapſo ſæculo dirĳecti, ut dicemus.

Id obſervatione digniſſimum, atque à nemine, quod ſciam, adnotatum, Aquæductum ſcilicet alioqui dura, ac tenaci materia malthatum, plumbeis laminis olim fuiſſe cruſtatum. Eruo ex variis earumdem fragmentis in ea Aquæductus parte, quæ diruta prope Urbem ſpectatur, à Me detectis, atque in tantæ rei monumentum aſſervatis. Fateor alibi hujuſmodi laminarum veſtigia in eodem Aquæductu fruſtrà quæſiiſſe; hinc, aut quibuſdam tantum in locis his plumbeis ſiphonibus Aquæductum ſolidatum, aut ex aliqua hoſtili incurſione, bellorumque Servilium malis eo ornamento exutum; mixtura mox cementitia reparatum aquas recepiſſe, atque integras reddidiſſe conjecto.

Ab Aquæductus arcubus occidentalis extra Catanam regio olim *delle Porticelle*, ſeu *dell' Archi* dicebatur: Numerabantur porro quinque & ſexaginta, ex quibus triginta tres Joannes Vega Siciliæ Prorex, quum validioribus mœnibus Urbem vallandam curaret, diruendos præcepit, ut ex eorum materia muros, ac propugnacula conſtrueret: Reliquos verò duos & triginta ignis Ætnæi colluvies anno MDCLXIX. eliſos, luxatoſque lapidibus pene obruit, adeout vix hodie quatuor

ſuper-

ſuperſtites, & ipſi etiam labefactati videantur. Eorum aliquot ante eumdem annum, Petri Carreræ ætate, nigris perpolitis lapidibus expoliati juſſu Franciſci Lanarii, & Aragoniæ Perpignani Ducis, ut ager inde ad oram Urbis maritimam, qui fluctus coerceret, ſterneretur, quod ipſemet Carrera innuit (a) Arcus palmis XIV. latos, pluribi verò, ut ſoli ferebat conditio, palmorum XL. altitudinem exceſſiſſe aſſerens.

(a) Lib. 1. cap. 47

Aquęductus Authorem M. Marcellum Romanum Conſulem vulgus tradit, quod ut negare temerè, ita nulla fultus authoritate affirmare non auſim; refragantur enim vulgari huic opinioni Scriptores noſtri, Aquæductus originem longè altiùs repetentes, atque à Marcello nonniſi reſtitutum poſtliminio cenſent. Non aliam præſeferre nihilominus vetuſtatem putaverim, quam Aetnæ montis incendium, unde ingens illa ſaxea moles ſupra Paternionis opidum olim producta. Huic enim Aquæductus ædificium cernimus ſuperſtructum. Id porro incendium Servile bellum longè pręceſſit.

Memoratur denique noſter hic Aquæductus Aretio de *Situ Siciliæ* illis verbis: *Aquæductus præterea adhuc eſt maximus, qui tunc aquam per ſtructiles fornicatòſque Canales intra mœnia ad diverſa immiſſaria deducebat*. Fazello hæc inter alia ſcribenti (b) *Aquæductus ex quadrato, & nigro lapide à ferme 20. paſſ. millibus ex fonte, cui vernaculè Butta hodie nomen eſt, qui non longè à Paternione juxta Monaſterium divæ Mariæ Licodię emergit, in Urbem affluentiſſimè priſca ætate per pilas, arcuſque aquas deducebant. Quorum magna, & integra moles, neque inferior ea, quæ Romæ eſt, adhuc cernitur*. Licèt dum

(b) Dec. 1. l. 8. c. 1

para-

pararent hæc ſcribere ad nova Urbis propugnacula ſtruenda non parùm diminuta, ac diruta fuerit. Braunio denique, qui Fazelli verba ex integro uſurpat (a) & Maurolyco, qui inquit: *Et paulò poſt ſuperius Aquæductuum arcus antiquiſſimi.* Ex noſtris quoque Laurentius Bolanus, quem Archangelus, Carrera, & Groſſus teſtem advocant, de Aquæductibus hæc loquitur: *Neque parvam Catanę majeſtatem Aquæductus explorat, qui à proximo occidentali colle, innumeris pene fornicibus ad Urbis mœnia producebatur, quorum majorem partem Municipii gratia, (quod Joannes Vega tunc Prorex erexit) idem diruendam imperavit. Superſunt adhuc hodie triginta & unus, ſed latet ſubterraneum reliquum ad Licodiam uſque divi Nicolai de Arenis Cœnobium; unde uberrimus aquarum decubitus Urbem totam alluebat.* Pergit ſubinde enarrare Bolanus in quot peculiares ductus aqua effluerét, varioſque cum lapideos, tum fictiles ſiphones ſuo ævo conſpicuos in vico Cypriano, in S. Nicolai viridario, ad Theatra prope S. Auguſtini, per quos corrivabatur, deſignat, concluditque: *Hinc mirari non deſino priſtinam illam Urbis noſtræ majeſtatem pene incredibilem, quæ tot pariter, quot hodie inſignita fontibus, ac putealibus aquis refertiſſima, effatu digniſſimis ſumptibus aquam hanc è Licodia, milliaribus ſexdecim diſtantem, quæ Naumachiam, & Thermas compleret, & ornaret, eſt emerita; ut qui & ſitu, & clymate pro Studiorum domicilio puriſſimus aer eſt, defæcatus inſuper incivium columitatem vel arte efficeretur.*

(a) *Theat. Urb. lib. 4.*

Horum porro ductuum rudera Bolano memorata prorſus jacent, noviſque ruinis obruta ubinam fuerint, ignoratur. Conſpicui aliquot for-

Digitized by Google

nices prope S. Nicolai de Arena Cœnobium in vico olim Cypriano ad Meridiem, qui etiam brevi ſolo ſunt æquandi, atque alibi ſuperſunt publicis in viis. Cæterum dum Templi Monialium SS. Trinitatis fundamenta ponerentur, ex integris nigris lapidibus fiſtulæ nuper detectæ ſunt, aquas fortaſſe in Thermas minores deducentes; quumque in S. Agathæ veteris Eccleſia foderent, in quadratum tubum lateritium foſſores inciderunt, per quem aquas in Amphitheatrum, ac Proconſulare Palatium forte Veteres noſtri inducebant. Omnium denique maximus palmos nempe tres latus, altuſque Aquæductus ille cenſetur lateritius, quadratis lapidibus contectus, ac ſubterraneus, quo in majores Thermas aquarum ingens copia derivabatur. Ejus integra veſtigia ſuperioribus annis ſub auſtrali publicæ Academiæ proſpectu, ac in area Templi maximi ſunt defoſſa. Mittimus hic fiſtulas cum plumbeas, tum fictiles, quę in nova Urbis molitione adeo frequentes occurrunt, iis enim deſignandis ſingillatim, vix pagina ſufficeret.

IV. THERMÆ.

Priſcis mos erat frequentiſſimè Balneis ad ſanitatem, corporiſque munditiam, ac nonnumquam ad voluptatem uti; Omnes hinc ferme divites, immo & populares privatis in ædibus Balneas habuere; præter quas vel publico ære, vel Principis liberalitate aliæ in publicum commodum laxiores ſunt extructæ ab aquarum caliditate Thermæ vulgari vocabulo appellatę. Tanta porro earumdem magnificentia erat, ut in Provinciarum modum extructas illas Ammianus à Roſino laudatus (*a*) conqueratur. Illorum deſcriptionem Vitruvius in ſuo præclaro opere (*b*) adornavit ſubinde

(*a*) *Antiq. Rom. lib. 1. cap. 14.*
(*b*) *Lib. 5 cap. 10. & 15.*

ſubinde alii, ac præ cæteris Andreas Baccius prolixè ſingulas earum partes explicavit; Moles enim areas ampliſſimas, exercitationum Gymnaſia, Xiſta, atque id genus alia præter Balneas continebat. Ex his memorabiles, atque inſignes in Urbe Catana illæ fuerunt, quæ Baccho dicatæ maximo Divæ Agathæ Templo hodie ſubſtructæ cernuntur, ac Dionyſiæ ab eodem profano numine olim dicebantur. Minus celebres aliæ ad occidentalem Urbis plagam, S. Pantaleonis Criptæ vulgàriter nuncupantur. De utriſque Bolanus elegantiſſimè ſcribit, ut apud Carreram, & Groſſum habes, earumque Iconiſmum Archangelus exhibet (*a*) Aretius de Situ Siciliæ, quem ſequuntur Fazellus, Pirrus, & Braunius, ubi nunc vetus S. Agathę Templum ad aquilonarem Catanæ regionem Thermas nobiliores ſtatuit, ſed fallitur; rectius ſitum indicat Gualtherius (*b*) ſcribens: *Thermæ Catanæ eo loci extitere, ubi Templum Urbis majus inædificatum; Sex Columnæ reliquæ indicant, unde earum vetus magnitudo ſcintillat*. Gualtherium arguunt Groſſus, & Carreta, quod ſex tantùm columnas oſcitanter recenſeat, quum ejuſdem magnitudinis octo illius ævo eſtarent, ac alię pene innumerę minores; ſed quod ex octo tunc patentibus ſex tantùm integrę, reliquę duę omnibus ſuis partibus minimè conſtarent, oſcitantię notâ Gualtherium neutiquam inurendum putaverim. Quorumdam Civium traditione, deductâ ex Veteribus memoriâ, duę inſuper Columnæ majorem abſidis arcum fulciunt, cæmentisque obductæ latent, adeo ut re vera decem enumerari maximas à quoquam poſſe autumemus, de quibus inferius dicendum.

Thermarum mentio in S. Leonis Pontificis

(*a*) *Carrera lib.* 1 *cap.* 44. *Groſ. mod.* 6. *cor.* 2. *tom.* 2.

(*b*) *Sical. Tab. Adnot. c.* 3.

Actis clariſſima habetur; ubi Heliodorus magicis artibus inſignis memoratur, qui Heraclium ducem cum copioſa militum manu Byzantio Catanam appulſum ad proxima Balnea hoc pacto invitat: *Eamus hinc ad Balnea, ut reſumptis viribus robuſtiores redeatis ad navigia.* Quumque, mox ut è navi cum ſociis Heraclius deſcendit, prope maris littus id geſtum referatur, de Thermis procul dubio inſignioribus, Auſtralibus ſcilicet, ad jactum lapidis à littore recedentibus intelligere meritò conjectamus. De illis loquens Fazellus: *Thermæ*, inquit, *quoque erant in hac Urbe cum columnis, & epiſtyliis marmoreis ornatiſſimæ*. Columnę autem è lapide Numidico, quem vulgo *Ægyptiacum Granitum* appellant, nullis totâ Siciliâ ſecundæ cenſentur, vel ſi molem, aut ſi materiam attendas; habet enim illa palmorum pene quatuor diametrum, ac palmos ferme viginti octo in altum porrigitur. Maximæ, ut innui, decem numerabantur, minores verò, ſed magnitudine etiam ſpectabiles, vix computari poſſe opinor; ſunt enim hodie aliæ integrę, alię citra numerum in fruſtra redactę in ipſa principis Templi area, atque alibi paſſim jacent. Majores, an aliquid ſubſtentarent, an decoris ergò ante Thermarum veſtibulum erigerentur, anceps ſum animi; Sanè moralium Philoſophorum Princeps Seneca Epiſtola LXXXVI. ætatis ſuę luxum in Balneis execrans: *Quid*, ait, *cum ad Balnea Libertinorum pervenero? Quantum ſtatuarum, quantum columnarum eſt nihil ſubſtinentium, ſed in ornamentum poſitarum, impenſę cauſſa?* Minores dubioprocul porticum Xiſti, & Paleſtrarum fulciebant, ac Theatridium, quæ pars erat principalis, caputque ædificii; hujuſque arcus fortaſ-

ſe

ſe columnæ illæ ſubſtinebant, in quarum epiſtyliis epigraphe legebatur.

Q. LUSIUS. LABERIUS. PROCONSUL.
THERMAS.

Baſes porro, ac Epiſtylia è marmore Pario variis prophanis figuris, opere Corinthio, elegantiſſimè elaborata ędificium decorabant, pariſque artificii erant coronidis partes. Porta & ipſa marmorea, columellis ornata, variiſque cęlaturis fulgebat; Parietes opere plaſtico, ac multifario lapide incruſtati, fornices racemis, aliiſque ornamentis inducto auro referti conſpiciebatur, ut in nova Principis Templi inſtauratione detectum, ac Bolani etiam ætate obſervatum: *Thermæ*, inquit hic, *ſubterraneæ pulcherrimę ſub Divę Agathę Templo viſuntur imaginibus ſemielatis plaſticè inſignitæ non paucis.*

Olim Columnas, earumque ornatum Templo ſæpius laudato extruendo piiſſimus Sicilię Comes Rogerius aptandas, portamque in ejuſdem proſpectu locandam curavit. Steterunt illæ ad annum MDCCVIII. quamvis Eccleſia ruinam ex Terræmotu anno MDCXCIII. ſit paſſa, quumque novam illa faciem indueret Andreæ Reggii Catanenſis Pontificis opera, inde amotæ, ad frontem ejuſdem Templi inſtruendam, quam recenter moliuntur, brevi ſunt deputandæ; Porta verò ad annum MDCCXXXIV. perſeveravit, ſed quum minus apta frontis Iconographię videretur, loco mota Senatoriæ domus atrium exornat.

Græca Inſcriptio, quę Thermarum proſpectum occupabat, ſuo loco dabitur. Ex ea Antonini Imperatoris ævo Thermas conflagraſſe colligitur, ut Carrera (a) ſcribit; ſed quum ab Eruditis illius interpretationem habere integram vix potuerimus; (a) *Append. ad To. 1. fol. 552.*

defi-

deficit enim in pluribus, quid de hac Carreræ cenſione dicendum, inferius expendemus.

Jamvero, quod attinet ad minores Thermas, quas populares, & Amaſenas ab Amenani aquis noſtri appellant, illud obſervat Bolanus ab Occidente eas prorſus dirutas eſſe, ab auſtrali verò, aquilonari, atque orientali latere integras aliquot cameras poſſidere. *Octo*, inquit, *hucuſque obtinet auſtralis aſpectus cameras, Orientalis ſeptem, Aquilo quatuor, Priores illæ ſicco pede calcantur, iſtæ quatuor limpidiſſima plenę ſunt aqua, quæ ab Ætna nobis exporrecta fluviolum parit Amaſenum*. Quadratæ autem figuræ, atque ab unoquoque latere centum quinquaginta pedes extenſas fuiſſe idem teſtatur, quem verò ornatum habuerint prodit nemo. Columnas nihilominus ex Pario marmore inſignes prope eaſdem Thermas humo obrutas, proximiſq; ædibus ſubſtructas habuiſſe nonnulli affirmant, quarũ una ante Eccleſiam Monialium SS. Trinitatis diu jacuit, aliam paucis ab hinc annis in aream Principis Eccleſiæ translatam ſcimus; quæ an Delubri alicujus inſignioris veteris ſuperſtitionis, an Thermarum reliquiæ fuerint, incertum. His hodie ſuperſtructa Orphanorum ędes videtur; Criptę ab incolis occupantur, quę tamen, quum Amenanus excreſcit, aquis complentur.

VI. GYMNASIUM.

Catanenſis Gymnaſii illuſtrior memoria in Romani Conſulis M. Marcelli vita apud Plutarchum extat, ubi prope finem dicitur: *A Marcello complura præter ea, quæ Romæ extant, Diis dedicata cernuntur; Nam Catanæ Siciliç Oppidi ejus extitit Gymnaſium*. Hęc alibi expendimus Libro II. ubi Marcellum captis Syracuſis Catanam

nam dediſſe, Urbemque Romanis partibus addictam, à qua ſuppetias acceperat, fuviſſe, ac variis monumentis cohoneſtaſſe diximus. Maximus quippe Aquæductus ipſo Authore inſtauratus Marcelli adhuc nomine inſignitur, ut ſupra obſervatum; Arcum quoque celeberrimum in perennem ejus victoriæ memoriam à noſtris erectum inferius oſtendam. De Gymnaſio autem inter Civicos Scriptores id controvertitur: An bellicis nempe exercitationibus, an verò literariis fuerit à Marcello addictum. Et primum adſtruit Carrera, cui tamen Groſſus refragatur. Plura congerit ille (a) Incongruum enim, ait, videtur, Marcellum bellicas molientem expeditiones, literarum cultum promoviſſe. Ut porro olim Syracuſis Gymnaſium à Timoleonte exercendæ Juventutis, ac bellandi arte imbuendæ gratia conſtructum, atque ab eo Timoleontium eſt appellatum, ita & Catanæ à Marcello non abſimile monumentum fuiſſe excitatum; Locus deinde prope Circum, & Naumachiam, ut videbimus, in arenoſo littore potius corporis, quam animi cenſetur exercitiis aptus. Denique Platonis in Dial. de Legibus mens eſt: Gymnaſii nomine omnes exercitationes bellicas intelligi, *ut ſagittandi, jaculandi, peltaſticen quoque, & omnes armatorum dimicationes, acierum ordinationes, ductiones exercitus, caſtrorum poſitiones, & quæcumque ad equeſtrem pertinent diſciplinam*. Hæc eruditiſſimè Carrera. Subdetrem Joſephi Ant. Saxii judicium, quo Galvanei Flammæ dictum convellens, ſcribentis, ſub Marcello ab Romano Senatu Mediolanenſibus indultum, ut haberent Academiam Scientiarum, hæc profert (b) *Sanè ſi de Marcello ſermo ſit, vix perſuaderi alicui poſſe crediderim, quod illius*

(a) Lib. 1. cap. 43.

(b) De Stud. Mediol. cap. 1.

ævo

ævo ex Senatus Conſulto Medioladenſi Urbi novus hic honos accederet. Cum in Italia nonniſi ægrigere caput tunc primum inciperent liberales diſciplinæ, totumque illud ſæculum Scriptores aſſignant infantiæ literarum.

Verum enimvero, & ſi Gymnaſium, quod etiam obſervat Galenus (*a*) locus eſſet in publica aliqua Urbis regione exædificatus, quò *ungendi, fricandi luctaturi, diſcum jacturi*, aut tale quidpiam facturi confluebant, adeout ad quodvis etiã exercitationis genus Gymnaſii appellatio perveniret, quum illius tamen ſtructura, ædificiumque varias haberet partes, non modo corpora, ſed Adoleſcentium quoque mentes in eo exercebantur, diſciplinæque, ac bonæ artes conductis ære publico Magiſtris tradebantur, ut fuſe Hieronymus Mercurialis in ſuo de Arte Gymnaſtica præclaro opere, aliique tradunt. Hinc viri Principes frequenter in Gymnaſiis obambulare ſunt viſi, cum voluptatis gratia, ac ut meliores dignoſcerent Athletas, tum ut Philoſophorum, aliorumque varias in eo profitentium diſciplinas, quotidianas audirent diſceptationes, ac Rhetorum declamationes.

(*a*) *Lib. 2.*

Structuram porro Gymnaſii teſte eruditiſſimo Aulifio (*b*) ſic ordinabant: Periſtylia quadrata, ſive oblonga, ideſt deambulationes columnis clauſas, & undique ſeptas primo loco ſtatuebant, ex quibus tres ſimplices porticus diſponebantur, nam quarta ad Auſtrum converſa nec ſimplex, ſed duplex erat, ac inter has porticus areæ ampliſſimæ relictæ; in tribus verò ſimplicibus Exedræ ſpatioſæ conſtituebantur, quæ ſedes habebant, ubi Philoſophi, Rhetores, aliique ſtudiis incumbentes diſputare ſolebant. In duplici autem

(*b*) *De Conſtruc. Gymnaſii.*

autem auſtrali porticu Ephebeum medium collocabatur, quod erat exedra, ſeu ampliſſima aula cum ſedibus, veluti ſchola puerorum ſtudentium, in qua, ut robuſtiores evaderent, exercebantur. Ephebeum verò aliæ, atque aliæ officinæ cingebant, functionibus, quæ corporis, ac virium exercitia ſpectabant, addictæ.

Fateor, Romanos olim publicis caruiſſe Gymnaſiis, ac Marcelli fortaſſe ævo nullum Romæ Scientiarum viguiſſe cultum; *Rudi ſcilicet*, ut Svetonius ait, (*a*) *& bellicoſa etiam tum Civitate*. Aſt illud à Marcello Catanæ extructum Greco more, {Catana enim Urbs Græcanica,} inſtitutũ,adeoq:& Ephebea habuiſſe,putandũ hoc eſt loca puberibus exercendis addicta, & Exedras, in quibus Philoſophi diſputarent. Quid quod in Thermis, Balneiſque aulas etiam literarum ſtudiis deſtinatas fuiſſe ſcimus? Pace igitur Clariſſimi Carreræ, Marcelli Gymnaſium, & corporis, & animi exercitationibus dicatum. Extat Oratio de hoc argumento multis ab hinc annis ad Jovialium Academiam à Me recitata, ubi fuſius rem expendo.

Supereſt jam majori animi contentione primam Academię Catanenſis Inſtitutionem examinare, de qua etiam ad eorumdem Jovialium cętum dudum verba feciſſe Clariſſimum Hjacynthum Paternionum, memini. Groſſus enim antiquiſſimam adſtruit, atque à M. Marcello poſtliminio reſtitutam multis oſtendit (*b*) Groſſo prævivit Silvagius (*c*) *Gymnaſium*, ſcribens, *in hac Urbe ſemper floruit, & adhuc floret, quamvis non ſicut prius, quod poſt captas Syracuſas M. Marcellus reædificavit, & ampliavit*. Carrera, quamvis à Marcello neque inſtitutum, minuiſque in-

(*a*) *De Illuſtr. Grammat.*

(*b*) *Dec. Catan. tom. 1. card. 4 mod. 1.*

(*c*) *Coll. Trium Peregr. c. 44.*

 ſtaura-

ſtauratum Literarum Lyceum affirmet, habuiſſe nihilominus Catanam Muſæum vetuſtiſſimum in ipſo Naumachiæ aditu ex Blundo colligit. Fazellus, Aretius, & ex illis Braunius, ac Borellus, Gymnaſium habuiſſe Catanam honeſtarum diſciplinarum ſcribunt; *quod M. Marcellus captis Syracuſis crexit, cujus pro mœnibus non longè à littore cernuntur ruinæ.* Hieronymus denique Mercurialis alibi laudatus, externus homo, nullam de Marcelli Gymnaſio ingerit mentionem, vetuſtiſſimam nihilominus Urbis noſtræ gloriam ab literis commendans (*a*) *Hippocratis ætate*, ait, *ut Ego reperio, tres fuerunt nobiliſſimæ Scholæ, una Rhodi, altera in Sicilia, & præſertim in Urbe Catanenſi, tertia fuit in Gnido.* Hippocrates ævo Socratis vivebat ante Chriſtum annis circiter ccccxx. præceſſitque Marcelli expeditionem annis ſupra cc. Rem porro minimè è ſua penu Mercurialem, probatiſſimum alioqui Scriptorem, ſtudiiſque antiquitatis addictum protuliſſe, ſed ab alio vetuſtiore Hiſtorico, cujus nulla apud Nos memoria, mutuaſſe multa ſuadent. Temporis nempe accurata deſcriptio, Hippocratis Medicorum facile Principis ætas, Academiæ celebritas, & cum aliis inſignioribus comparatio. Rhodio quippe Gymnaſio forte nobilius multum, de quo Tullius (*b*) & Vitruvius Proem. Libri vi. E noſtris eruere haud potuit; Noſtri enim ab illo ſe id didiciſſe teſtantur. Id ergo ſupereſt, quod dicebam, ab aliquo nempe Antiquiore exſcerpſiſſe Mercurialem, literiſque mandaſſe. Vivebat Author hic Seculi xvii. initio, cujus elogium habes apud Boiſſardum in Icon: Antonium Teiſſen de Viris Erud: Galliæ, & Thomam PapeBlount in noviſſ: Authorum Cenſura fol. 800.

(*a*) De Rat. Viſt. lib. 1. cap. 3.

(*b*) In Brut. c. 13.

Huic

Huic firmandę ſententiæ non leves accedunt conjecturæ: Charondam eximium Philoſophum, ac Legislatorem, Pithagoræ Diſcipulum, Patria Catanenſem Civibus ſuis, multiſque aliis per Siciliam, & Magnam Græciam populis leges dediſſe omnibus eſt in confeſſo; Sanxiſſe autem inter alia, ut Civium Filii literas diſcerent, conductis ad id è publico ærario Magiſtris ex Diodoro, & aliis conſtat. Quanta igitur animi contentione, quantoque ſtudio Civem ſapientiſſimum incubuiſſe putandum, ut in ſua quoque patria Academia excitateretur, atque excitata Candidatorum frequentia, Profeſſorum vigilantia, omnium ſcientiarum cultu floreret? Laurentius Beyerlinch Theatri Author (*a*) *In Italia*, ait, *primum occurrunt Thurii, quorum Legislator magnus ille Charondus inter alia ſancivit, omnes Civium filios diſcere literas; & ne fortaſſis pauperes inopia non poſſent, ut à publico Civitatis ærario honoraria præceptoribus ſolverentur, decrevit*. Hinc merito vetuſtiores recenſens Academias olim in Italia illuſtres de noſtra ſubdit: *Catanenſis Schola celebris in Sicilia, in qua Steſichorus ingenii cultum cœpit*. Cujus ſententiæ ſubſcribit Mongitorius (*b*) de Steſichoro ſcribens: *Ineunte ætate literis operam dedit in Catanenſi Gymnaſio*: Vivebat porro Steſichorus Phalaridis Tyranni ævo Olympiade circiter L. obiit enim Euſebio teſte in Chronico, ſeptuagenario major Olympiadis LV. anno primo. Steſichorum denique Catanæ ſtipendia literis feciſſe Phalaris ipſe, litis dirimendæ de ejuſdem exuviis inter Catanenſes, & Himerenſes judex delectus, definit, Gregorio Gyraldo Authore *de Poetis Illuſtribus* (*c*) Huc facit, quod alibi diximus, Catanam ſcilicet ſuo inco-

(*a*) *Tom. 1. verb. Academ.*

(*b*) *Bibliot. Sic. tom. 1 f. 241.*

(*c*) *Dial. 9.*

latu decoraſſe Xenophanem, Pindarum, Empedoclem, Platonem. Quid quod Pindaro ipſi (a) Urbs noſtra nedum ab opibus, equeſtri militia, florentiſque populi frequentia, verumetiam ab eruditione inſignis celebratur? Quo ſanè titulo; credere par eſt, Catanam cohoneſtaſſe Poetam; ob publicam in ea diſciplinarum culturam.

(a) Ode 9. in Nemeis.

Cæterum an Marcellus, quod olim fuerat inſtitutum, inſtauraverit, auxeritque Gymnaſium, an ſuum de novo conſtruxerit, incertum. Plutarchus inter opera à Marcello Diis dicata Catanenſem refert Academiam, quaſi non inſtituerit, ſed Numini cuipiã illam dicarit, dum inter bellorũ procellas deperditam inſtauravit, quod eruditè obſervat Hjacinthus Paternionius in laudata ad Jovialium Cœtum Oratione. Perſtat igitur integra Urbis noſtræ gloria, quam ſibi nedum ab armis, ſed à doctrinæ quoque ſplendore priſcis temporibus comparavit.

Spectabantur olim Gymnaſii rudera extra Urbis mœnia ad Auſtrum in area, quam *Caſtelani viridarium* vulgo dicebant, hodie Aetnęis lapidibus obruta, in qua circa annum MDCCXXIV. quum puteum effoderent, columnarum veſtigia, atque ędificiorum fragmenta operarii detexere. Stetiſſe Gymnaſium hoc ad Friderici II. Rom. Imperatoris, Siciliæque Regis tempora putat Groſſus, ab eoque direptum affirmat. At quum innumeras paſſam fuiſſe clades Siciliam ante Fridericum ſatis conſtet, & maximam Sæculo octavo per Saracenos, qua in direptionem omnia ſunt poſita, ac litterarum cultus per Inſulam univerſam à barbaris omnino extruſus, id firmare non auſim.

Alphonſum Siciliæ Regem cognomento Magnanimum, Romanumq; Pontificem Eugenium IV.

anno

anno MCCCCXLIV. Academiæ noſtræ Authores, atque antiquę Inſtauratores ex Pontificio ſimul, ac Regio diplomate habemus. Rem verò promovit Joannes de Primis Catanenſis, Benedictino-Caſinenſis Abbas, Apoſtolicus in Sicilia Legatus, Patriæ ſuæ Pontifex, demumque S. R. E. Cardinalis. Hic ab Eugenio, cui percarus erat, facultate impetrata, ut *ad inſtar* Bononienſis Academiæ tunc temporis celeberrimæ, Generale Scientiarum omnium cum humanarum, tum divinarum Catanæ Gymnaſium ſiſteretur ex Litteris Romæ ſignatis x. Kalend: Maii, illas Alphonſo Regi firmandas obtulit. Annuit munificentiſſimus Princeps in Caſtronovo Neapolis IV. Kal: Junii ejuſdem anni dato Privilegio; quod ſequenti Kalendis Junii novo diplomate fulſit, ac Profeſſoribus honorarium ſatis congruum attribuit. Hæc ſuo loco uberius jam expendimus, hìc indicaſſe ſufficiat.

VII. AMPHITHEATRUM.

Rotundum erat ædificium ex duobus Theatris è regione commiſſis, atque conjunctis confectum ſpectandi uſum circumquaque præbens; cujus generis Catanę in Area Steſichorea hodie ab Acis porta appellata ex Aetnæo quadrato, ſolidiſſimoque lapide extitit celeberrimum. In eo venationes, ac ferarum pugnas, Gladiatorum ſpectacula, atque id genus alia Veteres exhibebant, apertiſque non raro euripis, navales ludos edebant. Id quippe in Romanis Amphitheatris ſæpius uſurpatum ad Naumachias invenio, quod ipſum fieri in Catanenſi, ampliſſimi lateritii ſiphones, eo ducentes evincunt, ut paullò ſuperius indicavi de Aquæductibus diſſerens. Columnis porro Numidici marmoris vulgò *Granito*, porticibus,

porticibus, atque elegantiſſimis ſtatuis hoc noſtrum fulſiſſe ne dum traditio docet, ſed ipſa etiam fragmenta detecta demonſtrant, quorum aliquot penes antiquitatis ſtudioſos nuper effoſſa aſſervantur; Caput nempe Parii marmoris, ac pes, prægrandis ſimulacri fruſtra, aliaque id genus. Integra etiam columna, quum ad novi Valetudinarii conſtitutionem humum foderent, detecta, cui proinde veluti firmiſſimo fundamento ſuperſtructa moles ædificii. Aliæ ad majoris Baſilicæ ornatum à Rogerio Comite adhibitę, complures denique hàc illac diſperſæ in fruſtra redactæ, frequenterque ab Antiquis, magnâ jacturâ, ceu firmum, ac ſolidum fundamentum domorum ædificiis ſubſtratæ. Coronidis partes Thuſci operis, ac fornicum demum rudera per totam omnino aream occurrunt, quos vulgus Quintiani Cryptas appellat; Proconſulari enim Palatio, ubi Quintianus habitabat, adhærebant.

Celebratur Catanenſe Amphitheatrum ombus fermè rerum Sicularum Scriptoribus, Maurolyco in Comp. *Hiſt. Siculæ*; Aretio *de Situ Siciliæ*; Pirro in notitia *Catan: Eccleſię*; Blundo, Archangelo, Bolano, ac Fazello (*a*) quem neſcio, an jure ſugillat Groſſus, quod *Antiquiſſimum Theatrum* appellarit. Spartianus enim in *Adriano* Amphitheatrum Trajani ab Adriano deſtructum Theatrum appellat, ut & alii frequenter uſurpant, quod adnotavit Pitiſcus (*b*) Memoratur denique Scipioni Maffeo in ſuo de Amphitheatris aureo opuſculo, ubi unum præ aliis Siculis effert Catanenſe. Præſtat tamen præ omnibus Bolanum audire: *Servabant & animi gratia Catanenſes, ut & Romani, dies quoſdam ſuos faſtos, in quibus ludos eiſdem dicatos exercebant*

(*a*) *Dec.1.l.3.c.4.*

(*b*) *Lexico Ant. Rom. tom. 1.*

in

in Amphitheatro; quod in campo Steſichoreo, ubi nunc Steſichorea Porta, Acis vulgo nuncupata cernitur. Gradus habebat à primo ſolo, ut illud Veſpaſiani Romæ, *ſurgentes; Cameras adhuc ſuperſtites multas (Antra vulgus appellat) circuitum ſoli manifeſtiſſimum auſtralem dumtaxat partem ſuperſtructis Urbis mœnibus contectam partis ejuſdem latitudinem domibus obrutam, exploratiſſimum vero in campo, & verſus Aquilonem, Oriens, & Occidens, ubi veſtigia centum pedum diametri huc uſque conſpiciuntur.* Subjicit dimenſiones, ex Amphitheatro Veſpaſiani petitas; ſed an Catanenſe huic omninò reſponderit, incertum. Concludit denique: *Erant in girum, quibus in Amphitheatrum conſpecturi ferebantur portæ pedibus decem & octo latæ, triginta ſex altæ, ſuis inſignitę fornicibus, ad ſolum uſque cameratæ, ſexaginta, parietibus mediis pedum ſeptem diſtinctæ, artificioſiſsima proportione erectæ; quibus minores totidem non abſimiles gradibus ſpectatoriis ſubjacentes ſupererant, donec altitudo æquo reſpondens exurgeret. Quingentos circiter annos ab Angerio Epiſcopo dirutum eſt, ut Divæ Agathæ Comitis* Rogerii *ſumptibus ſtrueretur ædes, cujus, & gratia Theatra ruinam experta ſunt; quamvis non quantum Amphitheatrum, cujus ſola ferme planta cernitur.*

Juxta Archangelum externa Amphitheatri periferia Ulnas CL. habebat, interna verò XC. circiter, diameter quinquaginta. Petrus autem Carrera, qui exactiſſimè eamdem aream dimenſus eſt, ad ulnas XXXIV. circiter diametrum contrahit, ſuoque ævo tantæ molis veſtigia per circuitum extare, graduſque aliquot ſuperſtites ſe vidiſſe ſcribit. Idem ex Argenidis continuatæ

Scriptore

Scriptore Chalcidenſibus Catanæ Amphitheatrum attribuit; ſed nata hujuſmodi ædificia nondiu ante Romanę Reipublicę deſidentis tempora credit merito Lipſius (a) neque ab initio lapidea, ſed lignea, ac temporanea in Campo Martio extructa. E lapide primum ab Statilio Tauro exædificatum Roma vidit anno ſui ortus DCCXXV. ſub Auguſto, Svetonio teſte in ejus vita, Dione Caſſio lib: LI. Lipſio, ac aliis. Monumenta porro hæc penes Gręcos extitiſſe numquàm, Urbeſque Gręcanicas Amphitheatris caruiſſe obſervat laudatus Maffeus, idque perquàm ſatis conſtare Eruditis affirmat. Et ſi quę in illis memorantur, non ante Auguſti ætatem inſtituta, dum ſcilicet illæ Romano jure viverent. Hinc idipſum de Catanenſi dicendum: Circa Auguſti tempora ortum nempe habuiſſe. Valdè enim vero ſimile eſt, ut obſervat Pitiſcus, ab Urbe matre exemplum manaſſe ad ſubditas, & minores, quàm è contra. Authorem porro ipſum cognoviſſe Auguſtum quiſpiam putaverit, quod deductam ab eo Romanorum Militum Coloniam, ac conſtitutam Catanæ ſatis ex Strabone, Dione Caſſio, & Vellejo Paterculo conſtat; deductas verò ab ſe Colonias per Italiam variis operibus Auguſtum inſtruxiſſe Svetonius laudatis locis enarrat.

(a) *De Amphit. cap. 5.*

Verum Scriptores gentici Carrera, Groſſus, Archangelus, Bolanus Romanis longè anteceſſiſſe Catanenſe Amphitheatrum affirmant; idque dudum peculiari diſſertatione ad Jovialium Academiam habita multis aſſeruit Erudititiſſimus Hyacinthus Paternionius Caſtellus, illud inter alia proferens argumentum, quod Theodorici Gothorum Regis ævo, qui annis circiter CCCCL. Auguſto poſterior, longa vetuſtate collapſum noſtrum

ſtrum dicitur Amphitheatrum; quæ enim longa vetuſtas, ac tantæ moli diruendæ par, ſæculum vix quartum excedens? Rogerii Comitis opus Catanenſis Baſilica, nec firmior veteri Amphitheatro, nec certè ſolidior, & validiſſimis nihilominus terræ concuſſionibus ſemel, ac iterum appetita pene integra poſt ſex ſæcula perſeverat. Anno enim MCLXIX. ingenti terremotu, cujus meminit Falcandus, fornicem tantum amiſit; ex alio horribiliori de anno MDCXCIII. corruit quidem navis contignatio, ex cujus ruina parietes affecti, ſed Abſis, Sacrarium, ac lateraria ſacella integra omnino adhuc perſtant. Quid quod ab Auguſto ad Theodoricum ædificiorum clades Catanę ab Hiſtoricis memoratur nulla? Illa enim ſub Decio, quo die paſſa eſt inviƈtiſſima Chriſti Martyr Agatha, ab Notariis Actorum ſcriptoribus adnotata duos tantùm Proconſularis Palatii parietis affecit, quorum ruinâ Quintiani familiares oppreſſi dicuntur; ſiluiſſe autem Notarios Amphitheatri excidium, ſi factum fuiſſet, nemo ſanæ mentis crediderit. Circa annum cccc xx. ſub Gręcis Imperatoribus Aetna exarſit, ut Photius ſcribit (*a*) ſed an præceſſerit incendium aliqua terræ concuſſio, incertum. Eam, ſi tanta fuiſſet, unde ingens illud ædificium labefactaretur, nec Photius ipſe, nec Author unde exſcerpſit diſſimulaſſent. Denique in ſupplici ad Theodoricum libello id Catanenſis Senatus innuiſſet, quum fuerit eodem ſęculo porrectus. At contra nimię vetuſtati in illo molis ruina tribuitur, ut ex Regio Reſcripto colligimus. Longo igitur annorum curſu ipſa Auguſti tempora noſtrum pręceſſiſſe Amphitheatrum concludit. Quę ſanè, quum nec citra rationem ſint, nec conjectura inani promantur,

(*a*) *Bibl. lib.* 72

Eruditorum judicio ſubmitto, ut de tantę molis vetuſtate æqua lance decernant.

Cæterum Theodorico jam laudato Ghotorum Rege Siciliam moderante, Catanenſis Amphitheatri ne dum ſaxa vetuſtate collapſa lego apud Caſſiodorum(a) ſed & nihil publico ornatui illud prodeſſe, ſolaſque turpes ruinas oſtendere invenio. Hinc facultas ab eodem Rege Senatui, Populoque Catanenſi attributa, ut in uſum Urbis mœnium inſtaurandorum ejus cederent rudera; Quod circa ſæculi v. finem, aut vi. initia accidiſſe ſuo loco oſtendi. Reliquias, quæ ſupererant, Rogerius Comes maximo Templo extruendo adhibuit Sæculo xi. ſublatiſque variis è marmore Numidico columnis ſacram ędem concinnandam curavit.

(a) Lib. 3. Var.

VIII. PROCONSULARE PALATIUM.

In eodem Amphitheatro Romanos Prætores Curiam habuiſſe, ibique Quintianum Siciliæ Proconſulem, ſub quo Beata Agatha martyrium paſſa, diverſatum vulgo cenſent; hinc ejuſdem Virginis Ergaſtulum, quod hodie integrum, illudque S. Euplii Amphitheatro concluſa adſtruunt. Verumenimvero nullibi legiſſe memini Viros Principes ſibi in Amphitheatris ſedem ſtatuiſſe, ac domicilium. Quod attinet ad S. Euplii carcerem, non inficior ejuſdem molis partem fuiſſe; ima enim Amphitheatri cavea, cui ille reſpondet, equeſtria continebat, ac feris cuſtodiendis addicta, Chriſtique fidelibus nonnunquam in odium religionis deputata. Sed Divę Agathę Carcer, utpote ſitu nimis elatior ad Proconſulare Palatium omnino ſpectabat, quod Amphitheatro proximum ſtatuo, eoque in loco, ubi nunc Fratrum Minorum, quos de Obſervantia vocant, Cœnobium, atque olim Cathedralis Eccleſia ſita.

Ingentia quidem ædificiorum veſtigia prope eumdem Carcerem nuper ſolo ęquata, ob ſitus eminentiam Proconſularium ędium pars dubio procul credenda, ad quas pertinuiſſe etiam gradus è marmore ſuſpicor, in quos paucis ab hinc annis foſſores inciderunt, dum pro fundamentis domus Principis Ceramenſis terram foderent; quandoquidem, ad Amphitheatri molem neutiquam ſpectare illud evincit, quod gradus ex atro Ætnęo lapide hanc habuiſſe conſtet; ad Proconſulis verò Palatium aſcenſum olim prębuiſſe, non erit incongruum conjectare; Illud accedit, quod abſciſſas eo in loco caſtiſſimę Virgini Agathę tenellas mammas impii Pręſidis juſſu traditione habeamus, ibique de crudelitate Tyrannus ab eadem coram objurgatus, in femina abſcindere, quod in matre ſuxiſſet, credatur. Quum Virginis aliunde amore deperiret, ac ſibi ab civibus, & nobiliſſimis ejuſdem contribulibus timendum ſciret, illam extra Palatium torqueri, ac denudari, neutiquam permiſiſſe certo certius putandum.

Hac itaque in re, cum Vulgi opinionem, tum Scriptorum ſententiam ita interpretandam putaverim, dum in Amphitheatro Proconſulis ſedem ſtatuunt.

Carrera ex Bolano Palatium Proconſulare in regione Curſus extitiſſe credit, idque ex ingentibus ruderibus, ac teſſellatis pavimentis, quę paſſim, ut olim, ita noſtris etiam diebus occurrunt, eruit. Quid tamen ſolidi fundamenti hæc ejus non inanis, ut ait, conjectura habeat, prorſus non video; quum & alia æquè celeberrima Urbis Procerum Palatia referre illa ædificiorum veſtigia poſſint. Nullà aliunde, aut traditio, aut vulgaris opinio eodẽ loci Proconſulis alicujus domi-

cilium ſtetiſſe refert. Contra in S. Agathę veteris Cœnobio, ac viciniis Quintiani ædes vulgò ſtatuunt, fornicesque ſemidirutos eidem proximos Quintiani Cryptas, ut diximus, appellant.

Illud hìc demum ſubjiciam, quod penes cives omnes circumfertur, ex eodem nempe Proconſulari Palatio, aut fortaſſe ex imis Amphitheatri caveis longam pertendi viam ſubterraneam ad Theatra, de quibus mox diſſeram. Eam plerumque occupare humum noſtris hiſce diebus, ſed ante annum MDCXCIII. fuiſſe permeabilem, affirmant etiam Viri graves, ac Eruditi, à quibus didici.

IX. THEATRA.

Græcę fuiſſe inventionis Theatra, ubi ſpectacula, ac ludos populus contemplabatur, tradit Caſſiodorus (*a*) ac primo quidem tumultuaria, & lignea, quę ſolvi facilè poſſent, ubi ſpectaculorum dies exiſſet, Athenis condita, mox lapidea. Imitabantur hemicycli figuram, ſedesque ad curva latera ſenſim creſcentes, ut ſpectandi licentia pluribus indulgeretur, habebant. Duo, & quidem ſeſe tangentia è nigro quadrato lapide habuit Catana Theatra in ipſo pene Urbis centro, quorum extant adhuc prope S. Auguſtini Cœnobium ruinę ingentes, ac integræ concamerationes, civibus hodie commoda præbentes habitacula. De illis ſic Bolanus: *Theatrum alterum parvum juxta D. Auguſtini Templum maximam ſui partem, vel invitis objicit; Extant enim adhuc integrę in aperto cum cameris portæ undecim, gradus interni plures quam quadraginta. Sunt portæ pedibus novem latæ, ac viginti tribus altæ, lapideum cingulum medium habentes, mediam portam interſecans, cum ſuperjacente continuo in*

(*a*) *Var. lib. 4. 51*

gyrum

gyrum ornatu, a quo in ſolum pedes XXVIII. *numerantur, ab huc autem ad ſupremum terminum pedes ſexdecim, ut ſit quadraginta quatuor pedum altitudo. Proximum huic, & fere contiguum multo majus eſt, cujus integer ferè circularis ambitus inſpicitur; caput alterum orientale ſub excelſa turri Miliſindi cernitur, alterum verò Occidentale prope Portam mediam; diruta poſſidet omnia conſpicua; at infernæ cameræ integrę domibus in gyrum ſuppoſitis ſubjacent, quarum quaſdam alii in hortum, alii in cellas vinarias, alii tandem in habitacula converterunt*. Et paullo poſt: *Non eſt in hoc, qui fodiat, cui marmorearum ſtatuarum partes non fiant obviam, ceu capita, manus, pedes, quorum Ego ſum particeps à pluribus effectus. Extant hic ſepultæ columnæ candidiſſimo marmore ſculptę, una præſertim, cujus baſis ornatu Corinthio inſignita in atrio domus Fimiæ viſitur, & id genus innumera, quibus non mediocri nitore Catana fulgebat.... Minoris autem Theatri murus rectus parum diſtans in via cernitur*.

Hæc, ut à Bolano deſcripta, oculis hodie contuemur; vix enim pauca poſt Terræmotum ſępius memoratum immutata, cujus ingens vis firmiſſimę molis ſoliditatem nullimodè affecit, nobiſque tam illuſtre vetuſtatis monumentum ſervavit. Illud ſubjiciam firmandis Bolani verbis: Fornices nempe integros quotidie effodientibus occurrere, atque interdum caveas, in quibus lapidea vaſa, columnarum fragmenta, baſes, epiſtylia, atque id genus alia inventa; ut hyperbolim ſapere neutiquam videantur, quæ ex Blundo refert Carrera (*a*) Structura ſcilicet, atque operis architectonici marmorei concinnitate, & magnitudine

(*a*) *Lib.* 1. *cap.* 40

tudine duo hæc Theatra reliquas totius pene Siciliæ moles longè exceſſiſſe, ibique curiam, conventuſque, perſępe Magiſtratum celebraſſe. Quod Gręcis ſollemne, ut Tullius, Tacituſque produnt, innuitque Auſonius (*a*) *Et Atticis quoque*

(*a*) *Lud. Sapien: Prol. v. 6.*

Quibus Theatrum Curiæ præbet vicem.

Originem denique quod attinet, putaverim maximam noſtra hæc Theatra præſeferre vetuſtatem. Urbs enim Catana Græcis legibus ab initio poſt Siculos exactos utebatur; conſtat autem Gręcanicæ fuiſſe conſuetudinis Theatra, multo ante quàm Romæ inſtituerentur. In Urbe enim inchoata fuere publicâ Cenſorum authoritate à M. Valerio Meſſala, & C. Caſſio anno DXCIX. ſed lignea, primumque lapideum Cn. Pompejus Magnus conſtituit. Cui Catanenſia dubioprocul omnino præferenda. Ludi Agonalis in Catanenſibus Theatris olim celebrati extat memoria in lapide Græcè inſcripto, quem loco ſuo dabimus, ubi eximii cujuſdam Agonothetę, ſive Agonalium Pręfecti virtus publico Civitatis decreto extollitur.

X. ARCUS.

Honoris, ac Virtutis ergò iis, qui ſingulares Patriæ pepererant victorias, Arcus erectos invenio, ac primum rudes ſimpliceſque, quum præmia virtutis eſſent, non lenocinia vanitatis, mox trophæis, ac Victoriæ monumentis ornatos. Eorum forma ſemicircularis ab initio; luxu deinde creſcente quadrata, quales erant Romæ complures. De Catanenſibus agit Bolanus, duoſque, quorum extabant reliquiæ, accuratiſſimè deſcribit. Ex illis alter Quadrifrons poſt divæ Marinæ emporium, ac templum pedibus XXII. in longitudinem, ac latitudinem patebat, ut ex ruderibus in vico proximo tunc obviis eruit; ſed cuinam

fuerit

fuerit dicatus ſe neſcire ingenuè profitetur. Archangelus autem, & ex eo Carrera, & Groſſus illum ſtrenuiſſimis Equitibus Symmitrio, Ptiphoni, & Phaſanidę Tyrannidis extinctoribus ab Senatu, Populoque Catanenſi poſitum tradunt, ut prodit inventus ab eodem Archangelo lapis, de quo inferius, ubi nomina, reſque eorum geſtas exprimi affirmat.

Alter ejuſdem Bolani ætate pene integer ſub Sanctæ Catharinæ Templo ſitus bifrons, marmoreo circulo decorabatur; lapideus infra, in parte verò ſuperiori lateritius, maximo artificio, miraque concinnitate exurgebat ab Ortu ad Occaſum pedes XLVIII. ab Auſtro ad Aquilonem LXXX. productus, biniſque inſtruebatur portis aditum civibus utrinque tribuentibus, quarum una Orientalis marmorea Corinthio ornatu reſiliens, Occidentalis alia diruta, atque incompta. *Cui autem fuerit dicatus* {inquit Bolanus} *marmorea tabella, aut ſtatua in orientali arcus vertice Ætnęo quadrangulari hodie fracto ſuperſidens, explorabat, at utriuſque defectus rem obſcuritate donavit.* Vulgaris nihilominus olim fama, increbuit M. Marcello Romano Conſuli poſt captas Syracuſas Catanam reduci ab Civibus in grati animi monumentum fuiſſe erectum, atque hodie etiamnum ingentes reliquias in Vico curſus, ac ſub Eccleſia S. Martini extantes Marcelli Arcus appellant. Subdit Groſſus (*a*) veterem firmare opinionem inventum ejuſdem Marcelli caput marmoreum, quod ad majorem S. Agathæ ædem olim translatum, laudati Bolani teſtimonio, uſque ad Ferdinandi de Vega tempora in veteri turri ſub lapideo pileo perſeveravit, ejuſdemque Ferdinandi precibus Petro Murabito Meſſanenſi Cytharedo cele-

(a) *Tom.2.decur. cor.6. mod.7.*

celeberrimo, atque antiquitatis ſtudioſo fuit donatum. Crediderim porro Marcelli ſtatuam Arcui, quem deſcribimus, fuiſſe impoſitam, cujus pars caput illud eſſe potuit; quamvis Bolanus in majori Theatro ſitam Marcelli ſtatuam, ex eodem capite adſtruat. Symmitrii, ac ſociorum Arcum habes apud Groſſum, quem conſule, si lubet.

XI. OBELISCI.

Inter præclara vetuſtatis monumenta, quæ per Siciliam univerſam demiramur, principem ſanè locum ſibi vindicat Catanenſis Obeliſcus, ſeu verius Columna Hieroglyphica, haud tantæ quidem molis, ut queat Romanis majoribus comparari, ſed arcanis hominum, avium, ferarum, piſciumque etiam alieni mundi imaginibus adeo eleganter literata, ut poſſit paucis ſecunda meritò cenſeri. Eſt ex duriſſimo lapide Syenite, vulgo *Granito* rubro Orientali, de quo Plinius, (*a*) qui circa Syenen Thebaidis Urbem naſcitur, ac variis maculis igneis preſertìm conſperſus alio nomine Pyrrhopæcilon vocatur. Ex guttis, ſeu maculis quędam vitrum pellucidum, ſive aerem craſſiorem referunt; nonnullę aquas ceruleas imitantur; ac demum aliæ telluris colorem repræſentat; adeout in uno lapide quatuor elementa; & Oſiridis, ſive Solis, cui Obeliſci ſacri erant, in quatuor Elementa dominium ſignificetur, ut Clariſſ: Kircherius obſervat (*b*)

Habet latera octo, prorſus æqualia, ita tamen, ut nota quælibet hieroglyphica binis lateribus reſpondeat, eſtque in utroque extremo tum infernè ſcilicet, tum supernè imminuta, ut ſatis produnt dimidiatæ figurę, infernę preſertim; de ſupernis enim anceps ſum animi, an arte,

(*a*) Lib. 36. cap. 8

(*b*) De Obeliſ. Pamph. l. 1 c. 5

caſu fuerint decurtatę; potius enim ex induſtria ita videntur effictæ. Habet porro palmos XIV. altitudinis; at quum diametros ſit bipalmaris aliquanto longior eſſe debuit.

Ubinam porro fuerit olim locata, an ex Ægypto Catanam translata, ut credit Carrera, & quidem antequam ſuum Auguſtus Obeliſcum Romam inveheret, an verò à Catanenſibus inſculpta, atque Ægyptiorum more literata, ambigitur. Id inconcuſſum, vel ex hoc uno lapide Catanę vetuſtatem, atque inſignem magnificentiam præ aliis totius Inſulę Civitatibus colligi; nullibi enim id generis opus occurrit, ut jure optimo, vel ipſiuſmet Urbis, quę mundi Caput eſt, ac Princeps, æquare gloriam videatur.

Extat alterius etiam columnæ, aut Obeliſci Ægyptiis characteribus exſculpti fragmentum palmorum quatuor ex eodem lapide; aliorumque fruſtra ſeſe vidiſſe teſtatur Archangelus, quæ hàc illac diſperſa ſub ædificiorum ruinis hodie omnino latent. Duo ſuperſtites Civium incuria diu abſque ullo honore jacuerunt; ſed anno MDCLXXVII. ante Senatorii Palatii atrium ſtatuuntur; è terręmotus deinde ruinis poſt annum MDCXCIII. erutos lapides aliquandiu proſtratos vidimus; ſed major hac noſtra ætate è conſpectu ejuſdem Palatii in Principis Templi area, marmoreo elegantiſſimo ſtylobati fontibus hinc inde ornato, Elephantoque haud minoris pene vetuſtatis monumento, incumbit. Alter porro lapis in atrio publicæ Academiæ ſtatuendus.

Obeliſcos, columnaſque hujuſmodi Ægyptiis authoribus Orbis primum ſuſpexit; atque ante alios, teſte Plinio laudatis locis, Mitres Rex inſtituit, qui in Solis Urbe regnabat. In his gens

ingenio præſtans Regum ſuorum egregia facinora, ſubditas gentes, commiſſa prælia, victorias, cenſus, tributa, atque id genus alia hieroglyphicis figuris, quę literarum loco illi erant, adnotabat.
(a) Ann. lib. 2. *Primi Ægyptii*, inquit Tacitus (*a*) *per figuras Animalium ſenſus mentis effingebant*. Et Germanici iter per Ægyptum deſcribens ait: *Mox viſit veterum Thebarum magna veſtigia, & manebant ſtructis molibus literæ Ægyptiæ priorum opulentiam complexæ; juſſuſque è Senioribus Sacerdotum patrium ſermonem interpretari, referebat: habitaſſe quondam ſeptingenta millia ætate militari, atque eo cum exercitu Regem Rhamſen Libya, Æthiopia, Mediſque, Perſis, & Bactriano, & Scytha potitum . . . . Legebantur, & indicta gentibus tributa, pondus argenti, & auri, numerus armorum, equorumque, & dona templis, ebur, atque odores, quaſque copias frumenti, & omnium utenſilium, quæque natio penderet*. Nec
(b) Lib. 1. cap. 1. aliter Diodorus, (*b*) qui de Seſoſtre Rege differens ſcribit: *Duos præterea Obeliſcos, ex duro lapide, utrumque altum cubitis centum viginti, in quibus tum imperii magnitudinem, tum multitudinem vectigalium deſcripſit. Addidit, & quas ſubegit nationes*. Plinius denique *Trabes ex eo* (lapide Syenite) *fecere Reges, quodam certamine, Obeliſcos vocantes, Solis numini ſacratos, Radiorum ejus argumentum in effigie eſt, & ita ſignificatur nomine Ægyptio. Primus omnium id inſtituit Mitres ſomnio juſſus, & hoc ipſum ſcriptum eſt in eo; etenim ſculpturæ illæ, effigieſque, quas videmus, Ægyptiæ ſunt literæ*.

Quod porro ex his lapidibus alii Obeliſci, Radiorum inſtar fuerint, alii verò columnas imitarentur, atque in Deorum ædibus paſſim locati,

illius

illius gentis ſacros ritus, leges, aliaque hujuſmodi arcanis characteribus exprimerent, teſtatur Franciſcus Patricius, (a) *Conceptus animorum acceptos ſcribebant, uti occulta fide legimus, in lapides per figuras, idem in omnibus ſcientiis, artibuſque facientes, quos locabant in Templis tamquam paginas perlegendas, taleſque aderant pro libris eis utenſiles*. Quod idem figuræ ipſæ in Catanenſi Columna expreſſę ſatis etiam oſtendunt; Vir enim, certè Princeps, ut ex capitis ornatu eruimus, dextero ſubmiſſo genu Bovem, ſive Apim Ægyptiorum celebre numen adorat, ſymbolumque religioſi cultus exhibet. Sphinx quoque olim præ foribus templorum apud Ægyptios tamquam Sapientiæ inditium, locari ſolita idipſum innuit, reliquaſq; figuras dubio procul, effictas ad ſacros gentis illius ritus ſignificandos credimus. Columnæ Ectypum in hujus Capitis calce dabimus, hìc Epigrammata, quæ circa ſtylobaten, cui Columna inſidet, hodie leguntur, ſubjicimus.

(a) Lib. 14. c. 14.

D. O. M. *Carolo Borbonio Rege. Obeliſcum Arcanis Ægyptiorum notis diſtinctum, inter præcipua Siculæ vetuſtatis monumenta facile principem, Patriæ magnificentiæ, avitæ Religionis, atque initialis Minervæ Symbolum S.* P. Q. *C. ut Priſcis honorem, Præſentibus ſtimulum, Poſteris memoriam, erigendum curavit Anno* MDCCXXXVI.

Aliud D. O. M. *Vetus Catanæ Inſigne Elephas, ab Æquitate, Prudentiâ, Docilitate, Urbem Clariſſimam, ejuſque Cives commendat. Hoc ut lateret neminem, ejuſdem ex Ætneo lapide ſimulacrum Heliodori olim præſtigiis celebre S. P. Q. C. docto oneri ſubſtratum voluit Anno* MDCCXXXVI.

Sub Amenani ſimulacro Diſticon.

Nunc fluit, interdum ſuppreſſis fontibus aret; (a)
Aſt huc perpetuas fert Amenanus aquas.

(a) Ovid. Metam. Lib. XV.

Sub Symethi verò ſtatua aliud:

Nomina Rex olim tribuit mihi clara Symethus; (b)
Hic mea, ſed poſthac clarior unda fluet.

(b) Ex Serv. in Æneid. Virg. Lib. IX.

XII. ARCES, MŒNIA, PORTÆ.

Triplici muro circumdatam Cyclopum opera, turribuſque firmiſſimis vallatam Urbem Catanam Scriptores gentici ex Diodori Epiſtolis vulgarunt; Turres Libycorum armis vaſtatas, tresdecim ſupra centum talentis impenſis, Catanenſes ſplendidius reſtituiſſe etiam ſcribunt, quarum extare rudera ad Aquilonem in regione illa vulgo *Cibalis* appellata Archangelus affirmat. Quid actum priſcis illis temporibus, ſilente hiſtoria, me neſcire fateor.

Mœnia habuiſſe, & quidem muniti ſſima Urbem noſtram ex Diodoro Siculo in Bibliot. (a) eruo, ubi militibus Athenienſibus Urbis ingreſſu prohibitis, Duces eorum cum parva manu Catanenſes admiſiſſe ſcribit; quumque Alcibiadi pro roſtris loquenti Populus univerſus, parum curata portarum cuſtodia, adſtaret, evulsâ tandem per vim valvâ, milites Athenienſes in Urbem irrupiſſe refert, eamque ad belli ſocietatem adduxiſſe. Perſtiterunt hæc ad Pompejana uſque tempora, mox à Sexto Pompejo Magni filio labefactata à Cæſare Auguſto, ut Strabo videtur innuere (b) in priſtinum ſplendorem ſunt revocata. Sub Theodorico rurſus Gothorum Rege Italiæ, ac Siciliæ

(a) Lib. 13.

(b) De Situ Orb. lib. 6.

ciliæ Domino refectos Catanæ muros lapidibus ex Amphitheatro longa vetuſtate collapſis apud Caſſiodorium invenio; ſub Totila verò Catanam mœnibus exutam dicit, proditque Procopius (*a*) de Spino quodam Totilę Quæſtore loquens Catanæ ab Romanis capto, ut ſuo loco expendi.

(a) *Belli Goth. lib. 3. cap. 40.*

Saracenis Urbs noſtra reſtitit ad annum CMLXXV. quo Meſſanâ captâ, & ipſa demum in hoſtium poteſtatem pene ultima inter Siculas Arces venit; quod ſanè facinus mœnibus, propugnaculiſque munitam arguit. Iterum tamen Henricus VI. Romanorum Imperator, ejuſque Filius Fridericus Sicilię hujus nominis Primus ſolò ferè exæquarunt; Arcemque in ea Fridericus poſuit, quam Urſinam appellamus. Alter deinceps Fridericus Aragonius mœnibus turres addidit, quarum rudera ad Septentrionem, æſtivumque Occaſum ſupereſſe videmus. Carolus denique V. Cęſar muris, ac propugnaculis firmiſſimis, Joanne Vega Siciliæ Prorege curante, Civibus verò certatim opes ſuppeditantibus, munitiſſimam undique, ad oram præſertim maritimam reddidit.

Arcem porro, cujus ſupra meminimus, ad maris littus à Friderico I. excitatam, quæ noſtris adhuc diebus perſeverat, Cereris Saturniæ ſuperſtructam non immerito cenſent Archangelus, Carrera, & Groſſus; hanc enim eo loci ſtatuit expreſſis verbis Cæſar Piſcis, qui Catanæ Hiſtoriam Sæculo xv. ſcripſit, memoratque Saturniam antiquiſſimum Urbis noſtræ munimen, primos Catanæ incolas authores habuiſſe; in cujus ergaſtulo, ut fert traditio, Sancti Martyres Vaſcones Alphius, Philadelphus, & Cirinus, quum Tauromenio Leontinos Tertulli Conſularis juſſu ducerentur, per totam noctem inſomnes, oran-

orantesque perſtiterunt. Id, quod eorumdem Sanctorum Martyrum Iconibus noſtra adhuc ætate ſuperſtitibus comprobari credunt. Eamdem hanc Arcem Carolus V. propugnaculis externis inſtruxit, cujus Sacellum Martinus Siciliæ Rex Sacerdotio condecoravit. Illud obſervat Silvagius (a) ex quatuor nempe turribus, quibus hinc inde Arx inſtruitur, duas ſibi vindicare Nethi Vallem, reliquas verò Vallem Demanæ, ſeu Nemorum; Hinc facultas penè in tota Inſula ſingularis, ex Regali indulto, ac privilegio, duo Vexilla Regiis Armis obſignata erigendi eidem Arci conceſſa: Nomen denique, quod ab Urſino adhuc retinet, ab illuſtri Matrona præclarâ Urſinorum familiâ progenita Arci inditum tradit Groſſus (b) Quod unde eruerit ignoro; à nullo enim alio id ſcriptum.

(a) Colloq. Trium Pereg. f. 169.

(b) Dec. Cat. t. 2. cord. 6. m. 1.

Aragonenſibus Principibus Siciliæ Regibus, qui Regni ſedem Catanę collocarunt, diu ceſſiſſe in domicilium Urſinam Arcem Hiſtorici produnt, ibique ſæpius celebrata Regni Comitia, ex eorum Actis colligitur. Quin etiam Caroli V. hoſpitio decoratam falsò vulgus credit. Laxiores ſanè aulæ olim integrę, nunc ex terręmotu labefactatę Regiam verè domum præſeferebant, cui proinde amęniſſimus ſitus ad Jonii maris oram venuſtatem augebat; hodie verò ex noviſſimo Ætnęo incendio ab anno MDCLXIX. nigris lapidibus penè ad horrorem vallatur.

Sed jam de *Portis*: Hæ veteribus omnino ſanctę propter Deorum ſimulacra, quæ in illis locabantur, quoſque ritu quodam religionis tranſeuntes ſalutabant. Ad portas, ut ex Ovidio alibi adnotavi Exequię Tumuli, Rogique; unde ſicubi veteres loculi, ac ſepulchra occurrunt, non

longè

longè Urbis Portas fuiſſe putandum. Igitur illa, qua Acim Opidum ádhuc Catanenſibus eſt iter, ab Steſichori eximii Poetę Sepulchro Steſichorea appellatur ab omnibus fermè Hiſtoricis, extra quam Sepulchrorum frequentiſſimus locus, ut dicemus. Hanc ſequebatur alia, ultra S. Dominici Cœnobium, cujus loco ſuffecta illa, quę Regis dicebatur, quòd Fridericum Regem habuerit Authorem, ante biennium ob proximam, quam minabatur ruinam, ſolo æquata. Occurrunt porro ad Occidentem intra Pomericum ingentia ædificiorum veſtigia, atque aquęductuum rudera, quę præ aliis frequentiorem hanc Urbis regionem arguunt, civibuſque, advenisque uſurpatam, in quorum commodum Portam fuiſſe reſeratam jure optimo affirmaverim, ſed de nomine, ac ſitu indicium nullum. Ad Meridiem erat Porta *Ariana* populis ex tot celebribus ad auſtralem Sicilię plagam opidis Catanam adventantibus maximè trita, de qua in Actis S. Leonis Pontificis; ſed unde illi nomenclatura hæc, nemini exploratum. Eam Syracuſanam viam Cajetanus optimè appellat. Frequentior etiam eſſe debuit ad eamdem oram Porta ad Hippodromum, Naumachiam Gymnaſiumque iter præbens, cui illa, quæ nunc à Decima nuncupatur, ſucceſſit. Hæc etſi hodie infrequens, vetuſtatem nihilominus omnimodam præſefert, ut ſatis rudera oſtendunt.

Portam maritimam prope Thermas ſtetiſſe cenſeo eodem ferme loco, aut prope, ubi hodie illa ab Joanne Vega, prope Antiſtitis palatium nomen habens. Hujus portæ valvas effregiſſe Athenienſes conjecto; per hanc adventantes è Byzantio cum Heraclide Duce milites Heliodorus Magus ad proximas balneas deduxit. Orientalis

demum

demum Portæ ſitus incertus, cui ſubrogata poſt annum MDCXCIII. *Lancea* ab Joſepho Lancea Camaſtræ Duce novæ Urbis moliendæ Præfecto nuncupata, quam brevi etiam loco movendam, utpote laxiori Urbis ſitui parum accommodam, credimus.

Porta Media locum hìc non immerito ſibi vindicat, de quà ſic Bolanus: *Porta Media non ea prodiit vetuſtate, qua cætera, ſed non indigna eſt memoriæ, per quam in Urbis medio Friderici tempeſtate erectam Cives omnes Imperatoris edicto cenſe transfigendi, locatis punctim enſibus utrinque duobus* { *ne Cæſareo verbo derogaretur; atque interim Imperatori in quolibet officii ſolio pro Pſalmis, & Orationibus prævijs aſtantium oculis: Noli offendere Patriam Agathæ, quia Ultrix injuriarum eſt, offerenti Domino obtemperaretur* } *illæſi pertranſirent, ſed hanc hodie rhedarum gratia diruere prorſus, ut ne veſtigium quidem inſpicias, niſi ſolum ſextæ Urbis parti nomen inditum: Il quartiero della Porta di mezzo*. Eadem habet Groſſus (*a*) in ſuo Decacordo ubi multis Friderici facinus, cujus Bolanus meminit, proſequitur, de quo nos etiam in Annalibus.

(*a*) Cord.6. mod. 10.

XIII. SEPULCHRA.

Veterum Sepulchrorum loca extra Urbem noſtram de ſitu ejuſdem differens alibi indicavi, ac infra uberius de iis nonnulla expendam. Hìc autem præcipuè illuſtrium Virorum Conditoria deſcribenda ſuſcipiam, quorum extat penes Scriptores memoria. Illudque præ aliis Piorum Fratrum occurrit in Agro Catanenſi, de quo etiam capite primo, ubi de illorum Statuis, ac Templo. *Duorum etiam Fratrum*, inquit Fazellus (*b*) *Sepulturâ, ac pietate Catana celebrata eſt*. Et infra,

(*b*) Lib. 3. dec. 1. cap. 1

infra, poſtquam illuſtre eorum facinus commendaſſet, ſubdit: *Qua virtute, ac miraculis commendati Adoleſcentes, poſt obitum eorum Catanenſes Regia magnificentia monumentum erexerunt, regium perpetuum nomen indidentes. Piorum namque Campum eum locum appellarunt, ac ſtatos, ſollemneſque honores, perpetuo illis impendendos dedicarunt; quos anno quolibet ætate etiam ſua Pauſanias lib. 9. magna pompa perſolutos docet.*

Nec minorem ſanè gloriam Catanæ adjungit nobile Himerenſis Poetæ Steſichori Sepulchrum extra Urbis portam aquilonarem ab illo Steſichoream appellatam, quæ nunc Acis dicitur, extructum, de quo Gyraldus hæc ſcribit: (*a*) *Illud quidem Catanæ poſitum fuiſſe ante Urbis portam, quæ ex re Steſichorea dicta eſt, Octangulum hoc eſt Octogonum perhibent, à cujus forma in Talorum, & Teſſerarum luſu, caſus quidam Steſichoreus, vel Steſichorites appellatus eſt, ut Pollux, &* Euſtathius *prodidere. Alii omnia ei Sepulchro ex octonis rebus fuiſſe volunt, octo ſcilicet columnis, octo gradibus, & octo quoque angulis, atque inde factum proverbium:* Omnia octo, *cum rei nihil deeſſe ſignificamus.* Idipſum habet Author Theatri Linguæ Latinæ, atque ex noſtris Maurolycus (*b*) Aretius de Situ Siciliæ, & Mongitorius in Bibliot: Sed Fazellum audiamus (*c*) *Claruit olim Catana, & illuſtrium Virorum Sepulchris, utpote Steſichori Poetæ Himerenſis, cui huc profugo, defunctoque, primo extra Urbem lapide Orientem verſus ad portam, quæ ad Acim Oppidum ducit, quæque ab ejus tum nomine fuit inſignita, Sepulchrum octo gradibus, octo angulis, totidemque columnis elevatum à terra Catanenſes voverunt, ut* L. Pollux, *Svidas, & Pau-*

(a) *De Hiſt. Poet. dial. 9.*

(b) *Sic. Hiſt. l. 1.*

(c) *Ibid. cap. 1.*

& Pauſanias ſcriptum reliquerunt. Quamvis in ejus ſitu deſignando calamo ceſpitaverit; quippe ad jactum lapidis ab Urbe ad Septentrionem, ut rudera teſtantur, locare debuerat. Molem Græca Inſcriptio ornabat, quam Latinis literis donatam ab Joanne Æmilio Valſtermar refert Archangelus (*a*) *Ops Ego Steſichori Ætnæis his oſſibus oſſa*

(*a*) *Cat. Hiſtor. lib. 3. cap. 5.*

Clauſa tego Vatis, cætera mundus habet.

Hanc credit apocrypham, ſuppoſitamque Gualtherius, ſed immerito, ut multis probat Carrera. (*b*) Marmoream denique Statuam Urnæ inſediſſe, tradit idem Archangelus, Virum eximium lauro redimitum referentem, quod veroſimile putaverim; Himerenſes enim Civi optimo Simulacrum excitaſſe ex Tullio (*c*) diſcimus. Quorum forte exemplum ſequuti Catanenſes, qui minime ſe vinci ab Himerenſibus ſtudio in Steſichorum ſunt paſſi.

(*b*) *Lib. 3. cap. 5.*

(*c*) *Act. 3. & 4. in Verr.*

Hieronem Syracuſarum Tyrannum hoc nomine primum Catanenſibus infenſiſſimum, Catanæ fato functum Hiſtoriæ produnt, ibique ab Dinomene filio tumulatum, ex Diodoro, & Strabone colligitur. *Poſt Hieronis obitum*, inquit Strabo, (*d*) *redeuntes Catanenſes inquilinos expulerunt, ac ipſius Tyranni tumulum ſolo æquarunt*. Cui ſubſcribit Fazellus (*e*) *Priſci vero Catanenſes, qui ab Hierone fuerant expulſi, redeuntes proprias ſedes incoluerunt, Hieronis tumulo inſigni ſolo æquato, Urbem ipſam priſco nomine Catanam, & non Ætnam dixerunt*. Quod ipſum repetit de Catana alibi loquens. Diſpungendus hinc Mirabella, Hieronis cineres è Catana, Syracuſas Dinomenis opera aſportatas, ibique eleganti ſepulchro conditas ex Fazello, & Goltzio perperam adſtruens (*f*) Quod enim poſuit Dinomenes

(*d*) *De Situ Orb. lib. 6.*

(*e*) *Dec. 1. l. 1. c. 4*

(*f*) *Syrac. Ant. par. 2.*

nes Patri monumentum Syracuſis in perennem rerum ab illo fortiter geſtarum memoriam, aliud omnino fuit ab inſigni ſepulchro Catanę extructo. Vide ſis Carreram, ac Groſſum laudatis locis. Charondæ nobile Sepulchrum Fazelli ævo inventum eſt, ut ipſe Lib. III. teſtatur illis verbis: *Ejus ſepulchrum marmori incluſum cum arca ſtamnea, in qua ejus oſſa recondita erant, ætate mea juxta ædem divæ Agathę, quam Veterem appellant, inventum.* Sed per oſcitantiam deperditum dolet Groſſus. Tumulo denique Xenophanis Philoſophi clara etiam fuit Catana, teſte Apollodoro apud eumdem Fazellum. Hic poſtquam in Heſiodum, & Homerum Elegiis invectus eſt, Catanæ mortem oppetiit, dignoque ſarcophago meruit honorari, cujus nulla extat memoria.

Thaliæ, Ongiæ, Acis, Egeſiæ, atque aliorum hic forent Sepulchra deſcribenda, ſed de iis opportunius ubi de Inſcriptionibus. Urnæ marmoreæ eleganter elaboratæ meminit Carrera, eamque Viri Principis, aut virtute eximii fuiſſe ſarcophagum opinatur, quæ hodiè adhuc ſuperſtes in Atrio Seminarii Clericorum ab Eruditis conſpicitur, atque à nonnullis Charondæ Loculus creditur. Alias ex Aetnæo lapide arcas condendis cadaveribus Illuſtriorum deputatas, variiſque in locis extra Urbem effoſſas cum olim, tum noſtra etiam ætate hoc loco exhiberem; ſed quum incerti omnino nominis illæ ſint, ab iis recenſendis abſtineo, atque ad communia Sepulchrorum loca indicanda deſcendo.

Romanis olim Urbs ipſa ſepulchri locus fuit, immo, ut Iſidorus obſervat (a) propria cujuſque domus; qui mos apud Ægyptios olim etiam invaluit; Sed XII. Tabularum lege: *In Urbe ne ſepe-*

(a) Orig. lib. 15 cap. 11.

ſepelito, id omnino cautum, niſi defuncti Viri eximia virtus, quod ex Tullio alibi dixi, ut legi huic derogaretur, effeciſſet. Exinde igitur in agris, hortiſque Urbi proximis, ac potiſſimum ſecus vias extra portas, Græcos imitati, defunctos ſuos ponebant, ac in ea agri parte, quæ præ ſterilitate inutilis habebatur. Vetitum quippe, ut idem ſcribit Cicero (*a*) ex agro culto, eove, qui coli poſſet, ullam partem ſumi ſepulchro, ut mortuorum ſcilicet corpora ſine vivorum detrimento terra reciperet. Idipſum uſurpaſſe Siculos, qui Græco primùm more, mox Romanis legibus vivebant, ſatis exploratum. Et Catanenſibus quidem celebrior ſepulchri locus Area fuit ante portam Steſichoream, Acis hodie appellatam; Idque innumera cœmentitia conditoria paſſim indicant, quorum aliquot fornices pene integros habent, itaut tres, quatuor, aut plures loculi unius concamerationis opere tegantur, atque unius familiæ, aut domus condendis cadaveribus credi poſſint deſtinati.

(*a*) *Lib. 2. de Leg.*

Occurrunt quoque Urnæ fictiles, lacrymarum vaſculi, Lucernæ, Arcæ lapideæ, atque inſcripta marmora, quæ inferiùs dabimus, ut non immeritò *Heroum Sepulchra* in Actis S. Leonis Cat. Pontificis dicantur. Ubi enim Heliodorus adhuc Juvenis ad Heroum ſepulchra ab Hebræo quodam magicis artibus imbuto miſſus memoratur, obſervat Cajetanus (*b*) *Hæc fuiſſe extra portam Steſichoream, ubi ingens olim ſepulchrorum multitudo, atque inter hæc Steſichori, aliorumque præſtantium Virorum.* Ibidem magnam extitiſſe columnam ex ejuſdem S. Leonis vita diſcimus, quam Heliodorus, Hebræi hortatu, ſchedam intempeſta nocte diſcerptus, ut magicis initiaretur, ac

(*b*) *Tom. 2. SS. Sicul.*

Dæmonis

Dæmonis auxilium ſibi adſciſceret, inſcendit. Denique nigri Ætnæi lapidis ſarcophagi ibidem reperti, nedum minuſculę plebi, ſed & Nobilibus ſepeliendis aream ceſſiſſe arguunt.

Ad eamdem quoque ſeptentrionalem plagam primo ab Urbe lapide, ubi hodie ampliſſima Suburbii area frequentes loculi, ac lateritii ſarcophagi cum lucernis, & lacrymarum vaſculis defoſſi certiſſimo argumento innuunt, Priſcos eo loco pro ſepultura uſos. Occurrunt, & alibi in eadem ſuburbana regione, ſed minoris notæ conditoria, ut ex vulgaribus vaſculis eruo, ac lucernis ibidem repertis.

Ad æſtivum porro Occaſum poſt S. Dominici Cœnobium anno MDCCXXX. in diruti, ut videbatur, ædificii veſtigium foſſores inciderunt nigris quadratis lapidibus compactum; ſubinde frequentiſſima loculamenta, alia aliis triplici veluti concameratione incubantia, compluraque ex illis teſſellato ex vario marmore ſolo detexerunt. Gradus item lapidei, unde deſcenſus in Cœmeterium patebat ad Septentrionem, atque hincinde vaſcula, lucernæ, integri inſcripti lapides, aliorumque fragmenta, quos ſuo loco dabimus, quin & oſſium reliquiæ adhuc ſuperſtites inventæ. At temporum injuriâ, Civiumque oſcitantiâ, qui alio certè ævo in eadem rudera incurrentes omnia ſus deque vaſtarunt, dirutos fornices, Græca, ac Latina monumenta in fruſtra minutiſſima redacta doluimus. Hinc ab agri domino Ignatio Rizzaro, eductis, quæ vetuſtatis ſtudioſis uſui eſſe poterant, in piſcinæ formam molis veſtigia ſunt concinnata.

Ad Orientem prope Carmelitarum Excalceatorum Cœnobium, ac intra muros proximi

propu-

propugnaculi conditoria non pauca multis ab hinc annis inventa, locum ibi fuiſſe ſepulchri civibus communem arguunt; idque defoſſa ex nigro Ætnæo lapide Arca in vicinam Antonii Albari Paternionii ædem translata confirmat. Proxima ſubſequitur area, ubi nunc S. Catharinæ Senenſis Ordinis Prædicatorum domus, ac S. Urſulæ Sodalitium; quam condendis Civium exuviis deſtinatam evincunt varii loculi cum Inſcriptionibus cum Græcis, tum Latinis paſſim inventis, vaſa cineraria, lacrymarum calices, atque id genus alia, dum moliendis ejuſdem Cœnobii, ac Templi fundamentis, humum nuper defoderent, detecta. In aliquot enim ſarcophagos, & plumbeas arculas, urnaſque fictiles, cum epigraphe, foſſores incidere, quum Septentrionalem, Orientalemque proſpectum S. Agathæ Moniales conſtruerent. Arculâ apertâ, oſſibus ſemjuſtis plenam illam invenerunt, quæ hac illac ab imperitis ſunt diſperſa, & arca in uſus præpoſteros conflata. In Atrio demum Epiſcopalis Palatii, proximiſque ædibus, elapſo anno, Urnæ fictiles, cum oſſibus lucernæ, vaſa lacrymarum, Inſcriptioneſque ſepulchrales occurrerunt. Frequentiores in atrio domus Theatinorum, quæ intra pomerium ſita Orientem quoque reſpicit Solem, loculi nuper detecti. Qui ſanè locus Caroli V. Cæſaris ævo mœnibus concluſus, priſcis temporibus civium ſepulturæ addictus creditur. Alia ad eamdem plagam prope maris littus ſæpiſſimè occurrunt rudera, quę ſepulchra veterum dubio procul referunt, cujuſmodi unum ætate ſua Petrus Carrera (a) celebrat, in quo prægrandis ſtaturæ viri calvariam invenit.

(a) Lib. 1. cap. 48

Quo

Quo ſingillatim loco Occidentalis denique regio ſepulchra habuerit decernere vix datum, quum tota nigris lapidibus obruatur. Sed prope agrum Cibalis, ac in viciniis, noviſſimeque non longè etiam à veteri Cereris Templo innumerã prope hujuſmodi loculorum multitudinem terræ cultores, foſſoreſque inveniunt cum lucernis, vaſculiſque lacrymarum, ſed impolitis, quæ plebi, aut ſuburbanis incolis ſepeliendis locum addictum innuunt. Ubi ampliſſima, ac regia via ad hybernum occaſum in Vallem Neti ducit, primo ab Urbe lapide, ex nimio imbre tabulæ fictiles, ac lateritia conditoria apparuerunt. Hanc eſſe viam Syracuſanam nullus negabit; ſecus quam ſuorum corpora juxta morem Catanenſes expoſuiſſe ex hiſce recenter detectis monumentis colligimus.

XIV. RUDERA.

Mei hìc conſilii non eſt minima quæque ædificiorum veſtigia in medium proferre, quæ paſſim, dum nova Cives moliuntur, poſt terræmotus ruinas occurrunt; nec vacat priſcæ ætatis fragmenta minutiſſima, quę congerit Carrera, (a) & quorum pars magna periit, expromere. Celebriora innuam, unde Urbis noſtræ magnificentia ſatis eluceſcat.

[a] *Lib.1.cap.51 & 55.*

In vico *Curſus* olim Bolani tempore, qui Sæculo XVI. vixit, *Parietum effatu dignorum*, ut ipſe ſcribit, *aquilonares partes extabant, quæ nonniſi celeberrima palatia referre poterant.* Nec abſimiles auſtrales erant antiquiſſimo Aquæductui reſpondentes, adeout ibi Romanorum Præſidium ædes ſitas fuiſſe non inani conjectura promeret. Quamvis paullo ſuperius hanc de Preſidis palatio Bolani cenſionem, non immeritò diſpunxerim. Circa ejuſdem Sæculi medium proximam

ximam prætacto *Curſus* vico regionem, à *Cypriana* appellatam, novum S. Nicolai Benedictinum Cœnobium inſignem reddidit, cujus quum fundamenta ponerentur, detecta ingentia pene rudera à majoribus accepimus, quod ipſum eveniſſe, dum elegantiſſimum è Liguro marmore Periſtylium Monachi extruerent, teſtatur Groſſus in Annalibus. Refert porro Carrera (a) ſua ętate in ejuſdem Monaſterii area columnarum fragmenta, ſolum teſſellatum, atque id genus alia foſſoribus occurriſſe, ut merito Veneris ibi templum ſtetiſſe, conjectare cum Eruditis minimè dubitaverit; cujus opinioni de profanis Gentilium delubris differens cap. I. calculum adjeci. Noſtris demum diebus, quum ex ingenti illo terręmotu de Anno MDCXCIII. alibi deſcripto vaſtatis omnibus, nova Eccleſia, ac novę Monachorum ædes magnificentius reſtituerentur, adeo frequenter ſolidos parietes tabulis etiam marmoreis conveſtitos, operis teſſellati pavimenta, columnas lateritias, Balneas, Aquęductus, ac ſimilia antiquę ætatis monumenta, ruderaque conſpeximus, ut ſingulis recenſendis vix pagina ſufficeret.

(a) *In Append. fol.* 504.

In Area contra S. Joannis propugnaculum, ſecus portam olim à *Conſolatione*, nunc S. *Agathæ de Xaris* appellatam, intra pomerium, nuper fodi cœptum, atque inter varias Numidici lapidis diffractas columnas, marmoreum ſtratum, Corinthii operis epiſtylia, & coronidis etiam Corinthii fragmentum ageſtis cęmentorum ruinis immixta occurrerunt; præ cęteris verò cippus è Pario lapide ſiglis notatus, quem infra dabimus, Columnęque è ſubnigro marmore fruſtrum cum epigraphe P E C v. ac tabula demum dimidii a-

naglyphi,

naglyphi, ut ajunt, in qua Dionyſii, ſeu Bacchi effigies elegantiſſimè inſculpta, cujus ectypon dabimus, inventa, quæ in Muſæum S. Nicolai de Arena ſunt illata. Illinc non longè ante Eccleſiam S. Mariæ de Conſolatione extans pavimentum lapillis diſtinctum etiam conſpicitur, ut liceat, hanc Urbis partem hodie minoris populi non infrequentem, nobilibus olim ædificiis inſtructam conjectare.

Cœnobio S. Auguſtini ſubſtructos longo ordine fornices (Cryptas appellat vulgus) alios aliis incumbentes videmus, qui eamdem præſeferunt vetuſtatem, ac proxima Theatrorum ædificia; ad quem verò uſum fuerint olim conſtructi, prodit nemo. Per ſubterraneos cuneos ex his ad Amphitheatri cryptas ante Annum MDCXCIII. viam fuiſſe tradunt, quod publicis ſanè miniſteriis ædes addictas arguit. Jamverò, quum quarto ab hinc anno ingentis ſimulacri fragmentum altero brachio, ac capite, cruribuſque imminutum, ſingularis tamen artificii ex albo marmore foſſoribus eodem in loco occurrerit, non inani etiam conjectura eruimus, proximæ molis rudera ad Curię, aut Magiſtratus palatium pertinere. Habes Statuę fruſtrum, quod in publica Senatus æde non ſine voluptate antiquitatis ſtudioſi demirantur, infra cum alis.

Celeberrimę quoque domus rudera illa procul dubio credimus, quę contra S. Juliani Templum juxta Societatis Jeſu Collegium exurgunt, nigris quadratis lapidibus contecta, quorum pars, quum nova ſterneretur via, ſolo æquata; reliqua verò, quæ hodie ſuperſunt, intra ejuſdem Collegii clauſtra, fornices ſcilicet plaſtico opere, ac picturis ornati, balnea, aquęductus, tabuliſque

 mar-

marmoreis ſtrata pavimenta, atque id genus alia, brevi, quod Periſtylio, ac ſtudiorum aulis minus apta videantur, diruenda. Sed quid hęc? Orionis Sicilię Regis antiquiſſimi ibi ſtetiſſe ædes opinatur Carrera (a) ex lęvi fundamento; ex eminentiori ſcilicet ſitu, ac jucundiori, ex ędificii amplitudine, columnarum fragmentis, atque ex hac epigraphe marmori olim inſculpta latinis characteribus, ſed perditę omnino intelligentię: *Eten Etenſec Etillion*, quę ſummę vetuſtatis prębet judicium; ex maligni denique Genii in Energumena muliere voce; quę ſanè omnia, ut Orionis, ita alterius viri principis priſcę ætatis domum eo in loco fuiſſe etiam concludunt.

(a) *Lib. 1. cap. 1. num. 9.*

Extra Urbem ad æſtivum occaſum alia vetuſtatis monumenta occurrunt, quorum aliquot Saracenorum tempora vix excedunt, eorumque delubra, vulgo *Moſchee*, paſſim creduntur. Ex his in ſuburbana Clericorum Regularium villa, ædibus ſubſtructum extat unum, aliud intra Eccleſiam Eremitarum Sancti Hieronymi, unde loco nomen *la Mecca*. Duo alia in hortis Fratrum Minorum, quos Reformatos appellant, atque hęc extantibus fornicibus pene integra. In eadem quoque regione tertio ab Urbe lapide (*Porcariam* vulgus dicit) alia ejuſmodi ędificiorum rudera ſpectantur, ſed in quem uſum ceſſerint, ignoramus.

CAP. III.

CAPUT III.

ÆDES VERO DEO SACRÆ.

PRimum, quod Chriſtiano ritu Catanæ initiatum eſt Templum, antiquiſſimum *S. Mariæ de Rotunda* fuiſſe tradunt; ab ipſo enim Apoſtolorum Principe Petro, quum Catana, Romam profecturus, iter ageret, eliminata ſuperſtitione, Virgini Deiparæ dicatum dicitur. Traditionem hanc Libri tertii initio firmavi, ac præſentis libri cap. 1. num. x. Templum deſcripſi, quod Diis omnibus ſacrum ſub titulo Pantheon Ethnici profano cultu venerabantur. Igitur de aliis, quorum extat memoria, aut veſtigia ſuperſunt, ordinatim hìc dicendum. *S. Mariæ de Rotunda, ſeu Pantheon.*

I. TEMPLA, ÆDESQVE SACRÆ ANTE SARACENOS.

Extra Steſichori portam, Acis hodiè appellant, *S. Mariæ de Bethlehem Eccleſia* Siculis Scriptoribus memoratur; Ab Everio Catanenſium Pontifice, qui circa Sęculi tertii medium ſedit, conſtructam, ſacriſque cæremoniis conſecratam Pirrus, & Groſſus dicunt; ſed nimia vetuſtate collapſam Sæculo xvi. Fabii Paternionii Catanenſis Patricii pietas reſtituit, annuo cenſu ad ſacra ibi celebranda dotavit, fratribuſque Carmelitis attribuit; firmante hæc omnia Catanenſi Epiſcopo Aloyſio Caracciolo xi. Kal. Julias MDXXXI. Ejuſdem hodie veſtigium extat nullum; Groſſus enim in Privatorum ædem ſuo ævo mutatam fatetur; Sæculo verò elapſo, quum bellum à Gallis ingrueret, ut laxior area ſterneretur, plures in eo loco domos ſolò æquatas ſcimus; hinc celebris hujus Templi memoria prorſus interiit. *Eccleſia S. Mariæ de Bethlehem.*

Superſtructam *Beatæ Agathæ ſepulchro Eccleſiam* ab eodem Everio Catanenſi Pontifice Groſſus tradit in ſuo Diario, ad quam Virgo Sanctiſſima Syracuſana Lucia cum Matre, ut ejuſdem Martyris ſacrum corpus veneraretur, Sęculi IV. initio venit, in eaque voti compos effecta Matri ſanitatem impetravit. Sed quænam hæc? Præ foribus Templi Carmelitarum antiquiſſimi extant fornices humo obruti, quos inter ſacræ cujuſdam ædis ſuperſunt veſtigia, ut accepi, parieteſque antiquo more depictos è Civibus complures olim ſe vidiſſe teſtantur. Intra Cœnobii clauſtra vetuſtiſſimum etiam, integrumque ſpectatur templum, quod S. Leonis titulo appellant, de quo inferius dicendum; hinc anceps ſum animi, certique aliquid proferre non auſim. Id omnino inconcuſſum: Ibidem loci diu perſtitiſſe lapideum ſarcophagum, ubi poſt conſummatum agonem corpus dulciſſimę Civis, ac Martyris à piis fidelibus fuit repoſitum, unde & Pagani tulerunt velum contra ignem, quò denique, ut innui, Beata Lucia die Nonarum Februarii ad Natalis ejuſdem Agathæ feſtum cum aliis celebrandum convenit. Quotannis id circo in hujus rei memoriam ſacræ Virginis exuviæ triumphali pompa pridie Nonas ejuſdem menſis eò deferuntur.

Eccleſ. Sepulchri s. Agathę

Jamvero de Templo adhuc integro, *S. Leonis Catanenſis Pontificis* nomine inſignito, quod Carmelitarum Cœnobio concluſum hodie videmus, complura etiam, quæ dubium faceſſunt, examinanda occurrunt. Alii enim ab eodem ſancto Epiſcopo excitatum perhibent, illudque eſſe autumantur, in quod ſæpe, ut populorum ſeſe tumultibus præriperet, Leo ſecedebat; Sed locus hic ſolitarius eſſe oportuit; Unde deducta à ve-

Eccl. s. Leon. Epiſc. & s. Luciæ V. Mart.

teribus

teribus traditione alibi diximus: Sub Ætna monte, ubi olim S. Leonis de Pannachio Ædes extructa, ac Cœnobitis Benedictinis tradita, religioſum Sancti Pontificis ſeceſſum fuiſſe. Nonnulli cum ea Eccleſia confundunt, præ cujus foribus Heliodorum Magum à Beato Pontifice combuſtum alibi demonſtratum; ſed falluntur; in media enim Urbe, ac Deiparæ Virgini dicatum id templum erat, ut dicemus. Sunt denique, qui cum Cajetano (a) ſacram hanc Ædem à Leone in S. *Luciæ* honorem conſtitutam dicunt, prope quam Monaſterium conſtruxit, ubi complures diſcipulos inſtituit, ultimumque Spiritum Deo tradidit. Meminit Templi hujus S. Joſeph Hymnographus: *Sancti Spiritus Templum Corpus tuum extitit Pater. Et nunc quidem in Divino Templo, quod in Luciæ Martyris gloriam, honoremque erexiſti, poſitum jacet.* Callicanum verò Breviarium de Leonis Sepultura loquens: *Sepultus eſt* {inquit} *in Monaſterio ſuo non procul à Civitatis muris*. Hinc merito Cajetanus *Oratorio, Temploque S. Luciæ*, ait, *Monaſterium adjunctum crediderim, in quo ſuis cum Monachis Domino inſerviret*. Et poſt pauca: *Catanæ extra Urbem ad Septentrionem juxta Cœnobium S. Mariæ Annunciatæ Ordinis Carmelitarum Eccleſia eſt S. Luciæ, quam L: Leonis extitiſſe conjicio; quamquam non eadem, quæ vetus, ſed diruta illa, & inſtaurata. Porro hæc divæ Luciæ Eccleſia extra Urbem, neque à muris Catanæ, neque à mare procul, quod de Oratorio à S. Leone condito membranæ Syracuſanæ teſtantur. Monaſterii verò, quod Oratorio proximum fuit, veſtigia adhuc manent intra clauſtra Cœnobii S. Mariæ Annunciatæ, & ruinæ veteres oſtenduntur, in quibus noſtri majo-* res

(a) *Tom. 2. SS. Siculor.*

S. Luc. V. M.

res Eccleſiam D: Leoni dicatam ædificarunt. Subdit denique: *Catanæ extra Urbem ad Septentrionem Eccleſia eſt D: Luciæ, quam ſupra memoravi, & in ea ſepulchrum oſtenditur, in quo tradunt Catinenſes Corpora SS. VV. & MM. Agathæ, & Luciæ, & S. Leonis Epiſcopi ab Exarcho Maniace, donec Conſtantinopolim iter inſtrueret, fuiſſe depoſita. Quorum trium depictæ imagines ſupra ſepulchrum viſuntur in pariete, qui ad Septentrionem obverſus eſt.*

Poſt Terræmotum circa elapſi Seculi finem Eccleſia hæc, quum loci anguſtia fratres premerentur, in Triclinii uſum ceſſit, ac in auſtrali pariete, ubi feneſtellæ, ſeu potius rimæ habebantur quinque, laxior feneſtra, ut ædes majorem exciperet lumen, aperta eſt. Lata etiam porta ab Aquilone recentior, à latere enim dextero anguſtioris ſuperſunt veſtigia, quæ aditum præbebat. Interior porro area palmos fermè XXVIII. in latum, ac longum protenditur, fornix verò palmis XXII. elevatur. Externi parietes nigris quadratis lapidibus conveſtiuntur, ornatuſque eorum omnimodam præſefert vetuſtatem, adeout Patrum noſtrorum opus nedum credi poſſit, ut Cajetanus cenſet, ſed ævum quoque Saracenorum præceſſiſſe.

Vetus S. Agathæ Eccl. Poſt debellatam Idololatriam, quum piiſſimi Conſtantini edicto fidelibus publicè extruendi Eccleſias data fuiſſet Facultas, nil antiquius habuere Catanenſes, quam Amantiſſimæ Civis *Agathæ Martyrii loca* debito proſequi honore, ac ſuperſtructis molibus, ut ea ferebant tempora, piiſque ritibus venerari. Hinc in principem totius Urbis Eccleſiam, atque, ut ajunt, Cathedralem illæ creverunt, perenniſque memoria illu-

ſtris

ſtris victorię de Tyranno ab inviĉtiſſima Virgine reportatę in ævum permanſit. Cujuſmodi artificii Templum hoc fuerit, prodit nemo. Exactis autem Saracenis, Prioratus ibidem Ordinis S. Benedicti fuit inſtitutus, cum decenti Eccleſia, prope quam, ędes ſacra *S. Beryllo Catanenſium primo Pontifici* dicata. In illam lapideum S. Agathę ſepulchrum veteres intulere; in hac verò lignea arca, ubi ejuſdem Sanctiſſimę Martyris lipſana aliquando jacuerunt poſt translationem, videbatur. De quibus infra, quum de Eccleſiis poſt Saracenos expulſos dicemus.

S. Agathæ Carcer.

S. Agathæ Carcer, an intra veterem Cathedralem Eccleſiam concluſus, an extra illam diſtincta æde ſuperſtructâ, olim fuerit, incertum; ſed inter vetuſtiſſima ſane, ac celebriora Catanę monumenta recenſendus, non ignobili hodię Templo decoratur, ac Laicorum ſodalitio inſtruitur, qui ejuſdem cultui, ac venerationi ſumma contentione, eximiaque pietate incumbunt. Carceri nunc aditum à meridie præbet vetus, è nigro lapide porta quatuor circiter palmos lata, alta verò octo; ſed introentibus ad levam antiquior occurrit, in qua pro limine lapideæ tabulę erant, iiſque pedum veſtigia, ſignumque, ubi pes dulciſſimæ Civis hæſit, impreſſa videntur. Tabulæ majoris venerationis ergò in Eccleſia ejuſdem Carceris decentius locatæ, ſub limine verò vetus extat diſticon marmori inſculptum:

Hic fixit ruitura pedes impulſa furore,
Carnificis rapido, carceris antra petens.

Carcer porro à Meridie ad Aquilonem protenditur palmis XIII, ab ortu ad occaſum palmis X; totidemque ferme habet altitudinis integer fornix; eſt quippe pavimentum tabulis ſtratum. In

Erga-

Ergaſtuli centro Ara, ſub qua Spiritum Deo reddidit, ex albo marmore elaborata cum epigraphe: *Fratres de Franchis obtulerant ex voto anno* MDC. ac Signum elegantiſſimum Martyris à Valeriano de Franchis Neapoli Catanam advectum ſubrigitur; Sub altari verò aliud ſimulacrum Virginem, demortuam referens videtur. Poſt Carcerem fornix noviter extructus, dum Urbis propugnaculum Caroli V. Cæſaris ævo ſtatueretur, ac feneſtra, ut ab Aquilone locus lumen exciperet; Sub feneſtra verò hæc marmori inſcripta leguntur.

Hinc de foris tetro huic Carceri dabat tunc lumen Arctos, quum Ortam Catanæ Agatham ſemiuſtam truſit Tyrannus, ſauciam ſanavit Apoſtolus, ac orantem, diem dum ipſa clauſit extremum, abſtulit Empireum. Ab intus hinc ſuperum dat nunc illa lumen pro te cæleſtem in hanc reverſam aulam deſcendens felix Ales ab aſtris. Locum Viator honora.

Eſt hodie locus in ſumma civium veneratione, primaque cujuſque menſis feria IV. magna Senatus, populique frequentia Civis, ac Patronæ dulciſſimæ ibidem memoria celebratur.

S. Euplii Carcer. Non longè *S. Euplii Diaconi, & Martyris Catanenſis Ergaſtulum*, extat, quod olim in ima Amphitheatri cavea erat. Ingreſſum habet hodie ab Aquilone ſub templo S. Antonio Abbati, eidemque Sancto Martyri dicato; Patet à Septentrione ad Meridiem palmos XXXIII, ab Ortu ad Occaſum XIX. fornix verò ad XIV. ſubrigitur; Scalas olim habebat obſcuras, ſed dum novæ molirentur anno MDCXXXVIII. in veteres inciderunt, ut docet Inſcriptio.

Dum Scalæ ad venerandum S. Euplii Martyris Catanenſis Carcerem curantur novæ; Ecce

ad cultum

ad cultum ejus ampliorem hæ reperiuntur antiquæ Anno ſalutis MDCXXXVIII.

Porta ad Septentrionem è nigro Ætnæo lapide palmos duos, ac ſemis lata, ſeptem circiter alta, incompta eſt, ac vetuſtatem ſapit, prope quam puteus aquis abundans à S. Euplio appellatus; Verùm aqua hæc neutiquam illa S. Martyris precibus repente enata, ut docent Acta; extat enim in centro Carceris foſſula, unde prodigioſa illa aqua, ad ejuſdem ſitim explendam exiliit. Hauriunt nihilominus è puteo, morbiſque curandis cum ſanitatis fiducia adhibent. Rima ab Oriente lumen præbet, prope quam columella in ædicula opere Corinthio, (Aeris Corinthii ſcribit Thomas de Angelo) cui ſimulacrum fama eſt inſediſſe profanum, quod Euplius precibus ſubvertit ſuis. Hanc olim in foro conſtitutam tradit Cajetanus in Animad: ad Vitam S. Euplii, ſed in eumdem Carcerem ſæculo XVII. translatam docebat Inſcriptio, quæ inter Terræmotus ruinas periit.

Hæc ipſiſſima columna, unde S. Martyr Euplius per preces execratum Idolum membratim deturbavit. E Senatorio Prytaneo in illius Carcerem translata captiva mancipatur, gaudenſque fert Victoris trophæum. Ideo Chriſti Cruci, & Evangelio, per quæ ille glorioſè triumphavit anno CCCIII. *perpetuò caput libenter ſubſternit. Hic erecta Anno* MDCXXXIX.

Columellæ ſuperſtat Evangelii liber verba referens à S. Martyre ante Tyrannum prolata: *Beati, qui perſecutionem patiuntur propter Juſtitiam*. Eſt autem illa ex pario marmore affabre elaborata, palmoſque fere quatuor altitudinis habet. Meridionalem denique parietem Altare oc-

cupat, ac vetus tabula Euplium è columna Idolum deturbantem referens.

SS·LX·Mart. Eccleſia.

Templi SS. Quadraginta Martyrum in S. Leonis vita, Græco Encomiaſte authore apud Cajetanum, mentio habetur, fundatumque dicitur, ubi olim Cereris celebre fanum exurgebat, quod idem S. Leo ſuis precibus in fruſtra redactum, ingenti prodigio proſtravit. Tradunt S. Spiritus Ædem, quæ hodie jacet, templi hujus SS. Martyrum ruinis ſuperſtructam cum proximo Fratrum Minorum Cœnobio fuiſſe. Hoc autem, ingruente Gallorum bello, exacto ſæculo dirutum, in colle, ubi hodie ſuburbana Joannis Baptiſtę Paternionii villa, perſtitiſſe ſcimus, diſtatque locus paſſibus circiter LX. à templo Cereris.

Beatæ Virg. Templ. in Urbe mediæ.

Deiparæ Virginis in Urbe media Baſilicam præ aliis celebriorem produnt ejuſdem S. Leonis Acta. In ea, quum ſacris ſolemni pompa S. Pontifex operaretur, ingenſque populi frequentia adeſſet, adſuit, & Magus Heliodorus, præſtigiiſque ſuis fidelium mentes à Divinis myſteriis avertere conabatur. Quibus confectis, Leo ignem ante Eccleſię fores excitari juſſit, inque rogum ſeſe, ac Magum Orario arreptum injecit, nec pedem inde retraxit, donec conſumpto illo, illæſus ipſe ingenti prodigio exiret.

S. Alphii, ac Fratr. Eccleſ; quę & S. Cathaldi etiam dicitur.

Antiquiſſimus fornix Eccleſiæ Clericorum Minorum ſub titulo Conceptionis hodie adhærens, ac *SS. Martyribus Alphio, Philadelpho, & Cirino* dicatus, olim verò ſub Eccleſia S. Barbarę V. M. S. Cathaldi Epiſc: & Mar. titulo inſignitus inter ſacra monumenta meritò enumeratur, in quo & lapis extat ejuſdem S. Cathaldi Tarentini Epiſcopi nomen referens; hinc VI. Idus Maii ſollemnis ſupplicatio, è Principe Templo,

plo, cum S. Pontificis capite inſtruitur, atque ad hanc procedit Eccleſiam. Vulgus SS. Fratrum ergaſtulum fornicem hunc appellat ex veteri traditione; ſed alibi illos à militibus concluſos, quum Catanâ iter agerent, Tertulli Præſidis juſſu, ac Leontinos ducerentur, diximus, in antiqua ſcilicet Cereris Saturnia, ubi hodie Arx Urſina conſurgit.

S. Georgii Eccleſia antiquiſſima etiam memoratur, ſupra Thermas extructa, ubi hodie Princeps Baſilica inædificata. Extabat ædicula eidem Sancto Martyri ſacra, ubi nunc ejuſdem Baſilicæ Sacrarium, ſed recentioris ætatis opus ea erat; Hinc majorum traditio ad nos uſque ducta ſumpſit exordium, maximum Templum S. Georgii nomini olim fuiſſe dicatum, quod innuere videbatur nobile Tethraſticon in ejuſdem S. Georgii Sacello inſcriptum. *S. Georgii Sacra Ædes*

Aligerùm comitate choris Georgi inclite Cœli,
Quam juvat æthereas incoluiſſe domos.
Si tibi fortè datur terrarum viſere ſedes,
Non pigeat quandoque hanc habitare, Tua eſt.

Sunt qui Georgium Maniacem Eccleſiæ hujus auctorem credunt; Cæterum Rogerium Comitem ſub S. Agathæ titulo Cathedralem ſtatuiſſe Baſilicam alibi oſtendi ad annum MXCIII.

Crypta, in quam fideles conveniebant Perſecutionis tempore, illa creditur, quæ titulo *S. Mariæ* hodie inſignitur, ac vulgo *de Grutta* appellatur. Sub ingenti enim Aetnæorum rupium mole paries extat cum Deiparæ Virginis devotiſſima Imagine penicillo exarata, traduntque à priſcis Chriſtianis hanc fuiſſe efficiam. Tractu temporis, aggeſta humo ab ingenti aquarum vi inibi hyeme ſtagnantium, locus delicuit; Verùm *S. Mariæ de Grutta.*

piæ mulieri Intemerata Mater per ſomnium ſuggeſſit, ut ſuam Iconem ſub immenſa ſaxorum mole deliteſcentem ſeriò quæreret, locumque deſignavit. Juſſis illa obtemperans, ut foderetur curavit, ſacramque Imaginem invenit. Subinde piorum fidelium eleemoſynis Cryptæ inædificata decens Eccleſia fuit, diuque ibidem Beatiſſima Virgo culta, ac honorata. Noviſſimè, quum ſignis, prodigiiſque religioſa Imago clareſceret, ſumma contentione, ac devotis obſequiis locus frequentari cœpit, ſingulisque Sabati diebus magnus ibidem fidelium concurſus Deiparam Virginem ſumma pietate veneratur, & colit.

S. Joannis Hoſpitalis.

S: Joannis Hoſpitalis Eccleſia etiam memoratur, ab Stephano Syracuſano Antiſtite circa annum DXXXII. excitata. *Catanæ id eſſe*, ait Pirrus, *Templum, quod ad noſtra uſque tempora maximam redolens antiquitatem, durat, & commenda eſt militaris Ordinis S. Joannis Jeroſolymitani, de Flore nuncupatum*. Perſtat etiamnum hodie; ſed recentioris ævi opus eſſe videtur; nec Pirro facile aſſentior, quin ſextodecimo circiter Sæculo conſtructum cenſeo.

S. Stephani Protomar.

S. Stephani Proto-Martyris Templum, ubi hodie Sanctimonialium Cœnobium ſub S. Benedicti titulo exurgit, ſtetiſſe vetus Inſcriptio, ac rudera olim detecta maniſeſtiſſimè oſtendunt. En illa è Græco in Latinum translata ædis authorem, ac tempora deſignans.

Ædificatum eſt hoc venerabile, atque divinum Templum primi Lectoris, Martyriſque Protodiaconi Stephani à piiſſimo Sacerdote Archadio menſis Julii prima Anno 679.

II. PRIN-

II. PRINCEPS S. AGATHÆ TEMPLUM POST SARACENOS.

Major Catanenſis Baſilica Rogerio Comite authore ad XCIII. elapſi Sæculi annum perſtitit; ex terræmotu enim altero, qui anno MCLXIX. accidit, ſola gremii concameratio collapſa eſt, cujus caſu ingens multitudo periit; ſed ex nova enunciati Sæculi concuſſione ſolę abſidę, major ſcilicet, & minores hinc inde, ac duo ſacella alterum Chriſto Domino in Cruce pendenti, alterum Deiparæ Virgini dicatum, externique parietes, totius ędificii ruinis ſuperfuere. Reliquam Templi molem, quam ætate noſtra demiramur, ingenti profuſo ære, Andreas Riggius Catanenſis Pontifex ad faſtigium uſque, quinque ab hinc luſtris erigendam curavit. Eſt autem interior ejus ſtructura ex albo Syracuſano lapide opere Corinthio elaborata, eaſdemque omnino dimenſiones ſervat, quas vetus habebat à Groſſo in ſuo Decacordo exactiſſimè deſcriptas. Tholus autem tabulis plumbeis contectus palmis CL. totiuſq; Baſilicæ teſtudo palmis C. circiter elevatur. *Fund. Templi majoris.* *Interna Facies.*

Proſpectus ex albo Liguro, & rubro Tauromenitano marmore, ac Catanenſi lapide, qui artis induſtria perpolitus nigrum imitatur marmor, columnis ſex majoribus, ac minoribus octo Aegyptii lapidis, *Granito* vulgariter appellati, inſtruitur, cujus tamen hodie nonniſi Stylobatæ, ac Porta major Petri Galletti Catanenſis etiam Antiſtitis opera extant, quo curante brevi opus evectum ſperamus. Septentrionalis facies ampliſſimæ areę reſpondens, albario opere, ac paraſtatis Syracuſani lapidis ornatur, in qua vetuſta illa inſcriptio marmori inſculpta, quam ad annum MXCIV. dedimus, ac porta elegantiſſima ex albo etiam marmore videntur. *Proſpectus.*

Sta-

piæ mulieri Intemerata Mater per ſomnium ſuggeſſit, ut ſuam Iconem ſub immenſa ſaxorum mole deliteſcentem ſeriò quæreret, locumque deſignavit. Juſſis illa obtemperans, ut foderetur curavit, ſacramque Imaginem invenit. Subinde piorum fidelium eleemoſynis Cryptæ inædificata decens Eccleſia fuit, diuque ibidem Beatiſſima Virgo culta, ac honorata. Noviſſimè, quum ſignis, prodigiiſque religioſa Imago clareſceret, ſumma contentione, ac devotis obſequiis locus frequentari cœpit, ſinguliſque Sabati diebus magnus ibidem fidelium concurſus Deiparam Virginem ſumma pietate veneratur, & colit.

S. Joannis Hoſpitalis.

S. *Joannis Hoſpitalis* Eccleſia etiam memoratur, ab Stephano Syracuſano Antiſtite circa annum DXXXII. excitata. *Catanæ id eſſe*, ait Pirrus, *Templum, quod ad noſtra uſque tempora maximam redolens antiquitatem, durat, & commenda eſt militaris Ordinis S. Joannis Jeroſolymitani, de Flore nuncupatum.* Perſtat etiamnum hodie; ſed recentioris ævi opus eſſe videtur; nec Pirro facile aſſentior, quin ſextodecimo circiter Sæculo conſtructum cenſeo.

S. Stephani Protomar.

S. *Stephani Proto-Martyris* Templum, ubi hodie Sanctimonialium Cœnobium ſub S. Benedicti titulo exurgit, ſtetiſſe vetus Inſcriptio, ac rudera olim detecta manifeſtiſſimè oſtendunt. En illa è Græco in Latinum translata ædis authorem, ac tempora deſignans.

Ædificatum eſt hoc venerabile, atque divinum Templum primi Lectoris, Martyriſque Protodiaconi Stephani à piiſſimo Sacerdote Archadio menſis Julii prima Anno 679.

II. PRIN-

II. PRINCEPS S. AGATHÆ TEMPLUM POST SARACENOS.

Major Catanenſis Baſilica Rogerio Comite authore ad XCIII. elapſi Sæculi annum perſtitit; ex terræmotu enim altero, qui anno MCLXIX. accidit, ſola gremii concameratio collapſa eſt, cujus caſu ingens multitudo periit; ſed ex nova enunciati Sæculi concuſſione ſolę abſidę, major ſcilicet, & minores hinc inde, ac duo ſacella alterum Chriſto Domino in Cruce pendenti, alterum Deiparæ Virgini dicatum, externique parietes, totius ędificii ruinis ſuperfuere. Reliquam Templi molem, quam ætate noſtra demiramur, ingenti profuſo ære, Andreas Riggius Catanenſis Pontifex ad faſtigium uſque, quinque ab hinc luſtris erigendam curavit. Eſt autem interior ejùs ſtructura ex albo Syracuſano lapide opere Corinthio elaborata, eaſdemque omnino dimenſiones ſervat, quas vetus habebat à Groſſo in ſuo Decacordo exactiſſimè deſcriptas. Tholus autem tabulis plumbeis contectus palmis CL. totiuſq; Baſilicæ teſtudo palmis C. circiter elevatur. *Fund. Templi majoris.* *Interna Facies.*

Proſpectus ex albo Liguro, & rubro Tauromenitano marmore, ac Catanenſi lapide, qui artis induſtria perpolitus nigrum imitatur marmor, columnis ſex majoribus, ac minoribus octo Aegyptii lapidis, *Granito* vulgariter appellati, inſtruitur, cujus tamen hodie nonniſi Stylobatæ, ac Porta major Petri Galletti Catanenſis etiam Antiſtitis opera extant, quo curante brevi opus evectum ſperamus. Septentrionalis facies ampliſſimæ areę reſpondens, albario opere, ac paraſtatis Syracuſani lapidis ornatur, in qua vetuſta illa inſcriptio marmori inſculpta, quam ad annum MXCIV. dedimus, ac porta elegantiſſima ex albo etiam marmore videntur. *Proſpectus.*

Fontes, ac noviſſimæ Inſcriptiones. Statim porro poſt principem januam fontes Aquæ luſtralis elegantiſſimi introeuntibus occurrunt, atque ab utroque latere duo hæc nuper appoſita Epigrammata leguntur. *Divæ Agathæ Ædem Terræmotu dirutam, ea majeſtate, quam ſpectas, proprio ære à fundamentis erexit, & omnium ſtupore biennio explevit Ill: & Rev: D. Andreas Riggio Epiſcopus Catanenſis, & Patriarcha Conſtantinopolitanus. Hæc poſteritati expoſuit Rev: Capitulum Anno ſalutis* MDCCXXV.

Nono Januarii MDCLXXXXIII. *Terræmotus ingens Catanam concuſſit, totam undecimò ejuſdem evertit, ſexdecim Civium millia occidit, incolumes fugavit, exteros vocavit ad furta. Hæc moneãt, ut in primo Terræmotu in campis ſedem deligant, Urbem cuſtodiant. Anno ſalutis* MDCCXXV.

Odeum Odeum, quod Vulgus Tribunam appellat, eadem omnino ornamenta ſervat ab laudato Groſſo deſcripta; quæ hic rurſus exprimere non vacat. E tholi centro inſigne ex argento Candelabrum pendet, quod ære ſuo Petrus Gravina Eccleſiæ Prior inſtituit.

Navis à latere Meridionalis Ala, ſic vocant, Abſidem Divæ Agathæ ſacram reſpiciens, poſt januam fontem habet Baptiſmalem, è vario marmore conſpicuum. Subinde Sacella S. Febroniæ V. M., S. Caroli Borromęi, S. Antonii Patavini, S. Roſaliæ Virginis Panormitanæ, & Martyrii ejuſdem S. Agathæ ſpectantur, ſingula pulcherrimis tabulis, atque coronis anaglypticè elaboratis, aureiſque bracteis ad elegantiam contectis, laudati Pontificis Galletti munificentia, nuper inſtructa. In Abſide porro, altare variis ex marmore ornamentis noviſſimè concinnatum, ac lapidea Sarchophaga Camilli Aſtallii Cardinalis, & Andreę

Riggii

Rigii Pontificum Catanenſium elegantiſſima videntur. In ædicula autem, ubi S. Agathæ lipſana conduntur, argenteæ valvæ laudati Petri Gravinæ opera inſtitutæ. Lychnus è centro Abſidis pendet argenteus ab Alburquequio Duce Siciliæ Præſide Regis nomine oblatus poſt liberatam ab ingruenti incendio Urbem anno MDCLXIX., ut Inſcriptio docet prope ſepulchrum Ferdinandi Cunei, quam ad eumdem annum dedimus. In obverſis denique Abſidi parietibus pulcherrima à marmore Conditoria Michaelangeli Bonadies, & Petri Galletti Antiſtitum exurgunt, quæ ſuo loco deſcripſimus.

Jamvero in Ala aquilonari S. Georgii Mar., S. Franciſci Paulenſis, S. Cajetani, S. Antonii Abbatis, S. Joſeph Deiparæ Sponſi, ac S. Berylli Primi Catanæ Epiſcopi ſacella, quæ pari ornatu, ac meridionalia decorantur, extant. Contra Abſidem verò alæ huic reſpondentem, ubi SS. Euchariſtiæ cuſtodia, Franciſci Caraffæ ſepulchrum è marmore conſpicitur.

Sacrarium Sacrarium ſubinde ampliſſimum ſuccedit argenteis Vaſis, Candelabris, Lipſanariis, Aulęis, ſacriſque veſtibus opere vario contextis ex ejuſdem Petri Galletti, ac aliorum præceſſorum Pontificum dono affluenter dives, in quo cujuſque etiam Religioſæ Familiæ Patriarcharum icones, atque Ætnęi Incendii de anno MDCLXIX. graphica delineatio Michaelangeli Bonadies Epiſcopi cura conſpiciuntur.

Reliquiæ In Chriſti Domini è Cruce pendentis Sacello integrum S. Victorini Martyris corpus argentea theca incluſum, ab Albaro Cienfuegos S. R. E. Cardinali, & Catanenſi Antiſtite Româ transmiſſum colitur, quod Clementis XI. Rom. Pont.

Pońt. donum fuiſſe perhibent, Cienſuego oblatum. Aliæ Sanctorum Reliquiæ inſignes, pręter illas una cum Corpore S. Agathę aſſervatas, in oppoſita B. Marię Virginis Capella decentiſſimè cuſtodiuntur. Quarum Catalogum Groſſus exhibuit.

Tabularium Ibi Canonicorum quoque & Eccleſię Tabularium antiquiſſimis chartis, ac membranis, cum Græcis, tum Latinis, Codicibuſque manu exaratis inſtructum. Hos inter vetus Eccleſię Lectionarium, ac omnium Saracenorum Catanę degentium Catalogus, quos inter ſubditos Epiſcopi Comes Rogerius deſignavit, Gręcè, atque Arabicè conſcriptus; Pontificia inſuper, ac Regum, Principum, Dynaſtarumque autographa diplomata ſuis obſignata ſigillis. Permultos alios in eodem Tabulario Codices Monachorum opera in membranis olim conſcriptos aſſervatos ſcimus, quos poſterorū oſcitantiâ diſperſos nunc dolemus. Antiqui Pœnitentialis meminit Lorinus in ſuo de Sac. Pœnitentię eximio opere è Catanenſis Eccleſiæ Tabulario educti, ac in Bibliothecam Cardin. Eſtenſis tranſlati.

Organa Organa demum, & ipſa Baſilicæ majeſtati reſpondentia laudati ſæpius, at nunquam ſatis, Epiſcopi Galletti cura, atque impenſis dimidii anaglyphi ornamentis auro conveſtitis conſpicua poſt majorem Odei arcum, ac Ara Princeps ejuſdem artificii ſpectantur; ut de inſigni ſedium Choralium magnificentia, ſingularique cælatura hìc taceam, quam noſter Groſſus diligentiſſimè expreſſit.

Altare majus, & Chorus.

Canonici Ex Rogerii Comitis inſtitutione Monachi olim Benedictini Ordinis Eccleſiæ inſerviebant, ac diu, noctuque Divinis officiis incumbebant, è quorum

quorum cętu Pontifices quandoque aſſumebantur; quique in eorum electione ſuffragium ferebant. Sed Sæculo XVI. illis deficientibus, Pii V. Rom. Pontificis decreto Sæculares Presbyteri ſubrogati. Templi munia obeunt. Ex his quatuor, Prioris, Cantoris, Decani, & Theſaurarii dignitate, duodecim Canonicali munere funguntur. Archidiaconus verò ab Octavio Branciſortio poſtliminio reſtitutus Horis, ut ajunt, & Choro nonniſi feſtivis diebus intereſt, quamvis vocem habeat in Capitulo, atque inſignibus decoretur. Hæc olim ex Pii V. decreto Almutium, Cappa, & Superpelliceum; deinde Rocchettum, & Muzzetta nigri coloris; ſed violaceo utuntur hodie colore ab anno MDCL.

Ultra Canonicos duodecim Beneficiati, ab eodem Pio Pontifice inſtituti, ac Manſionarii octo Innocentii Maximi Epiſcopi mandato, dum Eccleſiam luſtraret, ordinati, quatuor demum Capellani, Magiſter Capellanus, ac minores alii Miniſtri ſacris officiis, Miſſarum celebrationibus, Sacramentorumque adminiſtrationi intendunt. Horum omnium, ut & Canonicorum, & Dignitatum collatio ad Epiſcopum pleno jure in perpetuum ſpectat, qui Canonicis, Dignitatibus, & Beneficiatis aureos mille pro *diſtributionibus de menſe* quotannis perſolvit, congruamque Capellanis, & Manſionariis ſuſtentationem præbet. *Beneficiati & Manſionar.* *Magiſter Capellanus.*

Canonicorum porro Præbendæ, ſeu Menſa, ut ajunt, ex variis Beneficiis de Jure Patronatus Laicorum olim, ad Epiſcopum devolutis, atque ex aliquot Prioratuum proventibus conflatur, ut Alexandri VI. diplomate fuerat ſancitum, laudatuſque Pius etiam firmavit. Dignitates verò ab Regia munificentia dotem expectant, habent- *Menſa Canonicorum*

que interim tenues proventus ex Beneficiis, ac Prioratibus adnexis.

Prioratus Adnexi. Hos quidem Prioratus enumerat Pirrus in Not. Epiſ. Catan: libro III; Verùm diligentius expendit Groſſus in Decacordo, ſuntque *S. Mariæ de Burgitabus* prope Goliſanum in Cephalædenſi Diœceſi ab Adelaſia Rogerii nepte anno MCXXXIV. fundatus, ac Catanenſi Eccleſię adjunctus, cujus juris ad annum MDLXXIII. perſtitit, hodie verò ad Regem illius ſpectat collatio. Prioratus *S. Agathę in Urbe Meſſana* Rogerio Siciliæ Comite authore, Monachis è Catanenſi Cœnobio, & S. Euphemiæ ultro citroque commigrantibus in hoſpitium attributus. S. Venerę inter Acim, & Maſchalas. *S. Annæ*, in cujus finibus hodie Propugnaculum ejuſdem nominis prope Acim; *S. Mariæ Annunciatæ Maſchalarum* ſive *de Milo*. *S. Agathæ Veteris Catanæ*, ubi antiqua Cathedralis Eccleſia, ac Fratrum Minorum hodie Cœnobium, à Martiali Epiſcopo anno MCCCLXVI. latifundiis, ac Privilegiis auctus. *S. Pauli* in Nemore; *S. Mariæ Aydonis*, quem Adelaſia mox laudata erexit, ac Fridericus II. Rex bonis adauxit, atque immunitatibus anno MCCX. donavit. *S. Gregorii de Platia* juris olim Cœnobii *S.* Mariæ de Licodia, Bartholomæi Farinati Monachi opera fundatus, aliuſque omnino à *S.* Andreæ Prioratu. *S. Nicolai de Vizinio*, ſive *Græcorum*, aliuſque *S. Mariæ Madalenæ* ejuſdem Opidi; Quorum hodie Eccleſiæ Laicis una, altera Fratribus Minoribus conceſſæ. *S. Leonis Aſſori* antiquiſſimæ inſtitutionis. *S. Mariæ de Nova*, ſeu *de Monacha* in Opido Raguſiæ à Gaufrido Rogerii Comitis filio MCVIII. inſtitutus, auctuſque à Silveſtro Marſici Comite anno MCXL.

Præter enunciatos alii quoque, qui ſuffraganei dicuntur, Prioratus Juris Eccleſiæ Catanenſis recenſentur: *S. Andreę de Milo* in Catanenſi nemore ab Joanne Aragonio Athenarum Duce conditus, Cœnobio Novælucis mox adnexus, rurſumque ab illis Monachis dimiſſus. *S. Georgii extra mœnia* à Friderico III. erectus, atque à Maria Regina illius filia, S. Mariæ de Licodia Monaſterio aggregatus, cujus Eccleſiæ rudera, cum Baptiſmali fonte, ac Cęmeterio extant. *S. Jacobi de Nemore*, quem in Paræciam erectum teſtatur diploma Eugenii IV. à Groſſo relatum. *S. Mariæ Adernionis* ab Adelaſia Rogerii nepte inſtitutus. *S. Mariæ de Fundrò*, in Abbatiam Caſinenſis Congregationis hodie evectus. *S. Mariæ de Cava* prope Opidulum Tricaſtaneum à Nicolao Caracciolo Catanenſi Pontifice in Sæcularem redactus. *S. Mariæ de la Croza*. *S. Benedicti Caſtrijoannis*. *S. Mariæ Gratiarum Paternionis*, ac Prioratus *Officii S. Euplii*, *Cruciferarius* aliter vocatus. Quorum omnium nomina ſuo ordine in Catalogum digeſta pridie Idus Februarii ſollemni ritu coram Epiſcopo, & Canonicis recitantur, illorumque Præfectos veluti Catanenſis Eccleſiæ ſuffraganeos Epiſcopus ipſe, Capitulumve proclamat. *Alii Prioratus Suffraganei.*

Catanenſium Pontificum hìc Elenchum ſubtexere peropportunum duxi, quorum omnium geſta in Annalibus expendi. Tum Virorum Illuſtrium, qui in eadem Eccleſia floruere, indicem dabo.

Chronicus Epiſcoporum Elenchus

S. Beryllus Xpi An.	44
S. Everius	262
S. Serapion	304
S. Severinus	312
* *Domninus*	430
Fortunatus	515
N. à Pelagio I. electus	555
Elpidius	580
Leo I.	590
* *Juvinus*	602
* *Joannes*	645
* *Georgius*	678
Julianus	680
S. Jacobus	740
S. Sabinus	750
S. Leo II.	776
Theodorus	785
S. *S*everus	812
Euthymius	864
Antonius	880
* *Humbertus*	1040
Anſgerius	1088
Mauritius	1124
Ivenus	1144
Bernardus	1155
* *Guillelmus Bleſenſis*	1158
Joannes de Agello	1160
Robertus	1170
Leo III. Ravennas	1180
Rogerius Ocho	1194
Gualtherius de Palena	1207
* *Henricus de Palimberga*	1238
Otho Capicius	1284
Angelus Buccamatius	1272
* *Andreas*	1296
Gentilis	1296
Leonardus de Fliſco	1304
Angelus Saccanus	1331
Nicolaus de Grellis	1332
Gerardus Odonis	1342
Petrus N.	1349
Joannes de Luna	1355
Martialis	1357
Helias	1375
Simon de Puteo	1379
Petrus Serra	1399
Robertus	1400
Maurus Calì	1408
* *Tomas de Aſmari*	1411
Joannes de Podio	1418
Joannes de Piſcibus	1431
Joannes de Primis	1445
Arias de Avalos	1449
Guillelmus Bellomus	1450
Julianus de Rovere	1472
Franciſcus Campulus	1474
Joannes Gattus	1475
Bernardus Margarithi	1477

Al-

Alphonſus Carillus Alburnotius 1489
Franciſcus Garcia 1493
Joannes Deza 1496
Franciſcus Detz Pratſ. 1498
Didacus 1500
Jacobus Raimirez 1501
Gaſpar Pau 1514
Mattheus Schiner 1520
Pompejus Columna 1523
Marinus Caracciolus 1524
Scipio Caracciolus 1524
Aloyſius Caracciolus 1530
Nicolaus M. Caracciolus 1537
Antonius Faragonius 1569
Joannes Horozcus 1574
Vincentius Cutellus 1578
Joannes Corrionerus 1589
Joannes Dominicus Rebiba 1596
Joannes Ruiz 1606
Bonaventura Secuſius 1609
Joannes de Torres 1619
Innocentius Maximus 1624
Octavius Brancifortius 1638
* *Martinus de Leon* 1648
Marcus Antonius Guſſius 1650
Camillus Aſtallius 1661
Michael - Angelus Bonadies 1665
Franciſcus Antonius Caraffa 1687
Andreas Rigius 1692
* *Philippus Sidoti* 1619
Albarus Cienfuegos 1722
Alexander Burgos 1726
Raymundus Ruby 1727
Petrus Galletti 1729

Quorum nomina Aſteriſco notantur, aut incerti ſunt, aut tantũ Electi, ut in Annalibus expendimus.

Digitized by Google

VIRORUM ILLUSTRIUM,
Qui in S. Agathæ Cœnobio floruerunt, Catalogus.

Nicolaus Tedeſchius Juris Interpres celeberrimus, Abbas S. Mariæ de Maniacio, Archiepiſcopus Panormitanus, & S. R. E. Cardinalis.

Joannes Paternionius, Prior Eccleſiæ, S. Mariæ Novælucis Abbas, Milevitanus Pontifex, Archiepiſcopus Panormitanus, Siciliæ tertium Prorex, & S. R. E. Cardinalis deſignatus.

Jacobus Tedeſchius Meſſanenſis Archiepiſcopus.

Mauritius Catanenſis Epiſcopus, & Abbas.

Ivenus Catanenſis Epiſcopus, & Abbas.

Rogerius de Ochò Catanenſis Epiſ. & Abbas.

Pontius Sacri Caſinenſis Cœnobii Abbas.

Joannes Cajetanus Epiſcopus Stabienſis.

Rivivardus Militenſis in Calabria Pontifex.

Thomas de Herbes Syracuſanus Pontifex.

Antonius de Vulpono Decanus, & Archidiaconus Catanenſis, demum Milevitanus Epiſcopus.

Antonius Platamonius Milevitanus Epiſcopus

Thomas de Aſmari Eccleſiæ Catanenſis Prior, tum Pontifex deſignatus, quamvis Conſecrationis munus minimè ſit aſſecutus, Abbas demum S. Mariæ de Foſſanova.

Martialis Catanenſis Pontifex, & Abbas.

Bernardus Paternionius S. Philippi de Argyrio Abbas, & Milevitanus Antiſtes.

Jaymus Paternionius Abbas etiam Argyrenſis, & Milevitanus Epiſcopus, Catanenſis poſtulatus.

Antonius de Alagona Milevitanus Pontifex.

Ximenius de Alexandro Trojenſis in Apulia Antiſtes. Ber-

Bernardus Margarithi Cephaledenſis primùm mox Patriæ Epiſcopus, & Abbas.

Hieronymus Siſmundus Epiſcopus Pactenſis.

Henricus Ariſtippus Catanenſis Archidiaconus, Regius Familiaris, Cancellarius, ac Regni Siciliæ Ammiratus.

Petrus Celius Catanenſis S. Mariæ de Licodia primus Abbas.

Thomas Bonifacius S. Luciæ de Montaneis, & S. Mariæ de Gloria Abbas.

Joannes S. Mariæ Novælucis Primus Abbas.

Rogerius de Bumbello ſecundus S. Mariæ de Licodia Abbas.

Joannes de Caſtellis, Nicolaus de Caſtrojoanne, Riccardus Rizzarus, Jacobus Borellus: Inſignis Cœnobii S. Mariæ de Scalis Parternionis Abbates.

Albertus de Rocca S. Mariæ de Maniacio Abbas.

III. S. MARIÆ DE ELEEMOSYNA COLLEGIALIS ECCLESIA, ALIÆQVE PARŒCIALES CUM VETERES, TUM RECENTIORES.

Fundatio

E minimis principiis Sacra B. Mariæ de Eleemoſyna Ædes in Collegialem, atque inſignem crevit Eccleſiam, ac Regiæ Capellæ titulo meruit honorari; tradunt enim, quod ex piorum eleemoſynis ſupra ædiculam ſecus viam, in qua devotiſſima Virginis imago colebatur, Templum ſurrexit, quod temporum decurſu in Paræciam erectum, ſupra cæteras Urbis Eccleſias poſt Cathedralem dignitate præfulxit; eò quippe Sæcularis Clerus conveniens divinis officiis ferventiſſimè incumbebat, populiſque ſacramenta adminiſtrabat. Hinc factum, ut ab Aragonenſibus Princi-

Principibus, qui diù Catanæ ſedem fixerant, in Regiam Capellam adoptaretur, & à Martino Rege, qui ſępius eamdem frequentabat, quindecim, ut ajunt, tarenis quotannis donaretur in ejuſdem Beatę Virginis feſtò Purificationis impendendis, ſcripto ad id diplomate Catanę Kal. Novembris MCCCXCVI.

Regia Capella conſtituitur.

Canonicorum Inſtitutio.

Subinde Eugenius IV. Rom. Pontifex in Collegialem evexit, Præpoſiti, Cantoris, & Theſaurarii dignitatibus, atque undeviginti Canonicis inſtruxit, quibus Præbendas, Paræcias, & Beneficia attribuit, Inſignia, ac Privilegia Capellæ S. Petri in Regio Panormitano Palatio, ejuſque Canonicis conceſſa, ex benignitate Apoſtolica impertiit anno MCCCCXLVI. Literas Alphonſus Rex confirmavit, ac Franciſcum de Catania Regium Eccleſiaſtem in Canonicum inſtitui mandavit.

Acceſſit Nicolai V. diploma ſub annum MCCCCXLVIII. quo præceſſoris ſui ratam voluit elargitionem, conceſſitque Canonicis, ut Adoptionis jure fruerentur, atque ad Socii electionem, quum vacare contigerit, liberè procederent; Electus verò ab Epiſcopo confirmationem exoraret. Ut porro decentius Divina myſteria celebrarentur, Perſonatus ſex, ſive Manſionarios Innocentius Maximus Catanenſis Pontifex anno MDCXXX. inſtituit, quorum etiam electionem Canonicis attribuit, ac duos præterea, Capellanum ſcilicet, & Cęremoniarum Magiſtrum adjunxit, ut alter Præpoſiti vice, cui primario cura imminet animarum, ſacra populis miniſtret, alter muniis Eccleſiaſticis ritè obeundis intendat.

Templi ſtructura.

Antiquâ Eccleſiâ ex terræmotu dirutâ, novam, quæ Urbis dignitati reſponderet, moliri cœperunt, cujus gremium, ac collaterales parie-

tes

tes paraſtatæ variâ picturâ exornatæ opere Jonico ſuſtinent. Odeum teſtudinatum, Tholus, proſpectuſque ex albo Syracuſano lapide ultimam expectant manum. Diviniſſimæ Euchariſtiæ Tabernaculum affabre ex vario marmore elaboratum præ aliis eminet; Sacrarium denique varia, ac pretioſa ſupellectile inſtructum quamplurimis Sanctorum Lipſanis, *Dente molari S. Apolloniæ V. M.*, *Brachio S. Apollinaris*, *&* *Ligno Sacratiſſimæ Crucis* præ cæteris exornatur. Vide ſis quæ de hac Eccleſia diximus in Additionibus ad Notitias Rocchi Pirri Par. 4. not. 7. ex qua ſequentem Præpoſitorum Indicem eruimus. *Reliquiæ*

Joannes Oliverius Catanenſis, qui primus ab Eugenio IV. Præpoſitus renunciatus, à F. Petro Jeremia Ordinis Prædicatorum Apoſtolico Delegato in poſſeſſionem fuit inductus, morum probitate conſpicuus. *Præpoſiti*

Franciſcus de Sacco generis nobilitate clarus, virtute præcipuus, Guillelmi Bellomi, & Franciſci Campuli Catanenſium Pontificum Vicesgerens, de noſtra Eccleſia meritiſſimus.

Georgius Coſta Luſitanus Archiepiſcopus Ulyſſiponenſis S. R. E. Cardinalis, Albanenſis, Tuſculanus, demumque Portuenſis Pontifex, ab Innocentio VIII. Præpoſitura donatus, eidem poſt annum renunciavit.

Nicolaus Caropipi Catanenſis parentibus illuſtriſſimis, moribuſque præſtans Martini Regis Diploma in publicas Tabulas redigendum curavit.

Thomas Tuſchanus S. T. in Patrio Gymnaſio Magiſter, majorum laude celebris, propria virtute celebrior, Jacobi Conchilles Epiſ: Catanenſis Vicarius.

Hieronymus Tornanbene Patricia gente Catanæ exortus, bonis actibus dignitatem per annos tres, ac viginti exornavit, ſuæque Eccleſiæ præclarè conſuluit.

Franciſcus Sanſonius Panormitanus peculiari Pauli IV. Rom. Pont. decreto Præpoſituram obtinuit, ſed ad Laudenſem Eccleſiam aſſumptus dignitati nuncium remiſit.

Vincentius Senenſis à Canonicis dudum electus poſt Hieronymum, Patria Catanenſis, ſed Piccolominea gente Senis oriundus, doctrinâ, ac muniis commendatus, ſub Nicolao Caracciolo, & Antonio Faragonio Generalis Vicarius, ac ſub Joanne Horozco etiam, cujus vice Epiſcopatus poſſeſſionem iniit. Eccleſiæ ſuæ ſtudioſiſſimus, ſtrenuè illius jura defendit.

Vincentius de Amatore, & *Butera* Senenſis à Siſto V. electus. Huic Petrus Boccataglia ta per Canonicos inſtitutus ſeſe oppoſuit, quo tandem renunciante, Buterâ in poſſeſſionem inductus, annis ferme XII. laudabiliter præfuit.

Ludovicus Ferranto ex Opido S. Marci per annos quinque Præpoſituram geſſit.

Ludovicus Celeſte Raguſiæ nobilibus ortus parentibus à Paulo V. renunciatus anno MDCIX, nonniſi poſt biennium dignitatis poſſeſſionem eſt aſſecutus, cui tandem favore ſucceſſoris, renunciavit.

Claudius de Leonibus in Patria Academia Sacrorum Canonum, & Juris Civilis emeritus Profeſſor Innocentii Maximi vices geſſit, à Scientia, deſteritate, forenſium uſu, virtute, & moribus ſpectabilis.

Aloyſius Branciſortius Octavii Catanenſis Epiſcopi Germanus Frater, ejuſque Vices gerens, Cathedralis Eccleſiæ Archidiaconus, tandemque

Amal-

Amalphienſis Pontifex, ab animi magnitudine, atque in Deum pietate commendatus.

Carolus Finiclarus, & Paternionius Catanenſis S. T. ac J. U. Doctor, Dialecticæ in publico Gymnaſio Profeſſor, Eccleſiæ ſuæ præclarè conſuluit, utque Canonici, & Dignitates honoribus, titulis, ac inſignibus ab Eugenio attributis uterentur, novo Romanæ Curiæ decreto obtinuit. Præfuit annis pene xxx.

Andreas Buglius Patricius Catanenſis humanis, ſacriſque literis apprime inſtructus, Andreæ Riggii Epiſcopi Vicarius. Templum terræmotu disjectum noviter excitandum curavit. Deceſſit ſenio gravis.

Joannes Rizzarus nobiliſſima proſapia oriundus U. J. Doctor, Cathedralis Eccleſiæ Archidiaconus, Apoſtolicus in Patria Vicarius, atque ad relaxandas *Interdicti* cenſuras Delegatus. Sede vacante pluries etiam Capitularis Vicarius, quo munere Petri Galletti vice hodie fungitur. Cantor ejuſdem Cathedralis renunciatus Præpoſituram dimiſit.

Ignatius Rizzarus Joannis Frater, à Canonicis rite electus, cui Salvator Peregrinus à Romano Pontifice inſtitutus ſeſe oppoſuit, ſed utriuſque rationibus expenſis in ſuprema Apoſtolicæ Legatiæ curia Peregrinus obtinuit, Ideo

Salvator Peregrinus Catanenſis dignitatem hodie retinet. Valet Præpoſitura Scutata centum. Canonicis olim, ac Dignitatibus Parœciales Eccleſiæ unitæ recenſebantur. *S. Catharinæ, S. Mariæ de Odigitria, S. Mariæ de Eleemoſyna, S. Philippi, & S. Thomæ Catanæ, S. Nicolai de Maſcalcia, S. Mariæ de Valle viridi, S. Philippi de Carcina, S. Mariæ Annunciatæ de Monpilerio, & S. Nicolai* *Eccleſiæ adnexæ Canonicisq; additæ.*

lai de Tricaſtaneis: Quarum hodie illi nonniſi titulum obtinent; S. Mariæ de Eleemoſyna excepta Parœcia, cujus jura ad Præpoſitum ſpectant, qui ſolus Catanæ Parochus poſt Epiſcopum. Sed ad alias Parœcias deſcendamus.

S. Catharina V. M.

S. Catharinæ Eccleſia olim Parœcialis, quum eſſet juris Præpoſiti Collegiatæ anno MDC Rectoribus Montis Pietatis à Vincentio de Amatore, & Butera Præpoſito fuit attributa; Subinde nobilium Alborum ſodalitati anno MDCXVII ceſſit; Hodie ſub Martini Epiſcopi titulo templum conſurgit, ubi olim S. Catharinæ ædes prope rudera antiquiſſimi Arcus à Marco Marcello appellati, in quo Alborum ſodalitas inſtituta. Extat ejuſdem S. Catharinæ Eccleſiæ memoria anno MCXXVI, quo ſacris de more adhibitis cæremoniis à Mauritio Catanenſi Pontifice legitur inuncta. Id olim lapis edocebat ejuſdem parietibus inædificatus, quem inde avulſum Scipio Ricciolus Catanenſis Patricius aſſervabat, à Groſſo allatus.

XV. KAL. SEPTEMBRIS.

Dedicatio hujus Sanctæ Eccleſiæ in Honorem S. Catharinæ Mauritii Præſulis.

S. Mariæ de Odigitria

S. Mariæ de Odigitria Templum in memoriam translationis devotiſſimæ Imaginis eidem Deiparæ ſacræ priſcis temporibus Catanæ extructum perhibetur; Anno quippe MCCLXXXI Urbis regio ad ſolſtitium æſtivum ab eo nomen habebat, ut Groſſus ſcribit. Cantoris etiam Dignitati in Collegiata inſtitutæ in Eugenii diplomate enunciatur adnexũ. Illud vetuſtate fatiſcens Vincentius Fimia ex Patriciis Catanēſibus reſtaurandũ curavit ſæculi elapſi initio; Poſt Terræmotum verò Andreas Riggius Epiſcopus collapſum reſtituit,

tuit,

tuit, eſtque hodiè Sacramentale. Feſtum in eo olim ex Cajetano in *Idea* VI Nonas Octobris; noſtra verò ętate feria III poſt Pentecoſten ſollemni ritu celebratur.

Eccleſiæ S. *Michaeli Archangelo* ſacra Parçcialibus olim accenſebatur, ſed ab Innocentio Maximo Clericis Minoribus attributa anno MDCXXV. Parœcia eſſe deſiit; hinc in S. Elenæ, & Conſtantini æde primùm, mox in *S. Blaſii* Templo ſacra populis miniſtrari cœperunt. Hujus origo circa ſæculi XV medium conſignatur ex laudato Groſſo, piorumque eleemoſynis debetur, quibus etiam Capellani eidem inſervientes alebantur. Poſt annum MDCXCIII Andreas Riggius, nova, ac inſigni ſupra fornacem Beatę Agathę extructâ Eccleſiâ, ut in eam S. Blaſii Parœcia transferretur, inſtituit. Hinc ſub ejuſdem S. Epiſcopi, & Martyris titulo, ac Fornacis etiam Civis amantiſſimę nomine hodie venit. Ad illam denique ſollemnis procedit ſupplicatio, ex Senatus voto cum S. Blaſii Gutture IV Kalendas Majas, ob prçſervatam Beatiſſimi Pontificis meritis ab *Pariſthmiorum morbis* Urbem. Templi porro noviter excitati authorem docet Inſcriptio Aquilonari feneſtræ inſidens. *Sacra, quæ tegebat Ædes D. Agathæ Rogum terræmotu ruit; nunc altis renovata muris proprio D. Andreæ Reggio, & Saladino Epiſcopi Catanenſis extollitur ære. Martyris fornax Præſulis ardore reficitur; & pyram, quam in Amazonem Quintiani feritas extruxit, in hoc Templum bonus idem Paſtor magna liberalitate reduxit anno Domini* MDCCII.

S. Michaelis

S. Blaſii

Fornacis S. Agathæ

S. Philippi Apoſtoli Parœcia ex antiquioribus creditur, hinc tertium poſt Cathedralem occupat locum. Canonicalibus S. Mariæ de Eleemoſyna

S. Philippi

moſyna Præbendis adnexa ex Eugenii diplomate, in Oratorium S. Philippi Nerii Scipionis Riccioli opera elapſo ſæculo erecta fuit; Verùm præclara hæc inſtitutio paucis poſt annis, neſcio quo fato, intercidit. Terræmotu dirutam Andreas ſępius laudatus reſtituit. Ab ea proxima Urbis regio, vicinumque Emporium S. Philippi nomen ſortitur.

S. Marinæ S. *Marinæ* vetus etiam Parœcia, cujus fundatio annum MCCCXXXIV prçceſſiſſe refert Groſſus, S. Annæ de Caſalenis titulo appellata, atque ab Antonio Gatta ejuſdem Beneficiato Laicis ad Sodalitium inſtituendum anno MCCCCXXXIII conceſſa. Hçc hodie occidentalis regionis incolis Sacramenta miniſtrat.

SS. Thomæ, & Andreæ S. *Thomæ Apoſtoli* Parœcialis olim, et Collegiatę Eccleſię adnexa, in qua & Nautarum ſodalitium anno MDLXX inſtitutum ex Canonicorum conceſſione; ſed elapſo ſęculo Octavii Brancifortii Epiſcopi juſſu Sacramentalis eſſe deſiit, rurſuſque poſt Terręmotum in Parçciam erecta, ac titulo etiam S. Andreę donata, ad Orientalem Catanę regionem *Civita* appellatam ſita eſt.

S. Agathæ extra muros S. *Agathæ* extra muros. Hæc poſt annum MDCLXIX erecta, ex parvis initiis in ampliſſimam crevit Eccleſiam. Quum enim ex Ætnæ incendio Pagorum aliquot pęnitus deletis, Opidani extra Catanę muros ad Septentrionem conveniſſent, adeout nulli alteri regioni cum ædificiis, tum populi frequentia, hęc videretur, Franciſcus Caraffa Catanenſis Pontifex, ut animarum ſaluti proſpiceret, hanc S. Agathę Eccleſiam in Parçciam erexit, ſubindeque anno MDCXC pridie Kalendas Majas ſacro linivit oleo. In eamdem biennio ante ædicula fuerat translata, ubi Nativitatis

Domini

Domini hiſtoria exprimitur, quæ inter Arbuſta inventa, nec ſine prodigio, S. Mariæ de Apunctiis nomen invenit, coliturque hodie ſumma pietate ab incolis ob accepta beneficia.

S. Mariæ de Concordia, cui Cœnobium Fratrum Redemptionis Captivorum de Mercede eſt adnexum, anno MDCCXXXV Parœcialis declaratur à Petro Galletto Epiſcopo ob creſcentem in dies incolarum multitudinem extra Steſichori Portam in veteri Suburbio.

Parœcialibus olim Eccleſiis *S. Mariæ Grandis* extra Regis portam Baſilica accenſebatur; ſed ſæculo XV Ordinis S. Dominici Fratribus conceſſa, ab illo fortaſſe tempore Parœcialis eſſe deſiit. *S. Nicolai* etiam *de Trixinis* Parœcialis memoratur anno MDLXX. Tertii Ordinis S. Franciſci Fratribus inde attributa.

S. Petri Apoſtoli, hodie ſub *S.* Mariæ de Auxiliis titulo.

S. Mariæ Magdalenæ, ubi nunc Laicorum Collegium, & *S. Margharitæ*, à qua regio proxima olim dicebatur, Parœciales etiam Eccleſiæ erant; de quibus ſuo loco.

Notandus hìc denique Pirrus, qui ſacram D. Hippolyto ædem Parœcialibus Catanæ accenſet; Extabat quidem olim illa, ſed filialis erat, ut Groſſus advertit. Hodie nulla eſt.

CAP. IV.

CAPUT IV.

BENEDICTINA CŒNOBIA CUM CATANÆ, TUM IN EJUS, AETNÆQVE FINIBUS.

S. Agathæ Monaſterii

I. S. *Agathæ* Monaſterium unà cum Cathedrali Eccleſia ab Rogerio Comite fundatum anno MXCVIII Anſgerius Primus poſt exactos Saracenos Catanenſis Pontifex, & Abbas adminiſtravit. Fuerat is Cœnobii S. Euphemiæ in Calabria Prior, è quo ab laudato Comite extractus, complures ſecum adduxit Monachos, quos in Canonicos ejuſdem Eccleſiæ ordinavit. De hoc jam ſatis in ſuperioribus actum cap. 3. n. 2. ubi Abbatum, atq: Illuſtrium Virorum, qui ejus olim fuere alumni, Patriamque, & Ordinem condecorarunt, Indicem dedi. Monachorum porro Aedes, ubi hodie Canonica, & Prioratus poſt Epiſcopale Palatium exurgebant. Illorum numerus incertus ſub Joanne Agello, enim quadraginta quatuor Monachi fornicis Eccleſiæ ruina cum ipſo Epiſcopo dicuntur oppreſſi anno MCLXIX. Decennio elapſo ſub Roberto treſdecim ſubſcribunt, in quodam Inſtrumento apud Groſſum Cat. Sac. §. 25. Rogerio autem Eccleſiam moderante duo & quadraginta in Privilegio Abbatiæ S. Mariæ Licodienſis ſubſcripti leguntur, quos inter *Rogerius de Platea* Magiſter, & in calce F. *Joannes* Puer F. *Benedictus* Puer, ideſt Novitii. Datum eſt anno MCCV. At ſub Martiali ſequenti Sæculo decem & ſeptem ſolummodo in Prioratus S. Agathæ Veteris Inſtitutione ſignati videntur; uti ſub Simone de Puteo anno MCCCLXXXIV, novem in diplomate Abbatiæ S. Marię de Novaluce.

Ædes Monachorum

Numerus

Verùm

Verùm non omnes in hujuſmodi Chartis ſubſcriptos Monachos inde colligo, quod in Joannis Agelli donatione quadam duodecim ſolummodo enumerantur, quum conſtet aliunde quadragenarium illos exceſſiſſe numerum, ut vidimus. Seris temporibus anno MCCCCLXXXVI. vacante Eccleſia ob mortem Bernardi, Monachi octo ad novi Præſulis electionem in Joannis Paternionii, tunc Epiſcopi Milevitani, atque ejuſdem Cathedralis Prioris perſonam convenere. Subinde circa ſequentis Sęculi medium Franciſcus Ventus Regius Viſitator duos & viginti in ſuis tabulis enumeravit, Jacobus Arnedus verò viginti ſeptem invenit. Ex Pii IV. demum decreto decem ſuperſtites Monachos in Eccleſia fuiſſe colligimus. Quibus demortuis Sæculares Presbyteri ſucceſſere.

II. *S. Mariæ de Licodia, & S. Nicolai de Arena* ſub uno, eodemque Abbate canonicè unita Monaſteria ſeculo XII. initia à Monachis S. Agathæ, atque ab Henrici Policaſtri Marchionis, ejuſque Filii Simonis liberalitate recognoſcunt. Ille enim Joanni Amalphitano, ac ſociis Eremum S. Leonis de Pannachio ſub Aetna attribuit anno MCXXXVI. Simon verò Jeremię etiam Catanenſis Monachi precibus S. Marię de Licodia prope Paternionem ſuę ditionis opidum conſtruxit anno MCLX. Jamverò idem Comes Monachis S. Leonis Eccleſiam, & Hoſpitale S. Nicolai de Arena ab altero Simone Rogerii Comitis filio ædificatum conceſſerat, ut illis eſſet pro valetudinario; hinc factum ut S. Leonis relicto Cœnobio, decurſu temporis, Aſcetæ in S. Nicolai ædem convenirent, à qua deinceps nomen, ac titulum Abbates ſunt adepti.

S. Mariæ de Licodia, S. Leonis, & S. Nicolai de Arena

Abbatis Inſtitutio

Primus porro Abbas Petrus Celius Cucullo, & Patria Catanenſis à Rogerio Epiſcopo anno MCCV inſtituitur, facta utriuſque Monaſterii unione; hinc ille Cathedralis Eccleſię antea Prior, S. Marię de Licodia Abbas, & S. Leonis Prior eſt appellatus. Subinde Martialis etiam Catanenſis Pontificis decreto Jacobus de Soris, ut S. Mariæ de Licodia, & S. Nicolai de Arena Abbas dici poſſet, impetravit; quo quidem Monachorum utriuſque Cœnobii de primatu, ac titulo contendentium jurgia ſunt compoſita anno MCCCLIX.

Sicula Congregatio

Sub Mauro de Truglio XVIII Abbate in unam ſocietatem Sicula pene omnia Cœnobia convenere, quæ Sicula Congregatio, & *S. Nicolai de Arena* ab illius Promotore Mauro noſtro fuit appellata. Ex ejuſdem legibus Temporanei Abbates adlecti ſunt, qui ad aliquot tantùm annos, vel ad unum, Regimen habuere. Quum verò Sacrum Caſinenſe Cœnobium *S*. Juſtinę de Padua Congregationi, quę per Italiam diffuſa ſummis incrementis efflorebat, fuiſſet adnexum, *S*iculi Monachi, & Abbates cum eadem inire ſocietatem cogitarunt; Nec multo poſt voti compotes effecti, deinceps ſub Caſinenſi alias S. Juſtinę militare cœperunt ab anno MDVII.

Unio cum Caſinenſi Congregat.

Monachi Catanam migrantes novũ ibi Cœnobiũ condunt

Baſilio à Novaria XVI Caſinenſis Congregationis Abbate moderante, Catanam è nemore Aſcetę migrarunt, quod prędonum incurſionibus, Ætnæque montis incendiis S. Nicolai Cœnobium videretur obnoxium; ſed non niſi anno MDLVIII. novi Cœnobii ædificium Catanę inceptum. Quo tandem poſt XX annum completo, ſexto Idus Februarii ſolemni pompa in illud ſeſe recipiunt, ubi ad annum XCIII elapſi Sęculi perſtitere. Erat porro auguſtâ ſtructurâ, ac periſty-

lio

lio marmoreo conſpicuum, adeout paucis ſecundum per Inſulam, atque Italiam crederetur. At terręmotu dirutum, relictumque à Monachis fuit, qui in monte Virginum novum moliri cœperunt: mutato tamen conſilio vetus reparare, atque altero adjecto periſtylio in elegantiorem, laxioremque formam redigere curarunt, ubi ab anno MDCCXXXV perſeverant. *Terręmotu dirutum reparant*

Eccleſia præ cęteris nedum Catanæ, ſed Siciliæ totius ſacris ædibus eminet, nullique certè comparanda, si vel molem, vel opificium ſpectes, ſed hęc ultimam expectat manum, ut & alia Cęnobii ædificia ad aquilonarem regionem, ubi Novitiorum cellę, Hoſpitum aulę, ampliſſima Bibliotheca, Triclinia, atque id genus alia, dum hęc ſcribimus ſtatuuntur. *Eccleſia*

Longior, quam par eſſet, hìc evaderem, si vellem ſingula celeberrimi Cęnobii hujus decora per compendium promere. Satis de illo in Monaſtica Sicilię Hiſtoria me ſcripſiſſe memini; expendam quam breviſſimè Adnexas Eccleſias, Sacrarii Theſaurum, Abbatum, ac Virorum illuſtrium Catalogum, atque id genus alia.

S. Mariæ Vallis Joſaphat Paternionis Eccleſiã ab Adelaſia Rogerii Uxore conditam Anſgerius Epiſcopus, Henrico Policaſtri Comite agente, Cęnobio Vallis Joſaphat in Jeruſalem univit, atque Hugoni illius Abbati cum Parœcialibus præeminentiis attribuit anno MCXIV. Mauritius verò ejuſdem Anſgerii ſucceſſor cum Hugone Syracuſano Antiſtite ſollemni ritu conſecravit, Reges denique variis muneribus, ac Privilegiis auxere. Direptis Sacris Jeroſolymę locis, poſtquam à variis fuiſſet adminiſtrata, ex Lucæ de Sebaſta ultimi Prioris renunciatione S. Marię *Adnexæ Eccleſię*

 de

de Licodia Cœnobio, Eugenio IV. Romano Pontifice ſpeciali diplomate XIX Kal. Jan. MCCCCXLIII rem probante, fuit unita, moxque ſtructuris reparata, ac ſacro cultu aucta. Colitur in ejus Sacrario Os S. Barbarę V. M. Opidi Patronę.

S. Mariæ Roboris Groſſi Prioratus in finibus Adrani Adelaſię Rogerii Comitis ex Emma, ſeu Matilde filia neptis opera, & opibus fundatus, ac Joanni Alemanno Presbytero, & Monacho attributus, quum anno MCCCLVIII penitus collapſus videretur, ab Epiſcopo Martiali Licodienſi Monaſterio adnectitur. In ejuſdem Eccleſia devotiſſima B. Mariæ Virginis Statua ex robore, impolito opere, quę anno MCCCCLX ad Cœnobium translata, quum Ætnę incendii proxima incurſione Monachi perterriti Prioratum reliquere.

Prioratus S. Salvatoris in Opido Ceramio à Simone Comite ſępius laudato Jeremiæ, ac Sociis in prima *S.* Marię de Licodia fundatione conceſſus.

S. Marci Prioratus in Paternionis Opido Monachis *S.* Leonis (incertum quo anno, aut cujus liberalitate) adnexus. *S. Georgii* etiam *Eccleſia* ab Rogerio Epiſcopo, & *S. Cathaldi* ejuſdem Opidi ab Oddone itidem Catanenſi Pontifice Cœnobio *S.* Leonis donatę leguntur.

S. Georgii prope Catanam *Prioratum* Maria Sicilię Regina poſt Franciſci Buccadordei obitum noſtris attribuit. Pirrus S. Gregorii malè appellat, atque ab Friderico III. Mariæ Genitore fundatum dicit.

Jamvero Bibliotheca ampliſſimâ librorum ſupellectile, ſed mm. ss. codicibus præcipuè, atque membranaceis compluribus decoratur, ſacro

vel

vel maximè Bibliorum libro miræ apicum pulchritudinis, & artificii. Tabularium vetuſtiſſimis chartis, ubi Regum, ac Principum Privilegia autographa exarata, etiam inſtruitur.

Coluntur denique in Sacrario Clavus Divinus, qui Chriſti Domini dexteram in Cruce confixit, atque ingenti fidelium devotione ob præſtita beneficia, ac patrata miracula, honoratur. Partes Crucis, quarum aliquot in aurea theca è Martini I. Regis olim collo pendentes, ejuſdem dono unà cum pretioſiſsimo Clavo Monachis ceſſerunt. Albæ veſtis fruſtulum, ex Purpura, & Columna Eleonoræ Reginæ donum. Spina, Deiparæ Capilli, Caput Mamillæ S. Agathæ Virginis, & M. Ex veſtibus B. Mariæ Virginis, ex Pannis Domini, ex veſte S. Joſeph, Dens S. Joannis Præcurſoris, Dens S. Joachim, ex Oſſibus S. Petri Apoſtoli, S. Benedicti Abbatis, atque ex ejus fęmoralibus, Sagitta S. Sebaſtiani M. ex Barba S. Zachariæ, Os poplitis, & pars Coſtæ S. Nicolai Barenſis, Caput integrum unius ex ſociis Monachis S. Placidi M; ejuſdem Os; Aliorum denique *SS.* Martyrum, Apoſtolorum, Pontificum, ac *SS.* Virginum, & Mulierum Reliquiæ thecis argenteis elegantiſſimis concluſæ, ut de integro B. Pagani ejuſdem Cœnobii Monachi corpore in arca decenter collocato hìc taceam. *Reliquiæ*

Cæterum locuples adeo Sacrarium eſt, totque vaſis, aulæis, ac veſtibus abundanter inſtructum, ut jure cum illo, de quo diximus, Templi majoris queat comparari. Eminent præcipuè Venerabilis Euchariſtiæ Ferculum, Calix, ac Ss. Clavi Lipſanarium ex aureo puriſsimo, gemmiſque referta. *Sacra ſupellex*

Abba-

Abbatum, qui è S. Agathæ Cœnobio aſſumpti, aut in noſtro Monaſticam emiſere Profeſſionem, Index Chronicus.

Abbates perpetui Joannes Amalphitanus anno 1136. Michael anno 1158. Erucus ſive Hervias anno 1182. Petrus Celius anno 1192. S. Leonis Priores.

Jeremias Licodienſis Monaſterii Prior. Anno 1160.

1. Petrus Celius, qui ſupra, Primus Licodię Abbas, ac S. Leonis inſimul Prior anno 1205.

2. Rogerius de Bumbello an: 1205. ſec. Abbas.

3. Petrus Ruſſo an. 1257. magna ſolertia rexit.

4. Bartholomæus de Muſco 1294. ſanctis moribus ornatus.

5. Petrus de Marca an: 1306. Leonardi Epiſ. Gen: Vicarius.

6. Nicolaus de Manna 1321. optimè adminiſtravit.

7. Bartholomæus Scalceato 1328. Regibus acceptiſſimus.

8. Jacobus de Soris 1343. Sede vacante, & ſub Oddone Epiſ. Vicarius.

9. Philippus Rizzarus 1364. à virtute, & prudentia commendatus.

10. Leonardus de Euſtaſio 1375. piis operibus dives.

11. Nicolaus de Rocca an. 1379. Regularis obſervantiæ promotor.

12. Bartholomæus Rizzarus 1382. meritis ſpectantiſſimus.

13. Placidus de Aquila 1388. laudabiliter pręfuit.

14. Bartholomæus de Luna 1392. prudentiæ laude præcipuus.

15. Henricus de Montana 1402. diſciplinæ Monaſticæ cultor. 16 Pe-

16. Petrus Rizzarus an: 1314. dexteritate, optimiſque moribus pręſtans.

17. Joannes Baptiſta Platamonius 1455. Abbatia digniſſimus.

18. Maurus de Truglio 1469. morum innocentiâ clarus, qui Siculam promovit Congregationem, ultimuſque Abbas perpetuus regimine ſeſe abdicans, ſolo contentus titulo, per annum ſupervixit.

19. Euſebius Viperanus primus Siculæ Congregationis Abbas temporaneus anno 1484. *Siculæ Cong. Abbates Temporanei*

20. Nicolaus de Sbarris Catanenſis an: 1485.

21. Andreas Cimbalus Randacienſis an: 1486.

22. Philippus Turcheſius Paternionenſis anno 1498. Congregationis ob vitæ merita Præſes.

23. Antonius Rizzarus à Catana 1501. virtutibus ornatiſſimus.

24. Vitus Cataniſius patria, & cucullo noſter anno 1502. Congregationis Præſes, & ad Caſinenſes legatus.

25. Angelus de Bonjoanne 1505. ab Religionis zelo commendatus. Ultimus Siculæ Congregationis Abbas.

26. Euſebius ab Enna 1527. magna ſe geſſit prudentia. *Abbates ſub Caſinenſi Congregat.*

27. Hieronymus Gatta 1532. benè adminiſtravit.

28. Joannes Maria Candora Agyrenſis an: 2558. novum Catanæ Cœnobium moliri cœpit.

29. Franciſcus Florentius ab Adrano 1569. ſanctis moribus præditus.

30. Paulus Gravina Catanenſis anno 1581. Ordinis S. Baſilii per Calabriam, & Siciliam Reformator.

31. Romanus Jordano à Catana 1597. Cœnobii Bibliothecam concinnandam curavit.

32 Pau-

32. Paulus Gravina à Catana, ſecundus appellatus 1601. ab ſcientia notiſſimus.

33. Euphemianus Caſagrande Catanēſis an. 1605 Periſtylium marmoreum juſſit.

34. Fauſtus ab Adrano 1611. ſexto poſt menſe obiit.

35. Gregorius Motta à Catana 1612. Jurium Cœnobii vindex.

36. Theodoſius de Maſitio Catanenſis 1622. prudentia præditus eximia.

37. Innocentius Ruſſus Catanenſis 1631. pro Monaſterii immunitatibus tuendis ſtrenuè deſudavit.

38. Franciſcus Cajetanus à Catana 1640. bonis operibus locuples deceſſit in patria.

39. Maurus Caprara Paternionenſis 1644. preclara reliquit ſolertiæ monumenta, boniſque Cœnobii conſuluit.

40. Claudius Caponettus Catanenſis 1649. morum integritate illuſtris.

41. Honoratus Columna à Catana anno 1673 diſciplinæ monaſticæ zelantiſſimus, dexteritate præcipuus.

42. Stephanus Lazarus Catanenſis 1680. pietate in Deum enituit.

43. Ferdinandus Jojenius Catanenſis 1690. optimè ſe geſſit.

44. Romualdus Rizzarus quintus ex hac illuſtri familia Abbas 1695. optimis moribus, prudentiâ, & dexteritate præditus novum in monte Virginum molitus eſt Cœnobium.

45. Camillus Mancinus Catanenſis doctrinâ clarus, ſed vitæ innocentiâ illuſtrior. Anno 1705.

46. Benedictus Aſmundus à Catana anno 1708. in pauperes profuſiſsimus, Divini cultus promotor, comitate præcipuus.

47. Lucius Bonannus Syracuſanus an: 1713. diſſicillimis temporibus prudenter adminiſtravit.

48. Bartholomęus de Alexandro Paternionenſis 1718. dexteritate in rebus gerendis ornatiſſimus, moribus gravis.

49. Anſelmus Danielius Syracuſanus an: 1720. omnigena eruditione, ac ſcientia prędítus, pietate in Deum, atque in pauperes conſpicuus.

50. Ildephonſus Aretius à Raguſia an: 1726. lenitatis quammaximę, ac prudentię eximię Vir, morum integritate nulli ſecundus.

51. Romualdus Ruſſus Mutycenſis majorum gloria illuſtris, propria virtute celebrior.

Virorum Illuſtrium Elenchus.

Beatus Paganus, *Beatus Angelus Senſius* Abbas S. Martini de Scalis Panormi, & B. *Guillelmus de Paulo* Abbas S. Mariæ Maniacii, de quibus lib. XII. fuſius. *Viri ſanctitate, ac pietate celebres.*

Auguſtinus de Platia ſub Caſinenſi Congregatione Monachus vitæ innocentia illuſtris, in ſacro Caſini montis Cęnobio optimo fine quievit anno MDXIX.

Ludovicus Batteato Catanenſis eximiis pręditus moribus, de quo etiam lib. XII.

Fridericus Capritti ex Opido Longio, S. Angeli Prior, Sanctorum ſcientia apprime inſtructus, præcipua erga Deiparam veneratione, à qua lacrymarum donum impetravit, aliiſque virtutibus clarus, anno MDCXCIII die XI Januarii, brachiis in crucem conformatis in proprio lectulo, nulla ædificiorum ruina oppreſſus, exanimis inventus eſt.

Philippus de Dulci Agrigentinus, primus S. Placidi de Meſſana Abbas, de quo Pirrus lib. 4. par. 2. not. 3. ſumma prudentiæ laude, ac virtutis opinione rexit ad annum MCCCLXXXII. *Viri dignitate, ac muniis inſignes*

Marinus de Guerreriis Philippi in Abbatiali honore ſucceſſor, Patria Catanenſis, de quo inferius lib. XII.

Scipio Monachus ab Urbano V. Rom. Pont. ad ſacrum Caſinenſe Cœnobium reformandum evocatus MCCCLXIX.

Bonifacius Gregorii XII perſcripto ad regularem diſciplinam in S. Pauli de Urbe reſtituendam cum aliquot ſociis anno MCCCLXXXIX. accerſitus.

Joannes de Puglia Monaſterii S. Mariæ de Nemore, hodie Olivetani Ordinis, Prior expoſtulatus, ibi ſeſe plurimum commendavit, clarusque meritis deceſſit.

Joannes de Primis S. Nicolai Monachis primum accenſus, mox S. Juſtinæ Patavinę Abbas; de eo lib. XII.

Matthæus de Pompeo Novę Lucis Abbas, de quo inferius.

Cyprianus à Leontino S. Angeli Cajetę Abbas. Neapoli deceſſit anno MDLXXXI.

Seraphinus Ferrerius Primus S. Benedicti Militelli Abbas.

Laurentius Simonetti Catanenſis, Congregationis Cancellarius. Senex obiit anno MDCXXXII.

Conſtantinus Cajetanus à Syracuſis Abbas S. Baronti, Collegii Gregoriani in Urbe Author, ac Pręſes, doctrinâ clariſſimus, editiſque operibus commendatus, de quo Mongitorius Tom. I. Bibliot. Sic.

Nicolaus Ricciolus Abbas, & Fundator Monaſterii Caſtricaſini apud Polonos, de eo lib. XII.

Viri doctrina celebres

Athanaſius ab Aci ſcripſit de Adventu Regis Jacobi Catanam brevem Hiſtoriam. Illum laudat Mongitorius.

Bartholomæus Taverna à Paternione Monaſterii

ſterii noſtri Chronicon ſumma induſtria omnium primus concinnavit. Expoſitionem in S. Joannis Apocalypſim eruditis ſanè probatam edidit, cujus autographum in Monaſterii Bibliotheca aſſervatur, ac S. Agathæ vitam Italico carmine exaratam typis Venetis dedit. Obiit octogenario major Prioris titulo decoratus. Agunt de illo Wion in Arbore monaſtica Mongitorius in Bibli: Sicula, & noviſſimè Armellinus in Bibliot: Caſinenſi.

Valerianus de Franchis Catanenſis de eo nos lib. XII.

Balthaſſar Morabito à Catana, de quo inferius.

Nicolaus M. Tedeſchius Epiſcopus Liparitanus, Sacræ Rituum Congregationi à Secretis, & Archiepiſcopus Apameenſis; Cujus laudes citato libro dabimus.

Gregorius Nava Patria Syracuſanus moribus graviſſimis præſtans, ſolidaque doctrina imbutus; Prior deſignatus, ſed dignitatem morte præventus non obivit. Canonicas, & morales Conſultationes à ſe elucubratus m. s. reliquit; magnoque ſui deſiderio relicto piiſſimè deceſſit an. MDCCXXXI.

III. *Monaſterium S. Mariæ. Novælucis* in edito colle ad mille circiter paſſus ab Urbe, qua hęc Africum reſpicit, ab Artali de Alagona Regni Sicilię Juſtitiario, Miſtrettæ Comite ædificatum prope Eccleſiam Deiparæ ſacram, quæ dudum ibi excitata ab incolis fuerat, miraculo, ac lucis indicio impulſis, Carthuſienſibus Monachis, cum dote annua Aureorum quincentorum tribuitur; anno MCCCLXVIII. Primus ex eodem Ordine Cęnobii Præfectus Ambroſius de Fonte in bonorum, & Eccleſiæ poſſeſſionem ex facultate Catanenſis Epiſcopi ab laudato Artali immiſſus, Urbani V. Rom. Pontificis decreto confirmatur *Fundatio ſub Ordine Carthuſienſi*

anno MCCCLXX. Sed quum non diu poſt paſſim Carthuſienſes deficerent, atque Artalis apud Urbanum VI Pontificem ea de re quereretur, hic Jannotto totius Ordinis Generali Magiſtro præcepit, ut ad Catanenſe Cœnobium reformandum idoneum miniſtrum tranſmitteret. Jannottus Joanni S. Martini prope Neapolim Priori vices ſuas delegavit, qui Catanam veniens, quum omnes ferme Monachos, aut infirma valetudine affectos, aut extra inſulam dilapſos comperiſſet, reſignato Monaſterio, cum reliquis fratribus in Patriam remeavit anno MCCCLXXIX.

Sub S. Bened. Inſtituto Artalis igitur Simonis Epiſcopi opera S. Agathe Monachos in ipſum induxit, *Ambroſio* viro prudenti, literarum ſcientia, ac moribus eximiis prædito in Priorem ordinato, qui per biennium optime adminiſtravit. Poſt hunc, Cœnobio in Abbatiam evecto, *Primus Abb.* *Joannes* Primus ejuſdem Abbas conſtituitur anno MCCCLXXXIII. Joanni ſucceſſit *Guillelmus de Toloſa*, qui apud Martinum hujus nominis primum ſeſe commendavit, eique ſacrum Bibliorum codicem miro artificio exaratum dono dedit, ab illo viciſſim multis beneficiis, & gratiis affectus. Defecerat interim ab Rege Artalis, ejuſque bona, ac Jura Martinus ſibi vindicaverat, ac Monaſterii *Patronatum*, ut vocant, ad ſe ſpectare perſcripſerat. Guillelmo mortuo, *Simon Renda* Calatajeronenſis Abbas ſufficitur circa annum MCCCCX, huic verò *Matthæus de Pompeo* à Catana S. Nicolai Monachus ſubrogatur, ſub quo *S.* Mariæ de Scalis Paternionenſis Cœnobii unio facta. Pompejum alter *Matthæus de Marco* excepit Joanne Aragoniæ, ac Siciliæ Rege, uti Patrono, electionem probante. Poſt quem *Joannes Paternionius* S. Agathæ Prior Abbas renun-

renunciatur. Hic Epiſcopus Milevitanus hanc etiam dignitatem retinuit, factuſque Panormitanus Archiepiſcopus nec illam reſignavit. Hinc ab ejus morte Julii II. Rom. Pontificis decreto, Regia etiam accedente voluntate *Joannes de Cabrera* Cæſarauguſtanus Primus Commendatarius, ut dicunt, Abbas eſt deſignatus anno MDXII. Hunc excepit ejuſdem affinis *Hieronymus Cabrera* anno MDXXXV. cui *Joannes Baptiſta Cicala* S. R. E. Cardinalis MDLV ſucceſſit. Sub eo Petrus Anſalonius S. Mariæ Mandanichii Abbas Cœnobium moderabatur. Mortuo Cicala *Antonius Lombardus*, Siculus Lilybetanus multis nominibus commendatus Abbas conſtituitur; quo ad Mazarienſem Pontificatum aſſumpto, anno MDLXXIII. *Alexander Caſalius* Abbatiam eſt aſſecutus. Anno MDLXXXI *Antonius Manelli* Mazarienſis deſignatur, ſed morte præventus *Nicolaum Stizia* Catanenſem, genere nobilem ſequenti anno ſucceſſorem accepit. Hic Cœnobii bonis præclarè conſuluit, ac Monachos ad regularia inſtituta adamuſſim ſervanda induxit; Cephalœdenſis Pontifex renunciatus *Aſcanio Columnæ* S. R. E. Cardinali locum ceſſit anno MDXCII. Qui poſt ſexennium è vivis ſublatus *Vincentium Branciſortium* habuit ſucceſſorem. Hic etiam de ſuo Monaſterio optimè meruit, demortuuſque anno MDCXX *Antonio Spinulæ S.* R. E. Cardinali munus dimiſit, qui Novælucis Monachis deficientibus è Sancto Nicolao aliquot induxit, ut divinis officiis intenderent, aureis quincentis quolibet anno pro illorum ſubſtentatione aſſignatis. Poſt Spinulam *Ægidius Caſtilbus Alburnotius S.* R. E. Cardinalis etiam Abbas deligitur anno MDCXXXII. Qui conventionem cum S. Nicolai Monachis initam confirmavit;

Abbates Commendat.

vit; mox verò inter ejus Procuratorem illis pecunias exolvere renuentem, atque S. Nicolai Abbatem orta diſſenſione, ſuos hic revocavit, quorum loco Carmelitas Excalceatos Alburnotius ſubſtituit. Anno MDCXLIII.

Carmelitæ Excalceati ſubſtituuntur

Perſtitere Carmelitæ ad MDCLI, quo *Petrus Ronchiglio, & Briſegna* Hiſpanus Ægidii ſucceſſor Abbatiam moderabatur; iiſque abeuntibus ob aeris inclementiam S. Auguſtini Reformatis Cœnobium ceſſit. Poſt Petrum *Conſtantinus Gallerati* dignitate potitur, qui annis quinquaginta ad MDCCXXI illam tenuit. Sub elapſi ſeculi finem, quum ex Terręmotu Cęnobium, atque Eccleſia corruiſſent, Auguſtiniani Monachi facultatem impetrarunt, ut novum Catanæ ad orientalem Urbis plagam conderent. Hinc anno MDCCIII veteri illo, atque inſigni relicto Monaſterio, Catanam venerunt, atque in loco ab Senatu deſignato ſub eodem S. Marię Novælucis titulo nobile Templum, ædeſque ſatis commodas conſtruxere. Anno decurrentis ſeculi XXIII poſtquam triennio integro vacaſſat Abbatia, *Joſepho Rocca* Valentino confertur, qui Catanę diu ſubſtitit, ac Cęnobii ędificia promovit; inde in Patriam rediens, ibique demortuus *Joſepho Naſello* Clerico Regulari Panormitano ex Ducibus Gelę, Regii Exercitus majori Capellano doctrina, ac vitę meritis commendato locum ceſſit anno MDCCXXXVIII.

S. Auguſtini Excalceatis conceditur

S. Mariæ de Scala Cœnobium in edito colle ad orientem contra Paternionis Opidum noſtro S. Marię Novęlucis ab anno MCCCCLXVIII unitum, ab Adelaſia Rogerii nepte fundatum, Monachis Baſilienſibus initio tribuitur, quibus deficientibus, Benedictinis ceſſit. Sub Guillelmo II. Sicilię Rege Stephanus olim illi à Secretis in ejuſdem

Monachi S. Baſilii

dem Cœnobii poſſeſſionem immittitur, quod vitæ ſanctitate illuſtrius reddidit.

Stephanus hic criminis apud Regem accuſatus, dextera manu mutilatus, pulſuſque, Deo militare deinceps ſtuduit, ac vitam eremiticam profiteri. A Deipara Virgine priſtinæ ſanitati reſtitutus, in Regis etiam gratiam de illius innocentia edocti mox rediit, boniſque, ac privilegiis auctus diu Monachis Abbas præfuit, ſanctoque fine quievit, cujus corpus ibidem magna confluentis populi Religione colitur. Subinde à Regibus Friderico I. Rom. Imper. Friderico II, & III. variis beneficiis Cœnobium afficitur, atque ab Eleonora Regina ædificiis ornatur. Honorii III. Rom: Pontificis demum, ac Bonifacii VIII. literis ſub Apoſtolica protectione ſuſcipitur. Abbatum nomina deficiunt ad annum MCCCXCI. quo *Joannes de Caſtellis* moderabatur, poſt quem *Nicolaus de Caſtrojoanne* rexit; huic verò *Ricchardus Rizzarus* Catanenſis ſucceſſit. Ricchardum excepit *Jacobus Borellus*. Quo mortuo Alphonſus Rex *Andream Stizziam* patria Catanenſem Clericum ſecularem Abbatiâ donavit anno MCCCCXXXVI. Poſt hunc *Jacobus Criſaphullus* profeſſione Monachus ſufficitur; Eo decedente, Abbatia S. Mariæ Novælucis Monaſterio adnectitur, Paulo II. Rom. Pont. rem probante; Inde Novælucis Abbas titulo etiam S. Mariæ de Scala exornari cœpit. Scalenſi Cœnobio Eccleſia SS. Salvatoris de Calanna legitur etiam unita. Paucis porro ab hinc annis, quum aeris intemperie locus laboraret, Fratres Auguſtiniani Excalceati, qui Benedictinis ſucceſſerut, Joſephi Roccæ Abbatis opera in vicinum Pulchripaſſus opidum commigrare cogitarunt. At eventu res caruit.

Monachi Benedictini

S. Mariæ

A Fratribus Pœnitentię incolitur

S. Mariæ Nemoris Clauſi ſub Ætna Cœnobium, quod Pirrus perperam, cum Scalenſi confundit not. 3. Ab Eleonora Siciliæ Regina exædificatum, Fratribus de Pœnitentia, ſeu ex Ordine Paupertatis, qui vulgo Fraticelli dicebantur, fuit attributum anno MCCCXL. Subinde Joannes Infans *Guillelmum de Maugerio* Priorem in ejuſdem poſſeſſione confirmavit anno MCCCXLVII, cui Eliſabeth Regina Petri II Uxor Valetudinarii ab ſe Catanæ in Regione S. Mariæ de Rotunda conſtructi curam commiſit. *P*roſcriptum porro ab Apoſtolica *S*ede in Viennenſi Concilio Ordinem hunç jam ab anno MCCCXI fuiſſe, nondum Siculis innotuerat; Ut igitur Succeſſoribus Principibus id fuit delatum, Fratribus de Pœnitentia ejectis, Benedictini *S.* Agathæ Monachi in eo Cœnobio ſufficiuntur, ac primus ex eiſdem *Donatus de Urſone* Prior conſtituitur. Contendens verò Artalis de Alagona Jus *Patronatus* uti Paternionis Domino ſibi competere, Donato renunciante, Monachis Novæ Lucis Carthuſienſibus Monaſterium conceditur ex Simonis Epiſcopi literis anno MCCCLXXVIII, atque Ambroſio de Fonte confertur, ut ibi Monachi autumnalibus diebus degerent. Eccleſiæ hujus hodie vix deſignari locus poteſt, anno enim MCCCCVIII horribili Ætnę incendio omnia circum penitus vaſtata ſunt, ac S. Mariæ de Nemore Clauſo Cœnobium ignitis etiam lapidibus obrutum, ut *S*ilvagius teſtatur.

Benedictini ſuccedunt

Carthuſianis conceditur

Eccleſię unita, ac Viri Illuſtres

Monaſterio Novælucis Prioratus *S. Andreæ de Milo* legitur etiam unitus, ut alibi diximus. Eccleſia quoque *S. Sepulchri* in Syracuſana Urbe, & *S. Pantaleonis* Catanæ, ubi olim Monachorum hoſpitium. Inter ejuſdem Monaſterii Alumnos eluxit Antonius de Morecta Calatahjeronenſis

nenſis primus S. Mariæ de Terrana Abbas, ut Paulus Moretta ſcribit. Olim in Novælucis Sacrario hæc Ss. Lipſana aſſervabantur. De Lacte B. Mariæ Virginis in vaſe argenteo, Columnæ, ubi Chriſtus fuit flagellatus, fruſtrum; Ex Ligno S. Crucis, Spina D. N. Ex ſepulchro ejuſdem, & B. M. V. Os manus S. Luciæ, Dens molaris S. Petri Apoſtoli, ex Digito s. Pauli Apoſt:, ex Oſſibus, & Sanguine s. Andreæ, & s. Jacobi Apoſt: ex Oſſibus s. Agathæ V. M. Cat. s. Euplii M. Cat: s. Sebaſtiani, ac ss. Coſmæ, & Damiani MM. Vetus Inſcriptio, quæ olim ſupra Templi januam videbatur, extat in Annalibus. *Reliquiæ*

Hodiernum Novęlucis Cœnobium ab Excalceatis Ordinis s. Auguſtini Fratribus, ut diximus, inhabitatum ad Orientalem Urbis plagam decenti, ac magnifica ſtructura exurgit, ampliſſimamque habet Eccleſiam, quæ eleganti ex albo Syracuſano lapide proſpectu exornatur. Ibi devotiſſima B. Virginis Imago antiquam referens à piis fidelibus colitur, cujus feſtum die xv Auguſti ingēti pompa celebratur. Sacrarium innumeris, ac pretioſiſsimis Sanctorum lipſanis inſtruitur, quorum præcipua preter ſupra enumerata ſunt. Ex Velo, Lacte, & Capillis B. Virg. Mariæ, ex veſte s. Joſeph, ex pannis lineis D. N. & ex ejuſd. Preſepe, ex oſſibus S. Annę, Monicę, Auguſtini, Antonii Ab; Ignatii Lojolę, Antonii Patavini, Catharinæ V.M. Thomæ Aquin; Philippi Agyrenſis: Thomæ de Villanova, Vincentii Ferrer: Gregorii Thaumat: Blaſii, Calogeri, Georgii m; Barbaræ V. m; Ex ſanguine s. Nicolai Tolent: Ex Subucula s. Joannis Nepom: Effulget inter ejus Alumnos F. Eutychius à s. Flavia Catanenſis, Religioſæ modeſtiæ ſpeculum, Sacr: Can: ac Theologiæ ſcientia inſtructiſſimus, qui dudum Gen: Ord: Vicarius, hodie tertium Provinciam regit, ac decentem inſtruit Bibliothecam.

CAPUT V.

MENDICANTIUM RELIGIOSORUM SACRÆ ÆDES.

Cœnobii ſitus QUartam in Sicilia *S. Dominici Familia* ſedem fixit Catanæ Leonardo de Fliſco ad illius regimen ſedente in *Area* Arcis Urſinæ, ubi nunc *S.* Sebaſtiani Templum; ſed quum Cœnobium Caſtro obnoxium haberetur, Regis Martini juſſu ſolo æquatum in ædes Blaſci de *Alagona* transfertur in Regione S. Mariæ de Rotunda. Verùm loci hujus frequentiæ pertæsi Fratres, extra Regis Portam ad Aquilonem in S. Mariæ Grandis Eccleſiam olim Paræcialem anno tandem MCCCCXX ſeſe receperunt, ubi celebre Monaſterium ædificarunt, quod terræmotu dirutum inſtaurare pergunt. Cenobii authores Guillelmus, & Antonius de Montecateno Adrani Comites re-*Fundatores* cenſentur; ab aliis ſubinde Proceribus variis fortunis etiam locupletatum, ac nobili periſtylio, Joanne Baptiſtâ *Paternionio* ſuppetias miniſtrante, auctum legitur. Veteribus porro columnarum epiſtyliis inſignia Montecatenorum inſculpta videbantur, ut Groſſus teſtatur. *Arctiſſimè* in eodem Monaſterio ſervabantur regularia inſtituta, atque ex illius alumnis nedum pro Sicilia, verum & pro Italia delectos Tyronum Magiſtros ſcimus. Complures hinc Sanctitate viros aluit: *Viri Illuſtres* *B. Bernardum Scammaccam, B. Thomam Clementem*, & *B. Joannem de Falco*, de quibus ſuo loco dicemus. *Prioris* etiam munere in eo B. Petrus Hieremias anno MCCCCXLIII functus eſt, ſub quo Conventus tranſmigrationem in S. Mariam Majorem ſecutam nonnulli credunt, ut Groſſus advertit.

advertit. Prodiere ex eodem Cenobio Euſtachius quoque Quintana Ansloenſis, & Aloyſius Suppa Agrigentinus Epiſcopi; recenſetque laudatus Groſſus inter illuſtres ſcientia, & eruditione viros *Bernardum de Alexandro*, *Antonium Fazarum*, *Simonem de Amatore*, *Jacobum Venetiam*, *Stephanum Bolanum*, *Damianum Tabuſum*, *Ambroſium*, & *Hieronymum de Franchis*, *Auguſtinum la Mora*, *Scipionem Roſanum*, *Scipionem Modicam*, *Raymundum Pataniam*, *Joſephum Ferraram*, *Raphaelem Cannavum*, & *Franciſcum Tepes*, de quibus libro XII rurſus agendum. Coluntur in ejuſdem Sacrario Spina D. N. Ex ligno s. Crucis, ex velo B. M. V. Os s. Dominici, s. Vincentii Ferrerii, s. Petri M. SS. Innocentium, aliorumq: mm. pignora, ac tres Epiſtolæ autographæ *S.* Vincentii Ferrerii, *S.* Catharinæ Senenſis, & *S.* Franciſci de Paula, quas integras recitat Groſſus in *Decachordo Chord.* 2. *mod.* 2. In principe ara Tabula antiqua B. Mariæ Virginis de Roſario extat, quam pii Fideles præcipuo honore venerantur. *Reliquiæ*

Alterum ejuſdem Ordinis Cœnobium ſub *S. Catharinæ Senenſis* titulo, in ædibus Margarithæ de Arcangelo erectum anno MDCXI. eamdem Margaritham habet inſtitutricem. Moriens quippe piiſſima hæc, & nobilis Matrona præceperat, ut Monialium ſub ejuſdem Virginis nomine ſub regula tamen S. Benedicti conderetur Collegium, ac treſdecim puellæ nobiles abſque dote illuc introducerentur; Quum autem hæreditaria bona tanto operi vix ſufficerent, Pauli V. Rom. Pontificis decreto ſanctum eſt, ut Ædes Deo ſacra, ac Ordinis S. Dominici Cenobium inſtitueretur, ac treſdecim Virginibus, in aliis Catanæ Monaſteriis Deo mancipandis dotes exol- *Alterū ejuſdem Inſtituti Cœnobium*

 veren-

verentur; Sicque Margarithæ voluntati fieret ſatis, ejuſque fortunæ utrique pio operi eſſent addictæ. Rem habet diploma datum Romæ XIII. Kal. Martii MDCIX. anno poſt Teſtatricis mortem ſexto, in cujus marmoreo tumulo hæc legebantur.

Hic Margaritha Filia Alphonſi Paternò, Uxor Jo: Vincentii de Archangelo jacet, quæ Templum hoc ad divæ Catharinæ de Senis laudem fabricari, & cum ſuo magno Domorum tenimento aggregari mandavit. Laurentius autem de Archangelo Juriſconſultus de Sacro Conſilio Regius Conſiliarius, uti Fideicommiſſarius ad Dei gloriam executus eſt. Obiit Margaritha anno MDCIII.

Hic etiam F. Matthæus Riſpoli Melitenſis ſepultus eſt, qui Catanæ dum Sacri Quadrageſimalis Jejunii Conciones haberet, magna virtutis opinione deceſſit anno MDCXXXIX. Poſt Terræmotum anguſtior Eccleſia, ædeſque pro Fratribus longè præſtantiores, extrui cœptę, quas brevi perficiendas ſperamus. Claruit inter ejus Alumnos Raymūdus Bonfilius Netinus Artis Rhetoricę Profeſſor, qui plura ingenii monumenta poſteris reliquit. De eo Clar: Mongitorius.

II. *Minorum* ſub S. Franciſci Regula *Fratrum* coloniam ante annum MCCLVI. Catanam advectam docet Lucas Wadingus *Tom.* 2. *Ann.* quin adhuc in vivis agentibus ipſo Seraphico Patriarcha, ac diva Clara Sacræ Moniales ſub eorum inſtitutis in Monaſterio Montis Virginis regularem vitam ſervabant, ut Pirrus *Par.* 2. *not.* 1. teſtatur. Primum autem virorum domicilium, ac vetuſtiſſimum *Conventualium*, traditur publicò civium ære in Area Urſinæ Arcis, atque in æde S. Archangelo Michaeli ſacra extructum anno MCCLV. Oddone Capocio Catanenſi Antiſtite, atque Alexandro IV. Rom. Pontifice rem probantibus. Nondiu verò Manfredus Siciliæ Rex Re-

Origo, & Fundatio.

gium Caſtellum ſibi liberum expoſtulans demoliendum præcepit; hinc in S. Nicolai de Arena Hoſpitium ſeſe fratres recipere coacti ſunt; quumque in eadem Urſina area novum denuo plorum eleemoſynis molirentur, ab Epiſcopo deturbati, vix tandem Gregorii x. Rom. Pont. reſcripto anno MCCLXXIV, ac alio Nicolai III. decreto, ut inceptum proſequerentur opus liberam facultatem exorarunt. Acrioribus demum ab Epiſcopi miniſtris exagitati incommodis, loco cedere coacti ſunt. Eorum porro calamitates Eleonora Siciliæ Regina Friderici Regis Uxor miſerata, quæ poſt viri obitum Clariſſarum ſeſe addixerat Regulæ, ære Regio Cœnobium illis extruxit anno MCCCXXIX, ac S. Franciſci titulo decoratum inhabitandum dedit, ubi moriens quoque condi voluit, ut ad annum MCCCLXI. ſepulchrali ejuſdem Epigrammate tranſcripto, expendi.

Eleonoram Reginam habet Inſtitut.

Subſequentibus temporibus Fratribus Minoribus de Obſervantia aliquandiu hoc Cœnobium quorumdam opera ceſſit, Leonis x. Rom. Pont. decreti occaſione, quo Obſervantes, Conventualeſque Fratres in unum Religionis inſtitutum coire demandaverat; Re tamen ad examen vocata, Conventualibus cauſa adjudicatur, Obſervanteſque è Regio hoc Cœnobio pelluntur anno MDXXX, poſtquam illud per quadriennium tenuiſſent. Prodiere ex illo illuſtres viri *Guido de Sancto*, *Joannes de Piſcibus* Catanienſis Pontifex, *Antonius Piſcis* ejus Frater, *Bonaventura Belluzus*, aliique, quos omnes lib. XII. fuſius commendabimus. Servantur in ejuſdem Sacrario una ex Spinis D. N. ac Crucis fruſtrum, quæ ſolemni ſupplicatione VI. Nonas Majas per Urbem quotannis circumferuntur, ac Reginæ Eleonoræ

Obſervantib. aliquandiu ceſſit.

Viri Illuſtres

Reliquiæ

muni-

munificentiæ accepta referunt Cœnobitę. Corpora etiam *SS.* Philippi, & Vitalis mm. S. Felicitatis filiorum, ac S. Blaſii Ep. M. digitus, aliaque Ss. Lipſana ibi coluntur. Feſtum denique celeberrimum VI. Idus Decembris in ejuſdem Eccleſia ad honorem puriſſimæ, immaculatęque Conceptionis Deiparę ingenti populi, ac Magiſtratus frequentia, ſollemnique ſupplicatione ex voto Civitatis agitur. Franciſci Bonajuti Catanenſis Patricii fortunis noſtro hoc ſæculo Cęnobium auctum, magnificentiſſimis ædificiis poſt Terręmotum inſtruitur, ac novi Templi fundamenta ponuntur, quę Regium aliquid redolerę videntur, ac Urbis magnitudini reſpondent.

Minores de Obſervantia. *Minores Obſervantes* in *S.* Mariæ de Jeſu, à *S*ancto Bernardino Senenſi, vel ut alii ſcribunt à B. Mattheo Agrigentino poſtmodum Epiſcopo S. Bernardini diſcipulo Catanæ inſtituuntur extra Urbem quincentis circiter paſſibus ad Solſtitium Æſtivum. Viguit diu in eo regularis Obſervantia; hinc qui Theologicis, ac Philoſophicis ſtudiis operam dabant, huc convenire conſueverant, hodieque conveniunt, Tyroneſque etiam ad probationem, ut ajunt, excipiebantur. Anno MDCXXVI. *S*trictioris Obſervantię Fratribus introductis; laxior in eo diſciplina reformatur. Pirrus hanc ad

Minores Reformati. *Reformatorum* Ordinem Cœnobii translationem anno MDCXV. perperam conſignat, ut Groſſus advertit. Antiquiſſimum in ejuſdem Eccleſia *S*acellum, ubi illuſtris familię Paternionium Sepulchrum, atq: Albari marmoreum ſarcophagum cum elegantiſſima Statua. Arę maximæ proxima etiam Capella ſignum habet Virginis Deiparę mirabilis penę pulchritudinis, & artificii. Floruere denique in eo *Joannes Schiſictus* Mutycenſis, qui ad- *Viri Illuſtres*

mirandis

mirandis virtutum exemplis eluxit, Orationis ſtudio, piis operibus, ſed in primis charitate præcipuus, multis in vita, & poſt mortem prodigiis clarus, magna ſanctitatis opinione in Domino obdormiit; Cujus meminit Cajetanus *in Idea*. *Nicolaus à Mazaria* prædicationis munere præcipuus, vitæque integritate illuſtris. *Matthæus* denique *Silvagius*, de quo ſuo loco. Ex Reformatis *Joannes Baptiſta Platamonius*, & *Angelicus à Petralia* Laicus vitæ innocentia, ac ſimplicitate morum clariſſimus. Habet *S*acrarium plures Ss. Reliquias, quarum præcipuæ S. Æmiliani M. Cranium s. Joannæ M. Brachium s. Boni M. s. Illuminati M. s. Felicis M. s. Bonifacii M. s. Feliciſſimi M. & s. Sabaſii M. Oſſa; ex oſſibus etiam s. Didaci Confeſſoris, s. Petri de Alcantara, s. Antonii Patavini, s. Paſchalis de Baylon. Ex veſte s. Joſeph, ex Pannis Chriſti Domini, ex velo B. Mariæ Virg. & ex Ligno s. Crucis.

Aliud Obſervantium Domicilium.

Eadem *Minoritarum Obſervantium* familia in s. Agathæ Veteris Templum intra Urbis mœnia recepta eſt anno MDCXIII. Cathedralis Eccleſiæ Capitulo indulgente, ad quod illud ſpectabat, ut alibi diximus, ac Bonaventura Secuſio Patriarcha Conſtant: Catanenſium Pontifice olim ejuſdem Ordinis Generali rem promovente, qui ſuppetias ad congrua Cœnobii ædificia miniſtravit, fratreſque ab alio s. Mariæ de Jeſu in illud induxit, quin & cellas, ubi ipſe curis levandis quandoque degeret, opportunè ordinavit, ac quinto poſt anno inter ſuorum manus ſpiritum Deo reddidit. Eccleſia hæc olim Prioratus Ordinis S. Benedicti à Martiali Epiſcopo inſtitutus, juxta quam Carceris s. Agathæ Baſilica. In ea demum lapideum ejuſdẽ Virginis *S*arcophagum, quod nobili hodie ſacello vario marmore cõcinnato decoratur.

Gemina *Capuccinorum* Domus Catanę exurgit, quarum prima, ac vetuſtior Bernardinum à Rhegio ejuſdem Ordinis inſignem Verbi Dei Pręconem, ſed Sanctimoniæ laudibus non minus celebrem cognoſcit authorem, Boverio *in Annalib. tom.* I. ad annum MDLIII. teſte, cui Pirrus, ac Groſſus ſubſcribunt. Ejuſdem ſitus olim extra *Decimæ* Portam ſuper Naumachiæ rudera ad meridionalem Urbis plagam; At quum nova Caroli v. juſſu molirentur Cives męnia, ac propugnacula, quibus obnoxium id Cęnobium videbatur, Joannes Vega *Siciliæ* Prorex illud demoliendum præcepit anno MDLI. Hinc ad aquilonarem regionem Cibalis ſequenti anno commigrantes, novum ibi, Catharinę Fimię nobilis fęminę opera, Fratres condiderunt, ubi ad noſtra tempora perſeverant. Anno poſtmodum CIƆIƆCXXII. Silveſtri *Sigonii*, & Calcerani Intriglioli opibus, alind moliri cęperunt extra *Steſichori* portam in edito colle, ubi s. Nicolai de *Arena* olim hoſpitium, & s. Salvatoris Eccleſia; ſub titulo *S. Mariæ à Spe* ob ædiculam ejuſdem nominis. Primum ædificii lapidem VI. Idus Decembris Joannes de Torres Oſſorio Catanenſis Pontifex poſuit, Crucem verò ante Cęmeterium Clemens à Neto totius Ordinis Generalis Miniſter Catanæ per ea tempora degens. Anno CIƆIƆCXXXII. Ducis Alcalę Siciliæ Proregis literis proximum Cœnobio locum, in quo viridarium conſererent, Fratres exorarunt. Edidit religioſiſſima hæc familia plures vitæ ſanctitate conſpicuos, quorum præcipui memorantur: *Alexander* à Catana Clericus, *Paulus* Laicus, *Leo*, & ipſe Laicus *Andreas*, *Angelus*, *Franciſcus Gravina*, *Bonaventura Paternionius*, & *Dominicus à Catana* Sacerdotes, dequibus, quum de viris Illuſtribus ſermo erit, fuſius dicemus.

Capuccinorũ Fundatio in auſtrali Reg.

Translatio ad Aquilonarem

Alterum Cœnobium

Illuſtres viri

Digitized by Google

Ejuſdem S. Franciſci *Tertii Ordinis* Fratres anno CIƆIƆXCVI in ædem *S.* Euplio ſacram primo excipiuntur; ſubinde *S*enatus ſtudio accedente, qui ſuppetias miniſtravit, ac Michaele Juvino Catanenſi ejuſdem familiæ alumno rem promovente, S. Nicolai de Trixinis Eccleſiam ſunt aſſecuti, anno CIƆIƆXCVIII ubi ad hæc noſtra tempora degent. Effloruit inter eos *Joannes Baptiſta Carambia* Catanenſis ab ingenio, & tenaciſſimà præſertim memoria commendatus. *Tertii Ord. Domicilium*

Minores denique *Conventuales Reformatos* in Templo S. Spiritus extra Regis portam Catanæ fixiſſe ſedem Groſſus, ac Pirrus teſtantur. Quamvis autem anno CIƆIƆCXXVIII Urbani VIII Decreto hujuſmodi Fratres fuerint ſuppreſſi, perſtitere nihilominus eodem in loco ad annum MDCXLVIII, quo Alumnis S. Tereſæ inſtituta profitentibus Eccleſia, ac Cœnobium ceſſit. Quum porro Gallorum bellum anno MDCLXXIV ingrueret, atque Urbi viderentur obnoxia, ſolo æquata ædificia, in Laicorum domos ſubinde ſunt converſa. Locum hunc malè confundit Pirrus cum S. Sophiæ colle. De eo nos alibi. *Conventuales. Reformati*

III. *Eremitarum S. Auguſtini* Ordo intra Urbis mœnia exceptus, ubi vetuſtiſſima Theatra olim, publicęque Magiſtratus ædes, ac *S.* Venerandę ſubinde Eccleſia ſurgebant, Cœnobium habuit circa ſeculum XIV Ferdinandi Guerrerii viri Patricii opera, cujus proinde Gentilitia ſtemmata Odei fornicibus inciſa videbantur. Quum porro anno CIƆIƆXXIII graviſſima peſtilentię lues, qua Urbs laborabat, omnes ejus ferme Monachos invaſiſſet, pretioſa quęque Sacrarii ornamenta, domeſtica ſuppellex, ac Tabularii libri igni tradita periere, ut vix alia Cœnobii hujus notitia *Auguſtiniani Eremitæ*

 ſuperſit.

ſuperſit. Hodie decenti Eccleſia, commodiſque ædificiis inſtruitur. Sed Periſtylium habebat olim ante Terręmotus ruinam, è Liguro marmore elegantiſſimum. Effloruere in eo *Gualtherius Manfredus* Catanenſis Alphonſo Regi à ſacris Con-

Viri Illuſtr. feſſionibus S. Jacobi de Altopaſſu Prior, de quo ſuo loco dicemus. *Hieronymus* à Catana S. T. Magiſter, *Andreas de Urſo*, *Joannes de Auro*, & ipſi Magiſterii laurea donati virtute, ac ſcientia celebres. Memoratur etiam *Auguſtinus Sorito*, qui novis ædificiis Cœnobium auxit, ac Regalbuti, quum provinciam moderaretur, atque de more viſitaret, immaturo fato deceſſit MDCLXVIII. Scribit his ipſis diebus Siculę Auguſtinianę Provincię Hiſtoriam Bonaventura Attardus ejuſdem Ordinis Magiſter, literarumque peritia nulli ſecundus, traditque S. Auguſtini Inſtitutum extra pomerium ab anno CIↃ CCXXXIX ſedem habuiſſe, ſed ſequenti ſęculo intra Urbem, Guerrerio opes ſuppeditante, Joannis Criſafi Prioris induſtria intra Urbem translatum. Quo autem loco in agro ſignanrer ſteterit, ſe neſcire fatetur. Conjecturis quidem agens ante Saracenos etiam S. Auguſtini Alumnos ſub Ætna monte vitam eremiticam duxiſſe ſcribit, quum, graſſante ſęculo V. Wandalorum perſecutione, ex Africa illi in exilium acti in proximam Sicilię inſulam trajecerunt Ruſſiniano Epiſcopo Duce. Subinde Nortmannorum ęvo Ætnam Monachorum cujuſque Ordinis ſedem eoſdem foviſſe non incongruè opinatur. Coluntur in S. Auguſtini Eccleſia devotiſſima Domini noſtri è Cruce pendentis Imago, & Beatæ Mariæ Virginis de Bono Conſilio. Habentur in Sacrario Fruſtulum S. Crucis, Os S. Nicolai Tolentini, aliorumque ss. mm. Reliquię.

De

De Conventu Fratrum Reformatorum ejuſdem Ordinis jam diximus cap. IV. n. II.

IV. *Fratrum de Monte Carmelo* familia, ut primùm è Syria, ſæva Turcarum tyrannide urgente, in Siciliam trajecit, benignè à Magiſtratu, & Catanenſi populo fovi cępit, Temploque S. *Mariæ Annunciatæ* extra Portam Steſichori donata, ſæculo duodecimo cadente, Catanæ ſedem fixit. Ægidius *in Carmel: viridario par. 3. cap. 3.* Tertium in Sicilia Cęnobium noſtrum appellat, ejuſque, Authorem Conſtantiam Auguſtam Henrici Uxorem Friderici Matrem non immeritò cenſet. Regium hinc in publicis tabulis dicitur, eoque nomine à Martino I. Siciliæ Rege unciis quinque pro Cereo ſingulis quibuſque annis ipſo Annunciatæ Virginis feſto exolvendis locupletatur, Ferdinando etiam Rege Martini donationem anno CIƆIƆ firmante. Ab aliis quoque viris Principibus auctas illius fortunas legimus, à Blaſco ſcilicet Alagonio, qui in ejuſdem Eccleſiæ Sacello Chriſto Domino Crucifixo ſacro anno MCCLV. condi voluit, ab altero Blaſco illius abnepote, cujus etiam corpus ibi requieſcit cum Epigraphe: *Hic Alagona jacet Blaſcus jam dives onuſtus anno* MCCCCLX. A Sancio Roderico, Calliani Vicecomite, Siciliæ Talaſſiarcha, ac noviſſimè à Franciſco Privinzialio Italici Conſilii Regente, cujus elegans è pario marmore ſtatua à celebri Sculptore Joanne de Barbatode elaborata in eodem Cęnobio ſpectatur. Illud hic non præteream, quod Templi omnimodam vetuſtatem commendat, Anno ſcilicet MDCLXXXII. quum Generalis Magiſter Ordinis Catanę verſaretur, fortè fortuna in quadam tecti trabe Inſcriptionem antiquis characteribus exaratam Monachos deteхiſſe, in qua hęc legebātur.

Cœnobii Fundatio

Bona à quibus attributa

Eccleſia vetuſtiſſima Saracenorum Ævo

Hoc Corpus Fabricæ, atque navis à fundamentis inceptum extitit XXIIII. *Januarii* VII. *Ind:* CIↃIIII. *Deinde tecto completum* CIↃIIII. XXII. *Junii*. *Ala verò Imaginis Mariæ Virginis* VIII. *Martii* MLXXX.

Trabs reliqua variis ornamentis, ac figuris, quorumdam vultus habitu ordinis indutorum referentibus picturata non eamdem præſeferebat vetuſtatem, ut ſuſpicari liceat, hujuſmodi effigies multo poſt tempore fuiſſe exaratas; Ordo enim paullo ante ſęculum XIII. in Siciliam invectus eſt, ejuſque ſectatores neutiquam proinde effingi in trabe potuerunt ſęculi XI. initio, quando Templi fundatio in Epigraphe conſignatur. Quod porrò Saracenis latè per inſulam dominantibus Deiparę Virgini dicata fuerit Baſilica, nemini debet negotium faceſſere, ut ad eumdem annū CIↃCCCCIV. lib: IV. fuſius expendi. Cęterum præ aliis Urbis Eccleſiis celebris hęc habetur, accurrentibus eò devotionis ergò ſumma frequentia fidelibus, atque in perenne monumentum, quod hoc in loco olim diu S. Agathę corpus, ac ſepulchrum ſteterit, pridie nonas Februarias, ejuſdem Virginis lipſanis cum celebri ferculo in eam illatis, unde peracto ſacro, ad S. Agathæ Veteris Baſilicam illa procedunt. In ejuſdem Cœnobii clauſtris S. Leonis vetuſtiſſima Eccleſia, de qua diximus. Ante Terręmotum nobili è pario marmore Periſtylio decorabatur; hodie magnificentiſſimè reſtituta ædificia videmus, opera Fratrum *Obſervantiæ ſtrictioris*, ut dicunt, qui ab annò CIↃIↃCCXXI Cœnobium obtinent, ac novis in dies incrementis exornant, Theologica pręſertim aſſidua lectione, ac piis ad animarum cultum exercitationibus. Prodiere denique ex eo *Nico-*

Strictioris Obſervantiæ Fratribus datur.

laus

laus Marinus, *Hieronymus* ... Quorum meminit *Viri Illuſtres*
Lucius Belga *in ſua Bibliot. Carmel. Nicolaus de Lucia*, *Nicolaus de Siſmundo*, *Vincentius de Leone*, *Petrus Murabitus*, *Paſchalis de Auguſta* S. Theol. Mag. Catanenſis Academiæ Decanus; *Petrus Honoratus*, *Joannes Stephanus Pettignanus*, *Felix de Leonibus*, *Joannes Baptiſta Minà*, *Andreas Laus*, *ac Deſiderius Placa*, de quibus ſuo loco dicemus. Præ cęteris autem effulget noſtris adhuc diebus *Alexander Caputus* Mazarienſis Pontifex, qui opes ad novam Eccleſiam erigendam liberaliſſimè ſuppeditavit, cujus etiam laudes alibi expendam. Habentur in Sacrario Reliquiæ S. Alberti Carmelitæ Meſſanenſis, ac aliorum ss. Martyrum. Binas etiam veſtes, vulgo *habitus*, demonſtrant Bombycum opera contextas, quæ omnino miraculoſæ cenſentur.

Carmelitas Primi Inſtituti in Ædem *Beatæ Virginis Directionis* titulo deſignatam ſeculi XVII. anno XVI. primùm coactos, Deſiderio Placa authore nobis Gregorii XV. Rom. Pontificis diploma perhibet, quo eumdem Deſiderium *Generalem Commiſſarium* ad Ordinem propagandum conſtituit Gregorius. Subinde per Siciliam alia hujus Inſtituti Cœnobia eriguntur, quibus Alphius Licandrus Deſiderii ſocius anno CIↃIↃCXXIX. in Comitis Catanę habitis Prior Provincialis pręficitur. Deiparæ porro Imago ex ædicula prope Urbis mœnia translata ante aliquot annos decentem baſilicam ſortita eſt, ut Inſcriptio ad ejuſdem externos parietes marmori inciſâ adhuc hodie prodit hęc habens. *Carmelitæ Primi Inſtit.* *Templi fundatio*

Intemeratæ Dei Genitrici ſub Directionis titulo Paulo V. *Summo Pontifice*, *Philippo* III. *Regé F. Bonaventura Secuſio Patriarcha Conſtan-*
tinopoli-

tinopolitano Præſule Catanenſium Pietas Ann.1612.
Hæc circa annum cIↃIↃCXXXV. in ampliorem formam crevit, ſed una cum proximis Fratrum ædibus ex terræmotu ſolo æquata, hodie magnificentius reſtituta, opera F. Cherubini Græci Catanenſis ſcientia, ac vitæ meritis ſpectatiſſimi, magna populi frequentia colitur. Intra hujus Cœnobii clauſtra vetuſta abſis, ac rudera ſpectantur, forniceſque ſubterranei, quorum uſus incertus. Habet in Sacrario ex Velo, & Lacte B. M. V. ex Ligno S. Crucis, ex Spinis D. N. ex Pallio S. Joſeph, Os S. Nicolai Myren: S. Alberti Conf: S. Mar. Magd: S. Phil. Nerei, &c.

Tereſiani *Carmelitæ Excalceati* ſub S. Tereſiæ inſtitutis Octavio Brancifortio Catanenſi Pontifice agente, elapſi ſeculi anno XLIII Coloniam Catanæ poſuere; ac primùm prope Cibalis regionem, inde, quum Epiſcopus promiſſis minimè ſtaret, poſt menſes aliquot in S. Mariæ Novælucis Monaſterium excepti, mox ad S. Spiritus ædem extra Regiam portam anno MDCLI migrarunt; ſed quum eam Regiæ militię Præfecti una cum proximo Cœnobio diruendam pręcepiſſent, antiqua ſublata tabula, ubi Spiritus Sancti miſſio exprimebatur, in Regionem *Civitæ* ſeſe receperunt anno MDCLXXVII ædeſque Joannis Tedeſchii, Epiſcopo concedente, incoluere. Deniq: poſt annũ cIↃIↃCXCIII prope Portam Lanceam ſedem fixere, ubi hodie perſeverant.

V. *Minimorum Ordo, Paulenſis* ab Inſtitutore S. Franciſco de Paula appellatus, prope maris littus ad Orientem anno cIↃIↃXXIII Catanę ſedem poſuit in Templo S. Homphrio ſacro; variis tamen intercedentibus difficultatibus, Cœnobium nonniſi poſt triennium opera, ac opibus Raymundi Cicala perfectum eſt, quartumque in Sicilia computatur ab Launovio *in Chron. Minim.* & Iſnardo de *Meſſan. Provincia.* Corruit ex Ter-

Paulenſes Fratres

Cęnobii Fundatio.

ræmotu Templum, at meridionales Cęnobii ædes integrę perſtiterunt; hinc refectis reliquis ejuſdem partibus, ac novâ ædificatâ Baſilicâ, non ignobilem hodie inter ſacra Domicilia locum tenet. Celebrantur ex ejus alumnis *Franciſcus Pappalardus*, *Benedictus Caponnectus*, *Bonaventura Lucca*, *Bonaventura Spina*, & *Placidus Criſaſullus*, quos ſuo loco commendabimus. *Viri Illuſtres*

VI. *Redemptionis Captivorum* familia ſub titulo *SS. Trinitatis* Catanæ præ aliis Inſulę locis primum poſuit domicilium anno MDLXXX menſe Julii, in S. Marię de Concordia extra Urbem Eccleſia; ſeptimo poſt anno ad S. Spiritus ædem ſępius laudatam ex facultate Matthęi Saminiati Apoſtolici tunc Vicarii, rem agente F. Dominico Perez Miniſtro, Fratres translati, intra Urbis mœnia ſubinde in S. Mariæ de Miraculis Templo aliquandiu perſtiterunt; quo relicto in S. Annæ ſacram Domum prope *Decimæ* portam tandem ſe receperunt anno MDCL, à cujus divæ nomine S. Annæ Fratres ſunt appellati. Hodie prope S. Philippi emporium Cęnobium exurgit, in quo elapſo ſęculo *Joannes à Flomaria* Laicus vitę ſanctimonia celebris floruit, & *Matthæus Thomaſellus* S. T. M. de quibus fuſius dicemus. *Trinitarior. Fundatio*

VII. *Mercenarii Fratres*, & ipſi Redemptionis Captivorum appellati in S. Mariæ de Concordia Eccleſiam anno MDCLXXXVII recepti ſunt, ab anno CIƆIƆCCXXXIII. rem promovente Joanne Baptiſta Raſo ejuſdem Ordinis. Erat Ædes hæc ſacra Juris Seminarii Clericorum, ſed ante annum CIƆCC creditur conſtructa, ac S. Joannis Baptiſtæ nomine initio inſignita, quod in illud S. Mariæ de Concordia fuit deinde immutatum, cujus extabat tabula ab anno MCCLXX. effecta,

effícta, ut Privitera teſtatur, feſtumque celebratur die Dominica ſecunda poſt Paſcham. Petri Galletti Epiſcopi juſſu ab anno MDCCXXXIII Parœcialis eſt, unique ex Fratribus animarum cura incumbit. Prodiit ex hoc Ordine B. *Alexander* Catanenſis Martyrii gloria illuſtris, cujus res geſtas ſuo loco dabimus.

CAPUT VI.

CLERICORUM REGULARIUM FAMILIÆ.

Fundatio I. SOcietatis *Jeſu* Coloniam anno LV ſupra MD Catana excepit in Hoſpitalem domum ſub titulo Aſcentionis Ferdinandi Vegę Joannis Proregis filii opera. Primi autem omnium Antonius Vinchius, & Sancius Ochioa Navarrus Sacerdotes totidemque Laici læta novæ familiæ exordia poſuere; è noſtris verò Ferdinandus Paternionius ante alios eidem ſeſe addixit, moxque Bernardus Colnagus, & Carolus Romanus Columna illi nomen dederunt, doctrinaque, ac ſanctitate inſignes evaſere. Dotem à Ferdinando Vega congruam domus hæc ſortita, proventus à Magiſtratu annuos etiam obtinuit, ſubindeque à Proceribus certatim bonis, ac latifundiis aucta eſt, crevitque in dies, adeout paucis ſecunda per Siciliam haberetur. Collegium hinc ad juventutem liberalibus artibus, ſcientiiſque imbuendam ſatis celebre evaſit, quamvis, ne publicæ *Academiæ* aliquid detraheretur, cautum fuerit, ut à magiſtrali laurea candidatis impertienda, ut fuerat à Pontifice indultum, Profeſſores abſtinerent. *Eccleſia* Templum, ædeſque ante terræmotum decenter ſatis inſtructæ magnificentiam redolebant; ſed illud

hodie

hodie nobilius exurgit, columnis ſexdecim ex albo Drepanenſi marmore ſuffultum, atque albario opere conſpicuum, quod Petrus Gallettus Catanenſis Epiſcopus ſollemni ritu anno CIↃIↃCCXXXVI conſecravit, ut docet Epigraphe poſt januæ ingreſſum hæc habens:

Clemente XII *P. M. Carolo* III *Borbonio utriuſque Siciliæ Rege, Templum hoc S. Franciſco Borgię huius Urbis Patrono, ac Defenſori dicatum Ill: & Rev: Dominus D. Petrus Galletti Epiſcopus Catinenſis, pro ſuo in Societatem Jeſu ſtudio ſollemni ritu conſecravit* XVIII *Kal. Decembris* CIↃIↃCCXXXVI *ejuſque celebritatis memoriam Dominica* IV *poſt Pentecoſten repetendam decrevit.*

Alia quoque ad ſiniſtrum latus extat Inſcriptio, in qua hæc leguntur.

Inclyto tuo Nomini, Miraculum Principum, Franciſce Borgia, conſpicuam hanc Baſilicam auguſtiſſimis tuis imparem meritis Catinenſe hoc Societatis Jeſu Collegium dicat, ac vovet. Tu illam benignus admitte, atque à Terræmotibus una cum tua aſſervata Catina eripe. Teque, ut ipſius, Populorumque omnium vota proclivi excipias aure, ſupplex apprecatur.

Colitur in ara maxima ſumma populi religione devotiſſima Deiparæ Virginis Imago Romà à Sancto Franciſco Borgia, quum Generalis Prępoſiti munere fungeretur, tranſmiſſa, ex prototypo S. Marię majoris expreſſa. S. Ignatii Sacellum ex argento puriſſimo gradus, atque antependium habet ex dono Hyacinthi Tedeſchii hujus Collegii alumni vitę meritis illuſtris. Sed illud S. Franciſci Xaverii longè elegantius; ex vario quippe lapide concinnatum, nobiliſſimis ex

ære inaurato ornamentis excultum renidet, eximii viri Agathini Tedeſchii opera; in quo prę-
Reliquiæ cipuè columnę quatuor ex viridi lapide antiquo ſtriatæ ſpectantur. *S*acrarium pretioſis aulęis inſtruitur, in eoque aſſervantur ex Ligno Sanctę Crucis, & ex Columna, ubi Dominus fuit flagellis cęſus; Capilli B. Mariæ Virginis; Ex veſte s. Joſeph; Dens molaris, & Os s. Ignatii Lojolę; Os brachii s. Franciſci Xaverii; Os s. Franciſci Borgię, & s. Franciſci Regis; Os poplitis s. Euplii Martyris Catanenſis, quod Franciſcus Blanditius ejuſdem Societatis à Saracinenſibus dono accepit; Ex ſanguine s. *S*tanislai Koſchę; Os s. Antonii Patavini, s. Caſimiri Regis Polonię, s. Caroli Borromęi, s. Petri de Alcantara, s. Marci Papę, & Conſ. s. Viti Martyris, aliorumque triginta ss. Martyrum reliquiæ inſignes. Templo adhęret Periſtylium columnis viginti quatuor ex eodem Drepanenſi lapide, aliiſque ornamentis ex Tauromenitano rubro marmore conſpicuum, quod una cum aliis ampliſſimis aulis, quas ad uſum ſcholarum moliuntur, ultimam expectat manum. Catanenſes è *S*ocietate Jeſu viri Illuſtres memorantur, præter laudatos Paternionium, Col-
Viri Illuſtres nagum, & Romanum Columnium, Blaſcus Statella, Ignatius Paternionius, Marius Bonaccoltus, Vincentius Marotta, Vincentius Raymundus, Didacus Paternionius, Joſephus Marcheſana, Vincentius Moncada, Michael Florius, Marius Aſmundus, Vincentius Romanus, & Marius Finiclarus, aliique, de quibus eruditiſſimus Emmanuel Aguilerius in ſuo præclaro opere de Ortu, & Rebus Geſtis *P*rov. *S*iculę *S*oc. Jeſu.

Aliud in veteri *S*s. Trinitatis Templo *S*ocietatis domicilium anno CIↃIↃCXXIII moliri cęperant

perant ſub S. Ignatii titulo, Pirro, & Groſſo memoratum; ſed neſcio, quo fato, opus non proceſſerit.

II. *Clerici Regulares Minores* Innocentii Maximi Catanẽſis Põtificis opera anno CIↃ IↃCXXVI in Æde Orphanorum ſub Titulo *S.* Joſeph primò ſedem poſuere, Urbis Magiſtratu, piiſque populis ſuppetias tanto operi miniſtrantibus. Hinc in Parœciale S. Michaelis Templum poſt triennium tranſlati, decentem ibi domum conſtruxere: Joannis Baptiſtę Paternionii Catanenſis Patricii fortunis mox aucti ſunt anno MDCXXX quem proinde, veluti domus fundatorem reverentur. Dum porro novam, atque inſignem Eccleſiam molirentur, terræmotu illo horribili ſępius memorato diſiectam indoluere unà cum aliis ædibus. Sed harum jacturam ampliſſima à fundamentis extructa, domo, nulli alteri certè ſecunda brevi compenſarunt. In ea totius Provinciæ Tyrones ad Regularis vitæ Profeſſionem, ut ajunt, admittuntur, ac naturalis, divinęque Scientiæ ſtudia vigent. Extat in Eccleſia antiqua s. Michaelis Archangeli tabula, quæ pręcipuo honore à fidelibus colitur, traduntque, ſępius Bartholomęo Simorilli Meſſanenſi vitæ ſanctimonia illuſtri divum ex ea imagine fuiſſe allocutum. De Bartholomæo, qui primus Catanenſis domus Præpoſitus fuit dictus, alibi in Annalibus agimus; Catanæ enim denatus VI. Idus Decembris, ut ipſe prædixerat, anno CIↃ IↃCXXXV. ingenti populi frequentia in funere honorari meruit. Memorantur à Groſſo etiam ob innocentiam morum Antonius Aduna Hiſpanus, Theodorus Leopardus Romanus, Baſilius Toſchius Calaber, & Joannes Maria Bonfilius, qui in s. Joſeph æde ob aeris inſalubritatem paucos

intra menſes mortui, quum poſt triennium ad novam Eccleſiam transferrentur, eorum cadavera incorrupta omnino ſunt inventa, ac loco ab aliis ſecreto tumulata. De his agit Clemens Piſellus Hiſt. Not. Cler. Regul. lib. 1. cap. 52.

Altera eorumdem Clericorum Domus ſub titulo *Conceptionis B. Mariæ Virginis* circa elapſi ſeculi finem originem cognoſcit à Bartholomæo Aſmundo religioſiſsimo Ordinis alumno, qui cum paternę hæreditatis bonis, tum aliis ex induſtria comparatis, ac loco, ubi vetuſtiſſimus fornix Sanctis Alphio, & Fratribus, ſanctoque Cataldo Epiſcopo dicatus extabat, delecto, ad æſtivum Urbis Solſtitium illam ſtatuit, in quam aliquandiu, quotquot ad Regularem vitam capeſſendam tyrocinium ponebant, ſunt recepti. Degunt hodie in ea congruo numero Aſcetæ, qui animarum culturæ in ea Urbis regione ſtrenuè, incumbunt.

III. *Clericos Regulares Infirmorum Miniſtros* vulgo *Cruciferos* Andreas Riggius Epiſcopus Catanam deduxit anno CIↃ IↃCXCVI illiſque bona aliquot attribuit, quæ olim Monialium Cœnobiis poſt terręmotum deletis, ac ſuppreſſis aſſignata; facultate ad id præſtandum à Summo Pontifice obtenta; Congruas ſubinde ædes proprio ære ad eoſdem excipiendos inſtituit, atque Eccleſiam S. Marię de *Dagala*, ubi Spiritus Sancti ſodalitas tunc erat, illis conceſſit. Eſt porro Deiparę Virginis ſub eo titulo devotiſſima, ac vetus imago, de qua Cajetanus hęc ſcribit: (a) *Fuit Catanæ Mulier, cui Benigna nomen, quæ ſacræ Ædi S. Mariæ à Dachala miniſtrabat pro ſua in Virginem pietate: Hæc jam filium (Deſiderius vocabatur) captivum apud Turcas habebat, ejuſ-* que

(a) Tom. 2 SS. Sicul. de Ædib. B. M.

que recipiendi deſiderio angebatur. Cum autem, ut mos erat, veſperi lampadem accenderet, quæ propter Virginis aram pendebat, naturali in filium ſimul & pio erga Ss. Matrem affectu impulſa, flexis genibus, magno animi ardore ait: ſe quidem, priuſquam è vivis deceſſiſſet, natum incolumem, reducemque viſuram. Vix ea, cum parvæ ſuæ domus januam pulſari percipit; accurrit, reſerat oſtium; ecce autem præter ſpem omnem filium Turcico indutum ornamento ibi adſtantem reperit; cernit attonita obvolutum tela barbarico more caput; talarem veſtem diſcolore involucro præcinctam, dextra poculum, ſiniſtra urceum tenentem. Tum filius ad Matris pedes ſeſe projicit, nomine compellans, & poſt dulces amplexus, en, inquit, Mater, modo in Domini mei (Baſſa voce barbara dicebatur) domo Conſtantinopoli verſabar, cui dum cænanti miniſtrarem, ut vides, hoc poculo, de repente ante tuos pedes hic me video. Sanctiſſimæ Virgini Deiparæ, reſpondit Mater, id acceptum referendum, illi agendæ gratiæ immortales, cujus commiſeratione nihil jam dubii eſt, quin tu hac mirabili, repentinaque libertate perfruaris. Inde Templum ingreſſi gratias liberatrici Virgini peragere. Tum re per viciniam vulgata, accurrere omnes, gratularique, & Virginis efferre præſentem opem. Adſuit etiam illius templi præfectus miraculi teſtis. Poculum verò & aliud vaſculum cum involucro diu in templo aſſervata, & deinde cum eadem poculi forma in thuribulum mutata adhuc extant tantæ rei monumentum. Perſcriptum etiam fuit id miraculum juſſu Catanenſis Epiſcopi, viſiturque in tabella Divæ Virginis depicta ipſo in templo. Hodie non niſi lintei pars, ſive involucri perſeverat,

reliqua

reliqua periere. Proſequitur Cajetanus. *Hujus miraculi veritatem comprobat, quod cuidam honeſto viro accidit. Detinebatur Panormi carceri incluſus vir quidam, ex neſcio, quo Siciliæ oppido, capitali crimine pene convictus; quippe qui tormentis adhibitis à Fiſco, rem omnem confeſſus fuerit. Is igitur ſuo capiti valde metuens, ſupradictæ Imagini Beatæ Virginis vovit recenti miraculo, quod inaudierat, impulſus, ſi mortem imminentem evaderet, capturum ſibi in matrimonium pauperem puellam ſine dote. Voto edito Vir nobilis ex aula regia illum convenit, ait, ſe à Prorege obtinuiſſe ob ſua merita, ut quem vellet ex vinctis liberaret, cui Jeſus adverſarius non obſtaret. Quare cum illi id præſtiturum promiſiſſet, Virgine potius, quam humana induſtria rem compellente, paucos poſt dies miſer ille liber evaſit. Tanti beneficii ſatis memor Catanam recta contendit gratiam acturus Virgini. Ibi cum puellam* XII. *annos natam offendiſſet, (Gratię nomen illi inditum) rogavit, ne gravaretur, ſibi ędem Virginis à Dachala commonſtrare; quo facillimè à puella impetrato, petiit etiam, ut ędituum accerſeret, cui pinguem eleemoſynam afferebat. Ad hęc paupercula reſpondit: ędem illam ſub Canonicorum tutela eſſe, proprium verò ędituum non habere, ſed Matrem ſuam annos aliquot illi adminiſtraſſe, ſed paucos ante dies letali morbo correptam hoc ſibi mandaſſe: Ut vides mea Gnata, in ſumma inopia morior, neque quidquam, quod tibi relinquam, mihi ineſſe cognoſcis. Unum moneo, & hereditatis loco relinquo: Templum hoc incole, & quod potes miniſterio tuo officium SS. Matri omnium Reginę exhibe: Confido enim fore, ut te illa Clementię Mater ſoſpitet, & ut Filium illius pauperculę*

repente

repente ex duræ ſervitutis vinculis exemit, ſic te ab omnibus vitæ laqueis, miſeriisque erepturā ſit. En ipſa (inquit puella) materni præcepti memor hic ſum, & Ss. Deiparæ ſervio. Commotus his verbis hoſpes facilè intellexit eam ſibi ſine dote pauperem ducendam uxorem, prout Virgini pollicitus fuerat; advocatiſque ſtatim tantæ rei teſtibus eam uxorem cepit, & ad patrios ſocos ſecum adduxit, rebus omnibus inſtructam. Huc uſque Cajetanus. Refert Groſſus in Decachordo S. Mariæ à Dachala Eccleſiam à Thomaſina de Marſilia fuiſſe conſtructam anno CIↃCCCCIX ſubinde Collegiali S. Mariæ de Eleemoſyna Templo, Cantoriſque dignitati unitam ex Eugenii IV diplomate. Fratribus verò ſodalitatis *S.* Spiritus anno CIↃ IↃCII die 29 Aprilis ceſſiſſe, in qua præter Dei Parentis imaginem, magnę ſemper fuiſſe venerationis Chriſti Domini Crucifixi Iconem tradit. Sed ea inter terręmotus ruinas periit, ac ſola *Ss.* Deiparæ antiqua tabula ſuperfuit, quæ in ara principe à confluenti populo colitur. Moliuntur, dum hęc ſcribimus, ſacræ hujus domus religioſi viri magnificentiſſimas ædes, ac ęquè nobile templum, ſuoque munere, ſumma animarum utilitate, totiuſque Urbis ędificatione diu, noctuque funguntur.

IV. *Clerici Regulares Theatini* ingenti omnium Ordinum conſenſu Catanę Coloniam poſuere anno CIↃIↃCCXXVII rem promovente Innocentio Savonarola ejuſdem Religionis alumno viro paucis comparando, quum ſacri Jejunii conciones ſummo fervore haberet. S. Marci domus Hoſpitalis in regione Orientali, vulgo *Civita*, illis attributa, ex qua antè aliquot annos Ægroti in aptiorem locum tranſlati fuerant, quamque olim S. Juliani Moniales diu inhabitaverant. *Theatini*

Enituit porro, immenſa Dei Providentia, ac præſens SS. Patriarchę Cajetani auxilium Innocentius expertus eſt; brevì enim æs ad eamdem domum comparandam, atque ad ædificia concinnanda ſponte à piis fidelibus oblatum vidit; ſacram, ac domeſticam ſupellectilem abunde ſuppeditatam, quin etiam inopinata ſubſidia veluti è Cælo demiſſa ſenſit. Decentem hodie habent Eccleſiam, ædeſque congruas, ſed ad majora molienda animum adjiciunt. Illud mirabile, quod quum eleemoſynis ſponte oblatis juxta inſtitutum vivant, pauperibus nihilominus ſublevandis ſępius per hebdomadam nunquam annonam defuiſſe experti ſunt. Cæterum *Activæ vitæ* muniis ſtrenuè incumbunt, ac fidelium culturę impigram ſanè impendunt induſtriam.

CAPUT

SÆCULARIUM CLERICORUM
CŒTUS.

I. Clericorum *Seminarium* juxta Sacri Tridentini Concilii ſanctiones Antonius Faragonius Catanenſis Pontifex primus inſtituit anno MDLXXII, ejuſque alumnos intra Canonicales ædes Epiſcopali Palatio adhærentes coegit. Hos porro ex primaria etiam, cum Catanæ, tum aliarum Urbium nobilitate adſcivit, quos inter Camillus Burgheſius poſtea Romanus Pontifex Paulus V. enumeratur. Anno CIƆ IƆCXIV. Bonaventuræ Secuſii Catanenſis quoque Antiſtitis opera Seminarii ædes contra publicum Senatus Palatium extructæ ſunt, ut Inſcriptio docebat, quę periit; *Seminarium Clericorum erectum ab Archiepiſcopo Fratre Bonaventura Secuſio Patriarcha Conſtantinopolitano Epiſcopo Catanenſi Anno* CIƆ IƆCXIV.

Subinde novis ædificiis anno MDCLXXXVII auctum Joſephi Cęleſtis in ſede vacante Generalis Vicarii ſolertia, nobili Bibliotheca à Santoro Oliva, & Groſſo donatur hac adjecta Epigraphe marmori inſculpta: *Chriſto Jesu Crucifixo, ejuſque Genitrici, Sponſæ Agathę, Divoque Carolo Borromæo, ut Seminarii hujus Alumni ad eorum gloriam propagandam magis efficerentur idonei, Bibliothecam hanc ornatu, quo vides, Sanctorus Oliva U. J. D. Cathedralis Eccleſiæ Catanenſis Canonicus vivens, ſub* Excommunicationis *Pontificię pœna, ne vel unus extrahatur, perenniter, ac piè poſuit, humiliterque dicavit Anno ſalutis* MDCLXXXVII.

Collapſum denique ex terræmotu Andreas Riggius Epiſcopus reſtituit, dotem auxit, libriſque non paucis ejuſdem Bibliothecam nobilitavit. Habet hodie ampliſſimas aulas, atque aquilonarem areę majoris occupat regionem, duplicique concameratione exurgit. Aluntur in eo abſque stipendio Ephebi XII Patria Catanenſes, qui ad Clericalem ſectandam militiam, quo ad vivunt, adſtringuntur; His noviſſime Caroli Collis liberalitate, qui bona ſua omnia moriens eidem addixit, alii duo adjuncti fuint, qui eadem lege alligantur. Complures præterea cum ex Catanenſibus, tum ex Dioceſi, ac finitimis Civitatibus, qui certum exolvunt quotannis ſtipendium, Alumnos excipit, ac *Convictores* etiam admittit. Præeſt *S*eminario Rector, qui ex Canonicis Cathedralis Eccleſiæ, ut plurimum aſſumitur, ſub quo alii Adminiſtri Clericorum educationi incumbentes. Adſunt hi feſtivis diebus omnibus Eccleſiaſticis officiis in majori Baſilica, atque in omni, quæ ſacrum virum decet, doctrinâ inſtituuntur.

II. *S. Hieronymi Eremus* in colle *la Mecca* ab antiquo Saracenorum fano adhuc extanti appellato, ad quincentos circiter paſſus ab Urbe, circa æſtivalis Solſtitii regionem ſub ſeculi XVI. medium fundata, S. Nicolai de Arena Abbatis, ac Prioris juriſditioni ſubditur à Petro Montana primo, ut traditur, ejuſdem incola, cujus vivendi rationes complures ſectati ſunt. Extat de hac fundatione Inſtrumentum in ejuſdem Cœnobii Archivo, anno MDCLII. ſignatum ſubinde Abbate, ac Priore renunciantibus, Epiſcopi ſubjicitur imperio. Petri Succeſſor Paulus Sigona Catanenſis Patricius generis nobilitate, ac morum

X probitate,

probitate conſpicuus bonis ſubinde ſacram hanc domum auxit, aliique complures vitæ ſanctimonia illuſtrem reddiderunt, quos inter Vincentius Morſellus, Seraphinus Numbus, Hieronymus Scarfillitus, Hieronymus Inquantus, Sigiſmundus à Valle, Fridericus, & Paulus alter Sigona, Joannes de Franchis, Vincentius Cultellus, qui fuit poſtea Catanenſis Epiſcopus, enumerantur.

Omnes hi Catanæ Cives patriam vitæ integritate illuſtrarunt, ut inferius dicemus. Memorantur etiam Balthaſſar Caſtillus Hiſpanus virtutis merito commendatus, qui à Didaco de Aedo Panormitano Pontifice ad Generalis Vicarii in ſua Diœceſi munus aſſumptus, præclariſſime ſe geſſit, ac noviſſimè ætate noſtra Sebaſtianus patria Netinus, qui anachoretico habitu indutus diu Catanæ magnæ integritatis opinione vixit, annoque CIƆ IƆCCVII non minori ſanctimoniæ fama deceſsit. Incedunt Eremitæ habitu clericali, ſed vilioris lanæ licio contexto. Subduntur hodie Epiſcopo.

III. *S. Petri, & Pauli Congregatio* in eorumdem Principum Apoſtolorum antiqua Eccleſia anno MDCXXXIV inſtituta, cujus ſodales Presbyteri in ſæculo degentes primum in SS. Simonis, & Judæ ædem conveniebant, ſed quum ibi loci anguſtia premerentur, SS. Petri, & Pauli Templum delegere. Hoc porro ante annum MCCCLXXII. initia recognoverat, ut Groſſus tradit, ac ſacro oleo de more delibutum, diu fuerat Parœcialibus accenſum. Anno MDCXXXV. Franciſci Amici Sede vacante Generalis Vicarii decreto V Idus Julii Sodalitas, ejuſque inſtituta confirmantur. Hodie tam Eccleſia à fundamentis poſt terræmotum extructa, quam Congrega- *S. Petri Ap. Congregatio.*

tio ſub titulo *S. Mariæ de Auxiliis* venit, ob translatam in illam anno MDCXLI tertio Nonas Novembris devotiſsimam Virginis Deiparæ Imaginem, quæ præcipua fidelium Religione colitur, ut olim frequentiſſimo populi concurſu, voti cauſſa, laudato Groſſo authore, etiam colebatur. Cæterum tanta cura Eccleſiaſticis muniis ſodales intendunt, ac Matris amantiſſimæ obſequia, honoreſque promovent, ut aliis exemplo ſint. Inſtitutionis diploma dabimus ſuo loco LVIII.

Eccleſ. S. Mariæ Lauretanæ

Templo S. Mariæ de Auxiliis adhæret nova B. Mariæ Virginis Lauretanæ Eccleſia, ubi adamuſſim domus illa ſacratiſſima, quę Laureti in Piceno ſumma totius Orbis Chriſtiani religione colitur, exemplata Joſephi Lauriæ Cathedralis Baſilicæ Canonici opera, ac ære conſpicitur, cujus externi parietes pario marmore conveſtiuntur. In eam hoc ipſo anno MDCCXL Septimo Idus Septembris ſollemni pompa ejuſdem Virginis Lauretanę devotiſſima imago, ex illo pulvere potiſſimum compacta, quem pii fideles colligunt, dum eamdem divinam ædem Laureti verrunt, illata.

Septem Dolorum Congreg.

IV. *Septem Dolorum Beatæ Virginis* Clericorum Sęcularium ſodalitas in S. Blaſii Parœciali Templo, quod à *Fornace* Beatiſſimæ Agathæ etiam appellatur, Andreę Riggii opera anno CIϽIϽCCX fundata celebris etiam habetur. Ejuſdem eſt inſtituti ſodalibus infirma valetudine affectis ſubſidia miniſtrare. Eccleſiaſticis muniis hi etiam ferventiſſimè incumbunt; noviſſimè enim in eadem Eccleſia *Opus* auſpicatum, ac utriuſque ſexus fidelibus facultas conceſſa, ut certâ quotannis exoluta pecuniâ, *Operi*, ſic appellant, adſcribantur. Quotquot in Catalogum relati gratis ad Sepulchrum efferuntur, ac pro animarum ſuffragio

quotidie

Digitized by Google

quotidie Presbyteri duodecim divinum miſſæ ſacrificium offerunt, feſtiſque diebus ſollemne cum cantu ſacrum celebrant; ex illis demum nonnulli, quorum nomina ſorte educuntur, decreto die viginti quinque ſcutata percipiunt. Hinc frequentiſſimus in eam populus, religionis cauſſa, quotidie convenit, rebuſque divinis magna pietate intereſt.

CAPUT VIII.

SACRARUM VIRGINUM MONASTERIA SUB S. BENEDICTI REGULA.

I. ANtiquiſſimum S. Juliani Virginum Cœnobium in edito colle S. Sophiæ ad tria circiter paſſuum millia ab Urbe, quà hęc Aquilonem reſpicit, conſtructum, ſive inſtauratum Nortmannorum Principum ævo creditur. Unum porro ex illis eſſe, communiter tradunt à S. Gregorio, Romano poſtmodum Pontifice in Sicilia ex ſuo patrimonio exædificatis, quidquid Pirrus, & Cajetanus, ut alibi ſcripſimus, obtendant. De hoc denique eumdem ſanctum Pontificem intelligere in Epiſ. XIX. lib. XIII nonnulli contendunt, ubi ait *Monaſterio itaque veſtro* (*noſtro* alibi lego in Editione Epiſtolarum Gregorii perantiqua) *quod à vobis in Catanenſi Urbe conſtructum eſt per Adrianum Notarium, & Rectorem Patrimonii, emiſſa præcepti pagina, decem annuos ſolidos dari deputavimus, quos petimus ſine injuria ſuſcipi, quia non hæc vobis oblatio noſtra, sed S. Petri Apoſtolorum Principis benedictio offertur.* Epiſtola ad Julianum nobilem virum dirigitur; hinc

S. Juliani

hinc conjectura aſſequimur, Sancto Cenomanenſi Epiſcopo cognomini fortaſſe dicatum voluiſſe Julianum Cœnobium ab ſe conſtructum; Quæ ſi vera eſſent, jam non Gregorio Pontifici illius fundatio adſcribenda, ſed Gregorii tempore initium habuiſſe ab laudato Juliano, ut Epiſtola videtur innuere, dicendum. Collis olim Cereri ſacer; unde autem S. Sophię nomen illi inditum, ignoramus. Author etiam ſeu conditi poſt Saracenos, ſive reſtituti Monaſterii incertus; nec enim traditioni, quę apud Moniales viget, & Jacobellę, Eliſabethę, ac Iſabellę Friderici Regis affinibus fundationem adſcribit, deferre quid poſſumus, quandoquidem initio ſęculi XIII, jam in Urbem ex Eremo translatum Cœnobium publicę tabulæ nos edocent, in quibus donatio Philippi de Ocho ex Urbis Proceribus Rogerii Catanenſium Pontificis germani fratris conſignatur, qua ille bona quamplura Monialibus anno MCCXII attribuit. Translationem porro ſubinde Bonifacius VIII. anno MCCXCV ratam habuit, atque Otho Abrazabenius, Leonardi de Flisco Epiſcopi Catanenſis vices gerens firmavit XVII Kalendas Aprilis MCCCIV. Eidem Cœnobio alterum *S. Mariæ de Monachabus* titulo inſignitum Joannis de Luna Epiſcopi etiam Catanenſis decreto anno MCCCLIV fuit adnexum, quam unionem Simon de Puteo MCCCLXXXIV probavit. Fridericus Sicilię Rex hujus nominis III, cui forte erant ſanguine conjunctæ Jacobella, ac Sorores jam ſupra laudatæ, bonis Cœnobium auxit, unciaſque auri vigintitres ex Secretię proventibus liberaliter attribuit ſcriptis Policii literis XVI Kalendas Septembris MCCCLXXI. Crucemque Cryſtallinam, quam ad hanc uſque diem aſſervant, adjecit.

S. Marię de Monachabus.

Hinc

Hinc fama manavit, Jacobellam, ac Sorores Monaſterium fundaſſe. Alphonſi quoque largam liberalitatem Sanctimoniales experte quatuor meladrię cadis è Cętaria Panormi III. Kal. Decembris anno CIↃCCCCXXXIV donantur, quos ad hęc uſque tempora percipiunt. Perſtitere porro in regione Civitę ad orientalem Urbis plagam, à prima Monaſterii translatione ad annum MDCCIX, quo in frequentiorem, commodioremque ſitum migrarunt, permutato cum Hoſpitali S. Marci domo ampliſſimo Cœnobio, ac quincentis aureis eidem perſolutis; ubi hodie ſatis commodè degunt, ac novam elegantiſſimam moliuntur Eccleſiam. Effloruit ſemper Cœnobium hoc nedum regulari obſervantia, rerumque ſacrarum nitore; ſed è primaria nobilitate alumnas excepit, quæ ſumma, ac perpetua animorum conſenſione ſedulum Deo famulatum exhibuere; nec ſuis majoribus degeneres ſeſe probant hodiernę, quarum ne modeſtiam oneremus, laudes prętat hic diſſimulare.

II. *S. Benedicti* Cœnobium Alemannam Lumellam religioſiſſimam feminam, ac Rogerium la Matina ex Catanenſibus proceribus Fundatores cognoſcit VI Kal. Majas CIↃCCCXXXIV; ac in locum, primò, quod *Molendinum de Vento* dicebatur, translatum eſt III Idus Februarii MCCCXLI, ſubindeque ob aeris intemperiem ad ædes, quas idem Rogerius à *Petro Sicilię* Rege juxta principem Baſilicam impetrarat, de licentia Jacobi Sebaſtienſis Epiſcopi, Gerardi Catanię Pontificis vices gerentis XV Kal. Januarii MCCCXLVIII deductum eſt; tandemque in Adrani Comitis laxiorem domum, in vico, cui tunc nomen *Via nova*, poſt ſeptennium Moniales, loci illius frequen- *S. Benedicti Monaſterii.*

tiam

tiam pertæſę, commigrarunt; ubi hodie perſeverant. Primæ Abbatiſſę nomen interiit, ſecunda vero *S*or: Catharina de Barlione ab Joanne Cajetano *S*tabienſi Pontifice benedictionis munus accepit. *Anno 1366. 27. Octobris Martialis Catan: Epiſ: F. Joanni Cajetano de Catania Ordinis S. Benedicti Epiſcopo Stabienſi facultatem fecit benedictionis munus impertiendi Sor: Catharinæ de Barlione Abbatiſſæ Monaſterii S. Benedicti.* Quum porro temporum injuria Cęnobii fortunæ nimium eſſent imminutæ, Nicolaus Maria Caracciolus Catanenſis Antiſtes pridie Nonas Februarias anno MDXLI *S.* Joannis Evangeliſtę vulgo *de Barrilari*, S. Mariæ Magdalenæ, & S. Stephani Protomartyris Eccleſias, ac *S*acerdotia in eis inſtituta, tum aliud de Catena appellatum in Cathedrali Baſilica fundatum Monaſterio adnexit, quam unionem Pius V Romanus Pontifex Romæ VI Idus Maii MDLXVIII ratam voluit; ac ſubinde Clemens etiam VIII Romæ III. Kal. Maii MDCIII. Sacra Ædes S. Stephani, ut clauſtri ſepta dilatarentur, ſolo fuit æquata; Altare autem intra Monialium Templum tranſlatum, una cum veteri Gręca Inſcriptione, quæ ſupra ejuſdem S. Stephani januam marmori inſculpta olim videbatur. En illam, ut latinè reddidit Octavius Cajetanus: *Ædificatum eſt hoc venerabile, atque divinum Templum primi Lectoris Martyriſque Protodiaconi Stephani à piiſſimo Sacerdote Arcadio Menſis Julii die prima Anno 679.* Fulgebat olim hoc S. Benedicti Templum præ cęteris varia pictura, auróque, ac marmore decoratum, ſed ex terręmotu una cum ædibus Monialium dirutum, auguſtius reſtitutum hodie exurgit, pauciſque amplitudine, ac ornamentis per

Urbem

Urbem ſecundum non immerito cenſetur. Olim centum ac viginti regularibus inſtitutis ſtrenuè incumbentes ſacras Virgines clauſtris concluſas teſtatur Groſſus in *Decachordo*; nunc verò XL circiter in iis degunt ex primaria etiam nobilitate originem ducentes, ſanctiſque operibus intentæ.

III. *S. Placidi* primi Ordinis S. Benedicti Martyris Cœnobium à Ximenio, & Paulo de Lerida pietate, ac thalamo conſortibus anno MCCCC fundatum, eorumdem bonorum heres conſtituitur CIↃCCCCXX, atque à Blancha Siciliæ Regina Martini I. Uxore bonis, ac Juribus augetur XI. Kal. Novembris CIↃCCCCIV. Pauli de Aidone fortunis ſubinde anno MCCCCXLIV locupletatum, Beatricis tandem, ac Conſtantiæ Vigintimilium liberalitate tertia parte Feudi *Paſſaneti* fuit donatum. Ejuſdem ſitus ut olim, ſic hodie, poſt majorem ſcilicet Baſilicam in regione Civitę non longè à mœnibus meridionalibus, quem area non anguſta nobiliorem reddit, huic enim Eccleſiæ proſpectus reſpondet. Intra Clauſtra, quæ omnimodam præſeferunt magnificentiam, Ædes antiquiſſimæ illuſtris familiæ de Abatelli, ubi ortam amantiſſimam Patronam, ac Civem Agatham fama deprędicat; hinc meridionali Cœnobii muro hoc appictum Epigramma ſub ejuſdem Sanctæ Virginis ſtatua: *Agatham hìc Concives, vos religioſius venerari decet, ubi ex Veterum fama amplisſimas Parentum Ædes Natali ſuo, ipſo naſcentis Deiparæ die, Anno Dni* CCXXXVIII, *mirificè illuſtravit. Subterraneas verò cameras poſt Genitorum funera, adeo virtutum omnium monumentis ornavit, ut toti Orbi invidendas reliquerit.* Templum porro nobiliſſimum ſacro, de more Eccleſiæ inunxit oleo anno CIↃIↃCCXXII Paulus

S. Placidi

Stabile Epiſcopus Bovenſis dum Albari Cienfuegos S. R. C. Catanenſis Pontificis vices obiret.

Colitur in ejuſdem Sacratio integrum Sanctæ Eugeniæ V. & M. Corpus ex dono Nicolai Tedeſchii Archiepiſcopi Apameni. Tabula etiam antiquiſſimam S. Placidi ſumma religione in ara eidem ſacra cum Moniales, tum pii fideles venerantur. Hæ porro nobilitate generis, ac ſanctioris vitæ exemplis etiam præfulgent.

SS. Trinitatis. IV. *SS. Trinitatis* ſub divi Benedicti regula Monaſterium Cæſariam de Auguſta Juliani viri patricii Uxorem habuit inſtitutricem anno MCCCXLXI in vico S. Martini; At quum loci anguſtia aliquando illius Moniales premerentur, Nicolao Caracciolo Catanenſi Pontifice volente, in aliud S. Mariæ Portus Salvi, de quo dicemus, traductæ ſunt anno MDLIV. Quod ægre tamen ex illis aliquot ferentes, in S. Nicolai de Oliva Eccleſiam, facta cum *Orphanorum* collegio ædium permutatione de Præſulis licentia poſt annum duodecimum migrarunt, antiquo Ss. Trinitatis retento titulo, ibique ad annum CIↃ IↃCXCIII perſtitere. *Cænobium hoc*, inquit Groſſus in Dechacordo, *regularis ſemper fuit obſervantiæ, ac brevi ob Monialium pietatem, ſed vel maximè Sor. Victoriæ Provincialis fortunis excrevit: Templum plaſtica ratione elegantiſſimè marmoratur Tabernaculum Euchariſticum ex puriſſimo argento in aſpredinem cęlato, puſtulisque exciſis integratur.* Poſt terremotum in ampliorem locum tranſlatum, ac magnificentiùs reſtitutum ab æquè ingenuis, ac piiſsimis Monialibus incolitur, quæ elegantiſsimo Templo condendo ſtrenuè incumbunt.

S. Agathæ V. *S. Agathæ* elapſo ſeculo originem recognoſcit Eraſmi Cicalæ opera, qui prope Cathe-

dralem

dralem Baſilicam ſub *S.* Franciſci Paulenſis inſtitutis illud condi voluit anno MDCXX. Variis porro jurgiis intercedentibus, aliquandiu Monialibus deſtitutum, demum in ipſum illatis Eliſabetha Cicala Fundatoris ſorore è Ss. Trinitatis clauſtris educta, & Maria Magdalena Fimia è Monaſterio Portus ſalvi cum duodecim puellis anno MDCLII felix auſpicium habuit ſub S. Benedicti inſtituto, Marco Antonio Guſſio Catanenſi Pontifice. Novis ſubinde incrementis auctum regularis obſervantiæ ſpeculum aliis Cęnobiis extitit. Ingenti illo terręmotu dirutum, auguſtius fuit inſtauratum, brevique illius Templum elegantiſſimè architectatum, omnibuſque numeris abſolutum Urbis decorem augebit. In eo lectiſſimum hodie tum ſanguinis claritate, tum morum innocentia Virginum collegium arctioris vitę ſtudiis inhęret.

VI. *S. Mariæ Portus Salvi* celebre olim Cœnobium in area *Sigonæ* Hilaria de Mingrino, propriis ædibus in uſum attributis, anno MCCCCLXIV erexit, mox verò Nicolaus de Penna U. J. D. MCCCCLXXIV opibus auxit, tandemque Catharina Marcheſana anno MDCXXVII. ſuis bonis donavit; In idem Monaſterium Nicolaus Maria Caracciolus die X Julii MDXXXVII aliud S. Mariæ de Succurſu transſtulit, hujuſque bona jam imminuta illi attribuit, cui Beneficium inſuper à Paulo Aidone in Templo S. Placidi ante quadriennium fundatum pridie Kal. Februarias ſequentis anni adnexum voluit. Quum porro ingenti illo terręmotu ſępius memorato ſolo fuiſſet æquatum, atque ex nonaginta Monialibus vix duo ſuperſtites evaſiſſent, illud ſupprimendum cenſuit Andreas Riggius Catanenſis Epiſcopus, quæque ſupererant, ejuſdem bona, juxta obtentam à Roma- *S. M. Portus Salvi.*

no Pontifice facultatem aliis piis operibus addixit.

S. Luciæ. VII. *S. Luciæ V. M.* alterius antiquiſſimi Cœnobii ſub eodem titulo Adrani ab Adelaſia Rogerii nepte conditi membrum anno circiter CIƆCCCCX Catanæ excitatum Moniales ex eodem Adranenſi Monaſterio ſuſcepit, quæ illius Abbatiſſæ regimini ſubdebantur; adeout una, eademque familia Adranenſes, ac noſtræ haberentur. Cœnobii hujus ſitus prope occidentales muros, ac propugnaculum S. Mariæ de Tindaro, ubi, publico diverſorio, quod à *Corvo* appellabant, ad clauſtri uſum accommodato, diu periitit. Proſcripta S. Concilii Tridentini decreto Monialium commigratione Vincentius Cutellus Catanenſis Pontifex unionem utriuſque Cœnobii diſſolvit, ſingulisque Abbatiſſam deſignavit, ac redditus adſcripſit. Epiſcopi tamen ſanctio non ſatis Adernionenſibus arriſit; acria idcirco fuere hinc inde jurgia excitata, quæ tandem per tranſactionem compoſita anno MDXCVII, ut Groſſus ſcribit. Quum ex terræmotu Moniales omnes, una excepta, periiſſent, hoc etiam Monaſterium delendum cenſuit Epiſcopus, ac ſuperſtites redditus Clericorum Seminario, ſacræque Miniſtrantium infirmis domui tunc inſtitutæ aſſignavit.

S. Catharinæ. VIII. *S. Catharinæ V. M.* vulgo *Abbatia nova* anno MDCXIII Franciſcæ Joeniæ, & Bellaceræ pietate conditum Pauli V Rom. Pont. Reſcripto V Idus Auguſti ſequenti anno confirmatur. Templum elegantiſſimis columnis, ut idem teſtatur Groſſus inſtruebatur; Moniales plures XXXIII, eſſe non poterant, quas inter Franciſca Fundatrix adſcribi voluit; ac ſanctiſſimè vixit. S. Benedicti regulam profitebantur, quam

Y adamuſſim

adamuſſim ſervabant. Cœnobii ſitus, ubi hodie Joannis Rizzari domus, prope S. Michaelis Templum. Ex hoc etiam poſt Terræmotum una dumtaxat ſuperfuit Monialis, ſuppreſſum idcirco ac deletum.

CAPUT IX.
MONIALES SUB S. FRANCISCI REGULA.

I. CŒnobium *Montis Virginis* in edito colle ad ſolſtitium æſtivum juxta mœnia, & portam Regis ex piorum eleemoſynis, ut Groſſus ait, jam ab anno MCCXX D. Clara adhuc in vivis agente ædificatum, ac XL Monialium Collegio Pirro, & Vuadigno teſtibus, Gualtherio de Polena Catanenſi Pontifice, inſtructum, ubi, & Eleonoram Reginam tradunt, Seraphici Patris inſtitutis ſeſe mancipaſſe. Pauli III Rom: Pontificis diplomate XVI Kalendas Auguſti MDXXXVI confirmatur, qui Moniales Fratrum Minorum de Obſervantia ſubjecit imperiis, eoſque privilegiis, quibus Clariſſarum Monaſteria fruuntur, donavit. Hæc porro regularis obſervantiæ, ac religioſæ paupertatis exemplar ſemper extitere, ut Franciſcus Gonſaga de Origine Seraphicæ Relig: parte 2. teſtatur; ac majores etiam noſtri tradunt; eorumque anteſignana Agatha Platamonia generis nobilitate, atque animi virtutibus inclyta memoratur, quæ è *S.* Luciæ Monaſterio ad hoc arctioris inſtituti tranſiit, de qua & alibi dicemus. Poſt annum MDCXCIII Moniales Clariſſæ in unum coaluere Cœnobium S. Claræ titulo appellatum, hinc illud Montis Virginis cum aliis ſuppreſſum. *Montis Virginis*

II. *S. Claræ* ab Antonio Paternionio Senatorii Ordinis viro Oxinæ Barone anno MDLIII originem *S. Claræ*

riginem cognoſcit; Moriens enim Cæſari Statellæ & Petro Paternionio ultimis tabulis commiſit, ut Clariſſarum, ſeu Urbaniſtarum Cœnobium ſub S. Claræ nomine ſuis in ædibus extruerent, Feudumque Oxinæ ad ejuſmodi opus, ac bona, quibus affluebat, legavit. Illi pio huic teſtatoris deſiderio obſecundantes, Decretum à Summo Pontifice Romæ Kal: Septembris MDLXIII impetrarunt, atque attributo in uſum S. Laurentii Templo ſequenti anno Moniales ſub Sor: Geſue Guerreriæ ex illo Montis Virginis eductę magiſterio, in novum Monaſterium induxere. Contulit ſuppetias Clara Statella Cęſaris filia, quæ Sororibus adſcribi voluit, ſuiſque fortunis, communem adauxit. Expungendus hinc Pirrus, qui circa ſęculi XV medium Cęnobii hujus exordia conſignat. Oxinæ porro Caſtrum Saracenici nominis, ut ſcribit Fazellus olim celebre, cujus ingentes extant ruinæ. At Feudum Moniales cum aliis bonis poſt annum MDCXCIII commutarunt. Eſt hodie Cęnobium ſtructura auguſtum, Temploque pulcherrimo nobilitatur. In illud, Montis Virginis, ac S. Hieronymi ſuperſtites poſt Terræmotum Moniales illatæ, regularibus inſtitutis adamuſſim intendunt: Sub Fratrum Minorum (Obſervantes vocant) cura diu perſtitere, ad annum ſcilicet MDCCVII. Ex quo tempore ſub Catanenſis Pontificis omnimoda Juriſdictione degunt Andreæ Riggii tunc Epiſcopi opera, qui ad Templi conſtructionem opes largiſſimè contulit.

S. Hieronymi III. *Hieronymi* Monaſterium Petri Seminaræ Catanenſis Patricii Joannis Baptiſtę Regentis filii opibus fundatur anno MDXCVI Cęſare Cajetano rem promovente, ac Romano Pontifice ſus literis Nonis Novembribus confirmante. Obierat diem

diem Petrus MDLXXXV. variisque intercedentibus cauſſis, nonniſi anno ab ejus morte XX. ejuſdem pia voluntas potuit executioni mandari. Poſt biennium verò, quum in Regione Portæ mediæ, ubi Seminaræ ædes, Cœnobiumque exurgebat, Amenani aquę ſtagnantes aerem infeciſſent, ad illud, quod S. Mariæ à Succurſu Benedictini Ordinis olim dicebatur, ac Jo: Dominicus Rebiba Catanenſis Pontifex nuper ſuppreſſerat, in Regione S. Cyprianæ ſitum Moniales tranſmigrarunt, cujus S. Hieronymo nomen fecerunt, ibique ad annum MDCXCIII. perſtitere. In hujus Cœnobii templo elegans è marmore ſepulchrum Joannis Baptiſtæ Seminaræ Regentis, ac Petri Fundatoris digniſſimi parentis extabat, quod hodie in S. Claræ locatum ſpectamus, eò enim translatę ſunt S. Hieronymi Moniales quinque, quę terræmotus ruinis ſuperſtites fuere, reddituſque, ac jura illi contulerunt.

IV. *S. Mariæ Magdalenæ* à primęva fundatione converſis mulieribus addictum ſub Epiſcopi jure, ac S. Franciſci inſtitutis Cœnobium, publico ære, Senatus ſcilicet, ac Piorum Civium, conſtituitur menſe Octobri MDLXXI. rem promovente Ferdinando Paternionio Societatis Jeſu. Ejus inter authores memorantur etiam Franciſcus à Valle, ac Petrus Seminara viri Patricii, Petruſque Averſa Cathedralis Eccleſiæ Cantor; quibus accenſendi Leonardus Mancarella, & Andreas Patinichius ſuppetias, & ipſi ad opus conferentes. Verùm poſt annum MDCLXIX. Virgines illuc introductæ ſunt, converſæque in alia clauſtra receptæ opera Joannis Baptiſtæ Baſilis Cathedralis Templi Canonici. Ex ingenti porrò terræmotu ſæpius memorato, quum in S. Benedicti paucæ *S. Mariæ Magdalenæ*

ſuper-

ſupereſſent Moniales, Andreas Riggius Epiſcopus S. Mariæ Magdalenæ Sacras Virgines, quamvis Franciſcanam Regulam profeſſas, facultate ad id obtenta à Romano Pontifice, in illud coegit, utque deinceps ſub S. Benedicti viverent caſtra, effecit. Converſis autem mulieribus Domus aſſignata , prope quam Templum ſub ejuſdem S. Mariæ Magdalenæ titulo extructum ejuſdem Pontificis Andreæ opibus. Celebres inter hujus S. Domus alumnas fuere *Sor: Maria* .... natione Hiſpana, in vita, & poſt mortem prodigiis clariſſima, quæ in ſumma auſteritate, atque abſtinentia dies traduxit, eximiaque charitate in Deum, ac proximos, ægrotaſque præſertim Sorores, quarum ulcera ſaniē manantia ſui victrix lambendo abſtergere non abhorrebat, effloruit. Supremæ demum ægritudinis moleſtias patienter perferens, beato fine quievit anno MDLXXXVIII, cujus corpus humi demandatum poſt annos ferme ſex & triginta incorruptum inventum eſt; hodieque in S. Benedicti clauſtris decenti loco aſſervatur, noviſque quotannis veſtimentis induitur. *Seraphica Portia* charitate, humilitate, aliiſque virtutibus illuſtris, *Antonia* demum *Zuccarella* patientia in Cancri morbo perferendo admirabilis, humilitate, ac pœnitentia ſingularis, de quibus alibi dicemus.

S. Agathæ olim domus mulieres excipiebat, quæ è ſuis libidinibus emergentes, antequam ad S. Mariæ Magdalenæ admitterentur, pietatis velut tyrocinium ponebant. Operi huic plurimum contulit Martinus Fleres Hiſpanus Principis Baſilicæ Canonicus anno MDCXXXVII. Poſt Terræmotum ſuppreſſum eſt, redditusque ſuperſtites S. Mariæ Magdalenæ addicti.

V. *S. Aga-*

V. *S. Agathæ* Puellarum Domus, ubi ab anno MDLXXXVI Virgines puellę educantur, quouſque vel nubant, vel regularem profiteantur diſciplinam, publico Senatus ære, & Joannis Pauli la Rocca Catanenſis Patricii opibus fundata, adhuc hodie perſeverat. Ex illarum numero decem quotannis ſorte educuntur, quibus congrua dos exolvitur, honeſtiſque viris in matrimonium collocantur. Degunt etiam in ea Virgines aliquot, quę regularem vitam amplexę ſunt ſub *S.* Marię de Carmelo inſtitutis, ac puellarum educationi intendunt. Domus cura ſub unius Patricii viri poteſtate. *S. Agathæ Puellarum Domus.*

Extant igitur hodie ſub S. Benedicti Regula Monialium Cęnobia quinque *S. Juliani*, *S. Placidi*, *S. Benedicti*, *Ss. Trinitatis*, ac *S. Agathæ*; ſub S. Franciſci inſtitutis unum *S. Claræ*.

Suppreſſa *S. Mariæ de Monachabus* ſub Joanne de Luna Epiſcopo anno MCCCLV S. Juliani Cęnobio unitum; *S. Urſulæ* Joanne M. Caracciolo volente *S.* Lucię adnexum; *S. Mariæ de Succurſu* ab eodem Pontifice ob collapſas facultates S. Mariæ Portus Salvi Cœnobio unitum, in cujus clauſtra poſtmodum S. Hieronymi Moniales migrarunt. *S. Mariæ Vallis Viridis* ſub idem anni ſpatium eiuſdem Epiſcopi decreto ſuppreſſum; S. *Luciæ*, *S. Mariæ Portus Salvi*, *S. Catharinæ*, uno, eodemque tempore poſt annum ſcilicet MDCXCIII deleta. Quæ omnia S. Benedicti profitebantur Regulam. Ex Franciſcanis S. *Marię Montis Virginis*, & S. *Hieronymi*. *Monaſteria ſuppreſſa*

LOCA PIA, HOSPITALES DOMUS, ORPHANORUMQVE ÆDES.

I. ORphanotrophium ad excipiendos pueros parentibus orbatos Joannes Vega Siciliæ Prorex Catanæ inſtituit, atque Julii III. Rom. Pontificis diplomate XIV. Kal. Martii MDL confirmatum voluit. Primo igitur in S. Nicolai de Oliva Eccleſia Collegium hoc coaluit, ſubinde facta cum Monialibus Ss. Trinitatis permutatione in earumdem domum convenit; demumque ad vicum, cui olim nomen *à Tocco*, tranſlatum eſt. Poſt Terræmotum aliquandiu intermiſſum, ſed mox piorum ſtudiis anno MDCCVII reſtitutum. Hodie Orphani ædes incolunt vetuſtiſſimis Thermarum S. Pantaleonis fornicibus ſuperſtructas, Eccleſiamque proximam ſub titulo S. Mariæ majoris frequentant.

II. *Hoſpitales Domus* ad ægros pauperes fovendos varias pro tempore Catanę excitatas legimus. Prima, cujus extat memoria, illa eſt, quam Eliſabeth Regina in regione S. Mariæ de Rotunda fundavit, ejuſque curam Guillelmo de Maugerio Ordinis Paupertatis s. Mariæ Nemoris Clauſi Priori anno MCCCXLV commiſit, ut ex ejuſdem diplomate Meſſanę ſignato pridie Idus Januarii colligo. Anno MCCCXCVI Bartholomęus Altavilla in Æde *Aſcenſionis* titulo appellata, Xenodochium inſtituit, æreque proprio dotavit. Hanc poſtmodum MDLV Societatis Jeſu Alumni, Epiſcopo, ac Urbis Senatu indulgente, ſibi vendicarunt, ibique hodie degunt. Xenodochium verò alteri s. Marci titulo donato, quod antiquiſſimum appellat Groſſus, ab anno MCCCCXLV fuerat

rat; unitum ex diplomate Eugenii IV Rom. Pontificis Romæ XVI Kal: Martias. Hoc porro s. Marci in foro lunari ære publico creditur primo inſtitutum, ſubindeque Antonii Salvi, Andreæ Caſtelli, Hieronymi Cultellii, Principii Paternionii, & Nicolai Penna, genere, ac pietate illuſtrium fortunis auctum, ab Julio demum Rizzaro ſcutatis annuis CCCLXXX ad ędificia reparanda, anno MDXCI donatur. Seculi XVII anno XXXVII in auguſtiorem formam ejuſdem ędificia ſunt redacta, ſed MDCLXXXIV ad uſum Publici, univerſaliſque Regni totius Gymnaſii illa ceſſere, atque Hoſpitalis Domus in regionem Occidentalem, ubi primum S. Luciæ Moniales ſedem fixerant, transfertur. Poſt Terræmotum novum s. Marci Noſocomium frequentiori in locō excitatur prope Societatis Jeſu Collegium; Nicolao Tezzano Urbis Archiatro maximè curante, moxque anno MDCCIX facta cum s. Juliani Monialibus permutatione ad *Civitę* vicum in earumdem Cœnobium Ægroti migrarunt. Demum in area olim à Steſichori Sepulchro, nunc verò ab Acis porta appellata, ejuſdem Nicolai Tezzani Comitis Palatini, perpetuique Catanenſis Gymnaſii Prioris induſtria, ac ope noviſſimum extructum eſt, in quo neque elegantiam, neque amplitudinem deſideres; Hinc ſub ejuſdem Nicolai imagine Epigraphe legitur, qua Noſocomii ædificiorum Promotor eximius celebratur, eaque proprio ære inſtituiſſe jure merito aſſeritur.

Hoſpitalis cura, ac regimen penes alterum ex Senatoribus, ac Priorem Cœnobii s. Dominici, unumque ex popularibus Conſulibus ſtat, qui Rectorum titulo donantur, ut in Eugenii diplomate ſuperius advocato decernitur; quo etiam à

 Juribus

Juribus *Quartæ Legatorum*, ac *Canonicæ portionis*, ut ajunt, Noſocomium immune declaratur.

Domus Inſanabilium

III. *Inſanabilium* Domus, quorum nempe deſperata eſt cura, aut membra ulceribus abſumpta in ædibus Baronis Militelli anno MDLXV fundatur, ſed mox s. Marci Noſocomio adnectitur, cui onus proinde excipiendi inſanabiles, atque ulceratos incumbit.

Xenodochium pauperibus peregrinantibus addictum in s. Euplii domo anno MDXCVIII inſtitutum, ne nullo unquam tempore deficeret, Senatus Catanenſis ſodalibus s. Euplii demandatum voluit, ac congrua ſupellectile inſtruxit. Sed poſt Terræmotum pium hoc opus nondum vidimus reſtitutum.

Mons Pietatis

IV. *Mons Pietatis* ad pauperum, pupillorum, atque id genus hominum miſerias levandas à *Senatu*, populoque Catanenſi anno MDXLV erectus eſt, cui Epiſcopus etiam, Clerusque ſuppetias miniſtravit. Promovendo tam pio operi Thomas Guerretius ex Patriciis Urbis, ac Juris Doctor ſtrenuè incubuit, atque à Paulo III Rom. Pontifice, cui fuerat familiaris, decretum obtinuit pridie Kal: Martias MDXLVI, in quo Rectoribus à Senatu adlectis Montis regimen, ac cura demandatur. Ex his porro primus, ac perpetuus Cathedralis Eccleſiæ Prior, duo alii ex Patriciis, quartus ex *Judicibus Idiotis*, quintus ex *Acatapanis*, ſextus ex *Inſtitutis*, ſeptimus denique ex *Popularibus* (ſunt hi Civium Ordines) qui per biennium adminiſtrant, pauperibusque, ac indigentibus, honeſtisque perſonis nummos, annonam, veſtes, ægrotis item pharmaca diſtribuunt, ſeptemque quotannis Virgines, dote attributa, in matrimonium collocant. Pii hujus operis, præter

laudatum Thomam, promotores etiam habentur Hieronymus Jeremia, Petrus Averſa, Alphonſus Caruſius Ordinis Senatorii, quibus accenſendus Joſeph de Franchis majoris Baſilicæ Canonicus. Compluribus Proregum ſanctionibus, ac decretis ejuſdem leges, ac inſtituta legitimè confirmata, inter quę, illud meritò è Groſſo commendatur, quo pauperum cauſſas ex crimine gratis expediri, Judicum, Curięque jura omnino remitti die 20 Auguſti MDXCIV precipitur. Ad Montis ejuſdem Rectores *Hęreditatis* Margharitę de Archangelo administratio ſpectat, de qua alibi diximus.

V. Non abſimile pietatis Chriſtianę opus in Chriſti Domini è Cruce pendentis Sacello, quod Cathedrali templo adhęret, inſtitutum, paſſimque Ss. Crucifixi Cappella nominatur. Ejuſdem prima origo anno MCCCCII, ſed incrementum vel maximum ſequentis ſęculi XLVI. habuit. Ejuſdem Rectores ex albo Nobilium duo, alius ex *Judicibus Idiotis*, atque ex Popularibus quartus. His ſolvendi dotem XII, aut pluribus Virginibus parentibus orbatis ſorte quotannis eductis cura incumbit, quidquid verò ex annuis proventibus ſupereſt in ejuſdem Sacelli ornatum erogatur. Vide laudatum Groſſum Chorda 2. mod. 3.

Cappella Ss. Crucifixi

VI. Jam paucis abhinc annis ex piorum eleemoſynis Mons alter erectus eſt, in quo pauperibus mutuo pecunia datur arrabone relicto, quo ſanè eximię Charitatis opere illicitis contractibus, uſuriſque obviam itum, illudque brevi auctum ſperamus.

CAPUT

LAICORUM SODALITATES

I. HArum origines, atque inſtituta eruditiſſimus noſter Groſſus in ſuo *Decachordo* fuſe expendit mod. 16. Ex quo exſcripſi, nonnulla verò, quæ in illo deſiderantur, opportunè inſerui. Prima inter illas venit in ordinem *Alborum* Societas, ſive *Nobilium*, titulo Chriſti Domini è Cruce pendentis decorata, quę in S. Catharinæ antiquiſſimo templo ad Marcelli Arcum anno MDLXX coacta, mox S. Martini ædiculam occupavit. Eſt hodie S. Martini Templum elegantiſſimum, quò nobiles ſodales conveniunt. Horum inſtitutum in iis, qui morte ab juſtitiæ adminiſtris afficiuntur, confortandis maximè elucet, quod ſtrenuè obeunt.

II. *S. Mariæ de Epiſtola* in illius memoriam, quam ad Meſſanenſes Virginem Matrem ſcripſiſſe perhibent, ſodalitas in Eccleſia primùm S. Mariæ de Gratiis, ſubinde in SS. Apoſt. Simonis, & Judæ ſub eodem titulo anno MDCLXVII inſtituta ex Legum, ac Medicinæ profeſſoribus coaleſcit; Sacra hæc ædes Nicolai Tezzani Comitis Palatini operâ, atque impenſis paucis ab hinc annis prope S. Philippi emporium decentiſſimè ornata exurgit.

III. *S. Joannis Baptiſtæ* in templo eidem ſacro anno MDXLIII Marco de Allegra, & Vincentio Milanenſi anthoribus fundata, cujus ſodales egregium olim pietatis officium capite damnatis impendebant, quod Albos hodie obire diximus, poſt quos in publicis ſupplicationibus locum occupant. Sacrum hunc coetum pluribus favoribus honeſtarunt Pius IV, & Pius V. Rom. Pontifices anno MDLXV & LXVI.

IV. *S. Agathæ* anno MDLXX erecta ſodalitas Sacri Carceris ejuſdem beatiſſimę Civis, & Martyris curam habet; cujus Eccleſiam ſumma decentia, ac pia religione ſodales frequentant.

V. *S. Urſulę* ſub titulo *Mortis* in templo, quod olim Sãctimoniales incolebant, anno MDLXXII fundatur, Sodalium munus eſt decedentiũ pauperum corpora propriis humeris deferre, & Eccleſiaſticę ſepulturę mandare; eleemoſynis denique per urbem conquiſitis ad animas piacularibus flammis addictas, ſublevandas uti.

VI. *S. Spiritus* olim in Eccleſia ejuſdem tituli extra męnia an. MDLXXII. ſodalitas coivit; ſed quum illa fratribus Trinitariis ex ſodalium donatione fuiſset collata, hi in S. Marię de Dachala intra męnia anno MDCI ſeſe receperunt. Poſt terræmotum Clerici Regulares Infirmorum Miniſtri S. Marię Templum occuparunt, diuque una cum ſodalibus incoluerant; qui tandem certa accepta pecunia ad novam ſibi ędem condendam, in regione à fornacibus appellata decentem Eccleſiam exędificarunt ſub S. Spiritus titulo, ubi degunt, piiſque exercitiis intendunt.

VII. *S. Nicolai* Sodalitium in B. Marię à *Miſericordia* antiquo templo ante annũ MCCCCLVIII condito, inſtituitur Nono Kal. Julii ſęculi XVI. anno LXXIV, moxque Gregorii XIII. diplomate confirmatur Romę III. Idus Auguſti MDLXXXI. variiſque favoribus inſignitur. Hoc in templo feria IV. Paſchę feſtum ſollemne B. Virginis Matris ſub Miſericordię titulo celebrabatur, eòque Senatus inſigni pompa, populuſque conveniebat. Ibidem Serici *Conſulatus*, ita vocant, ſedem habet.

VIII. *S. Marię Conſulationis* in ss. Coſmę & Damiani Æde anno MDLXXV coacta eſt. Ibi

etiam

etiam Feria II. Paſchę feſtiva ſollemnitas habebatur magna cum Senatus, populique frequentia.

IX. *S. Marię Magdalenę* Sodales primùm in S Marię à Monte Serrato Eccleſia anno MDLXXX extra Urbis mœnia coivere, inde in S. Marię Magdalenę intra Urbis pomerium ejuſdem ſęculi XCIV. ſeſe receperunt, à qua & nomen ſortiti ſunt. Hanc porro S. Marię Magdalenę ædę Joannes Dionyſius ab anno MCCCXCI cōdiderat, ac ſacerdotio cohoneſtatam voluerat. Ceſſit ſubinde in Pareciam anno MCCCCIX, vetuſtateque ſqualentem MDCXXX. Sodales ſplendidiorem reddidere. Inſtaurata poſt terræmotum, ut laxior area ante S. Nicolai templum ſterneretur, diruta, in Monte Virginis nova, & magnificentior conſtruitur anno MDCCXL.

X. *S. Euplii*, quæ & *S. Antonii* dicitur etiam hodie in Templo S. Joannis de Judeca primùm inſtituta ſub annum MDXCIV. Capuccinorum familiæ mox ſequentis ſæculi initio aggregatur, quorum aſſumpſit habitum. Illius olim Sodalibus Peregrinorum hoſpitalis domus cura incumbebat, ut diximus. Duobus hac noſtra ætate Eccleſiis inſerviunt *S.* Euplii ſcilicet extra portam Steſichori, ubi ejuſdem *S.* Martyris carcer, & S. Antonii ad meridionalem Urbis plagam, prope vetuſta męnia, atque utriuſque tutelaris feſtum ſollemni pompa celebrant.

XI. *S. Mariæ de Miraculis*, ſive *de Infirmis* Eccleſiam Clara Ruſſo æque nobilis, ac pia femina anno circiter MCCCCXXXVI exædificavit, ubi ſacra ejuſdem Deiparæ Imago ob ſignorum magnitudinem à fidelibus impensè colebatur. In eam ſub ſæculi XVI exitum Sodales convenere. Eſt hodie in ampliſſima S. Nicolai de Arena Benedictini Cęnobii area.

XII. *S. Elenæ*, *& Conſtantini* erat olim Diſciplinantium Confraternitas, ab anno ſcilicet MCCCVI inſtituta, in ſodalitatem verò anno MDXCIV coivit. Ex hac Eccleſia ſacra Paraſceves nocte religioſa fidelium ſupplicatio procedit in Paſſionis Dominicæ memoriam, cujus myſteria affabrè expreſſa pio cultu per Urbem circumferuntur. Conveniunt ad eam ſodalitates ab Ordinario deſignatæ, Minores Fratres, quos *Capuccinos* dicimus, medii inter Sodales Albos incedentes, & S. Petri Presbyterorum Congregatio, clauditque lugubrem, ſacramque pompam Senatus, cujus impenſis illa curatur.

XIII. *S. Michaelis Archangeli* an. MCCCCXXXII. jam inſtitutam ſodalitatem docent Tabulæ Epiſc. Erat eidem divo ſacra Eccleſia extra mœnia in Regione illa, quæ ſæculo ſuperiori *Poſterna S. Michaelis* dicebatur, ut Groſſus tradit. Quum vero Urbs novis propugnaculis anno MDLV vallaretur Ædes hæc diruta, ac intra pomerium in *S. Annæ de Trixinis* Confratres ſeſe recepere; Sub s. Michaelis titulo ſubinde S. Annæ Eccleſia venit, ac diu Parœcialia jura habuit; Anno MDCXXVIII Clericis Regularibus Minoribus conceſſa Sacramentalis eſſe deſiit; Sodales verò poſt Terræmotum novam ſibi condidere, in quam ad ſacra conveniunt; & s. Michaelis minoris nomine venit.

XIV. *S. Mariæ Præſentationis*, vulgo *de Tyndaride* ab devotiſſima Virginis Matris Imagine ſub eodem titulo appellata, jam ab anno MCCCVI Leonoræ de Jojenio nobiliſſimæ fœminæ opera extructa Eccleſia Confraternitatē ann. MCCCCLXIV excepit, quæ elapſi ſæculi initio in ſodalitatem ceſſit. Erat prope Urbis muros; hinc occidenta-

le propugnaculum illi proximum *s. Mariæ de Tyndaride* dicebatur. Verùm anno MDCLXIX Ætnæo incendio circumvallata, ac pene obruta in proximam regionem de *Itria* translata fuit, ubi hodie perſeverat.

XV. *S. Joſeph* prope rudera triumphalis Arcus à M. Marcello appellati in antiqua s. Mariæ Lauretanæ Eccleſia fundata anno MDCII Sodalitas dicitur, eodemque in loco perſtat.

XVI. *S. Mariæ de Directione*, vulgo *Manoſanta*, quòd Eleonoræ Manoſanctæ honeſtæ mulieris domus in hoc Deiparæ templum ceſſerit anno MDLXXIV, appellata, ab elapſi ſæculi anno ſecundo Laicorum ſodalitas eſſe cępit. Hodie in *Itriæ* Regione ſacra hęc ædes exurgit.

XVII. *S. Mariæ de Rotunda* eſt vetuſtiſſima Eccleſia ab Apoſtolorum Principe Petro, ut fert traditio, vero Deo, ejuſque Genitrici conſecrata, de qua ſatis diximus. In eam anno MDCX ſodalitas coacta eſt, quę noſtris etiam viget diebus.

XVIII. *S. Barnabæ Apoſtoli* olim Diſciplinantium collegium ſub Simone de Puteo Catanenſi Pontifice circa XIV ſæculi finem inſtitutum in ſodalitatem coaluit anno MDCXI.

XIX. *Ss. Criſpini*, & *Criſpiniani* olim verò *s. Margaritæ V. M.* Templum Monialibus Sanctæ Luciæ anno MCCLXXVII legitur conceſſum ab Catanenſi Epiſcopo Angelo Buccamatio. Simonis de Amantìa opera Sacerdotio ſubinde cohoneſtatum circa ſæculi XIV finem, ab Eugenio IV Rom: Pontifice Collegialibus Præbendis adnectitur anno MCCCCXLVI. Paręcialibus denique juribus diu donatum proximę regioni nomen indidit. Coaluit primum in Confraternitatem ſub titulo Omnium Sanctorum, moxque anno MCCXV. in ſodalitatem ceſſit.

XX. S. *Mariæ de Succurſu*, vulgo *de Palma*, Eccleſiam Vinitores frequentant ab anno MDCXVI in unum coacti. Nomen porro à nobili Palmæ arbore, quæ illius aream occupabat, ſi Groſſo credimus, indepta eſt.

XXI. S. *Viti* antiquæ fundationis Templum in area, quæ Campus ſanctus nuncupabatur, anno MDCXXIX, quo & ſodalitas inſtituta, priſtino decori revocatum dicitur ab eodem Groſſo; In eo lapidem demonſtrant ejuſdem s. Martyris contactu, ut fert traditio, ſacrum.

XXII. S. *Mariæ de Cava* eſt laicorum ſodalitas anno MDCXX excitata in ſacra Deiparæ æde, cujus extat memoria jam ab ſęculi XV anno octogeſimo tertio, ut Groſſus teſtatur.

XXIII. S. *Mariæ de Gratiis* ſive *s. Sebaſtiani Martyris* Eccleſia in area Urſinæ Arcis conſtituta ſodalitatem anno MDCXXIV excepit. Ad eamdem devota totius Cleri, ſollemniſque procedit ſupplicatio quotannis, feſtiva ejuſdem s. Martyris die recurrente, ex publico Civitatis voto, ob impetratam à Deo liberationem, graſſante peſtilentiæ morbo anno MDXXIII. Celebratur hodie s. Sebaſtiani feſtum ſumma pompa, ingentique Civium plauſu.

XXIV. *S. Bartholomæi Apoſtoli* Templum anno MCCCCLVIII exordia recognoſcit, in quo diſciplinantium Cœtus. Anno verò MDLXX ad s. Thomæ de Civita hic translatus, tandem in ſocietatem vigeſimo ſexto ſequentis ſæculi coaluit. Adhæret hodie ſacra s. Bartholomæi ædes vetuſtæ Portæ, quæ olim à Steſichoro, ſubinde ab Aci dicta eſt. Celebres in ea s. Zenonis, & ſociorum mm. Reliquiæ.

XXV. S. *Agathæ ad Fornacem* ſodalitas Joannis Dominici Rebibæ Catanenſis Pontificis opera anno MDCL instituta, poſt annos XXXII ſocietatis jura indepta eſt, ac in *s. Barbaræ* ædem convenit, cujus titulum hodie ſervat.

XXVI. *Ss. Eucharistiæ Sacramenti* ſodalitium anno MDLVIII in s. Nicolai de Trixinis Eccleſia fundatum, ejuſdem Sacroſancti Myſterii præcipuo cultui addictum erat, antequam quadraginta horarum Oratio institueretur. Anno MDCVIII concedentibus ſodalibus, Fratribus Ordinis Minorum Tertii Ordinis s. Nicolai Eccleſia datur; in proximum hinc Oratorium illi ſeſe receperunt, ubi etiamnum hodie degunt.

XXVII. *Pacis* ſodalitas ex primaria nobilitate viros complectens anno MDCXXXII originem habuit, ac primo in Hoſpitalem s. Marci domum, quam ex instituto frequenter inviſebant, hinc in Epiſcopale Palatium, tandemque in s. Philippi recepta eſt. Anno MDCXCII ejuſdem Alumni cum Albis ſodalibus de primario loco in ſollemni ſupplicatione Venerabilis Eucharistiæ Sacramenti contendere, remque armis dirimere parati, cœleſti ultioni, quæ mox Catanam excepit, cauſſam dediſſe crediti ſunt. Hinc poſt Terræmotum de ea instauranda nuſquam actum.

Poſt Laicorum ſodalitia *Diſciplinantium* Confraternitates enumerat laudatus Groſſus, ac ſeptem & viginti recenſet, ut in album digeſtas anno MCCCCLXVIII invenit, quarum aliquot in ſodalitates jam coactas dicit. En illas: *S. Spiritus, s. Thomæ, s. Michaelis, s. Mariæ de Porta, s. Cataldi, s. Mariæ de Concordia, s. Antonii, s. Mariæ Joſaphat, ss. Coſmæ, & Damiani, s. Andreæ, s. Mariæ de Bethleem, s. Mariæ de Miſericordia,*

ſericordia, *s. Mariæ Magdalenæ*, *ss. Salvatoris*, *s. Euplii*, *s. Conſtantini*, *s. Nicolai*, *s. Leonardi*, *s. Joannis*, *s. Mariæ de Tyndaro*, *s. Barnabę*, *s. Bartholomæi*, *s. Onuphrii*, *Omnium ſanctorum*, *s. Lucæ*, *s. Matthiæ*, & *s. Benedicti Veteris*. De his pene omnibus jam diximus, earum enim titulos, vel extantes retinent Eccleſię, aut in alios hodie commutatos poſt Terræmotum, vel maximè videmus.

Coaleſcente porro in ſeptentrionali ſuburbio, quod *s. Agathę* nomine nunc venit, incolarum numero, poſt annum MDCLXIX tria Laicorum ſodalitia in eo ſunt inſtituta. Quorum primùm ſub ss. Euchariſtiæ Sacramenti titulo in ſatis decenti Templo Parœciali Eccleſię reſpondenti fundatum ſociis CL inſtruitur. Aliud in *s. Mariæ Montis Serrati* Suburbii veteris coaluit; tertium denique *s. Nicolai* nomine inſignitur. Noviſſimè ex piorum eleemoſynis prope Decimæ portam in SS. Patriarchę Joſephi honorem elegans Templum ſurrexit, quod *s. Joſeph minoris* appellatur, inque illud ſodalitas coacta eſt, quę ab Epiſcopo confirmata, etsi publicis minimè interſit ſupplicationibus, aliis nihilominus fungitur muneribus.

CA-

CAPUT XII.

ALIÆ CUM VETERES, TUM NOVÆ ECCLESIÆ.

I. S*Anctæ Mariæ de Ongia* extra Urbis mœnia ad tria circiter paſſuum millia celebris Eccleſia, ubi antiquiſſimi portus veſtigia, ac ſatis hodie commoda navium ſtatio, prima ſese offert; Ejus author temporum injuria latet, Sacerdotio autem cohoneſtata anno circiter MDLX dicitur. Feſtum porro Beatæ Mariæ Virginis VI Idus Septembris ſollemni pompa, à confluentibus voti cauſa ſumma frequentia, Civibus, in hac Eccleſia celebratur, ac integra vitrea lampas oſtenditur, quam fuſte ex contemptu à barbaro Pirata ad eam oram appulſo, quum ante Deiparæ Imaginem arderet, ſine læſione percuſſam vulgus tradit.

II. Ejuſdem tituli de *Ongia* Eccleſiam prope Urbis mœnia Tabularii Epiſcopalis ſchedæ exhibent. Erat paucis ab hinc annis devotiſſima Deiparæ Imago parieti depicta, quam pio cultu fideles venerabantur, ſub qua mœnium rudera nuper detecta. An paries hujus Eccleſiæ pars? titulus enim omnino cohæret; dicebatur quippe Imago s. Mariæ *de Ongia*. Quum verò hæc miraculis, ſignifque in dies clareſceret, decenti Eccleſia ſuperſtructa, impenſius coli cœpit, ac cœtus honeſtiſſimus virorum promiſcuæ conditionis eidem mox ſese addixit. Elapſo demum anno paries cum imagine aptiorem in locum ad aram ſcilicet maximam novi elegantiſſimi Templi translatus eſt.

S. Aga-

III. *S. Agathę de Xaris*, ſeu *de Ongia*, in vico *Canalichio* vetuſta Eccleſia, cujus meminit Groſſus, bis mille circiter paſſibus ab urbe ad Orientem, eo in loco ædificata, ubi primum Mauritius Catanenſis Epiſcopus Amantiſſimæ Civis, ac Patronæ Agathæ ſacra pignora è Byzantio nuper allata ſpectanda obviis populis dedit, quæ hodie jacet. Ejuſdem nominis recentior Eccleſia ad Occidentalem Urbis regionem ſita, decurrentis ſęculi initio condita, Laicorum ſodalitio inſtruitur, quod *s. Agathæ de Xaris* appellatur; In eam pars illa parietis translata eſt, qui ejuſdem Virginis, ac Martyris Imaginem coloribus expreſſam refert.

Hunc porro parietem Ætnæ ignis anno MDCLXIX illęſum reliquit, atque è loco ſublatum, quò maxima incendii vis defluxerat, ante ipſa Urbis męnia veluti propugnaculum quoddam ſtatuit; In tanti igitur miraculi perenne monumentum decentem Eccleſiam extructam voluere Catanenſes, menſeque Julio quotannis ſollemni pompa, ac jejunio liberatę Patriæ feſtum celebrant.

IV. *Chriſti Domini è Cruce pendentis de Majorana* quincentis paſſibus ab Urbe ad ſolem occiduum Eccleſia, & Laicorum Congregatio anno circiter MDCXCV ortum habuit eo in loco, ubi ejuſdem Divini Redemptoris devotiſſima Imago parieti appicta ab citro, ultroque tranſeuntibus colebatur. Illius feſtum ſacra Pentecoſtes die ingenti pompa, ſummaque populi frequentia celebratur.

V. Ejuſdem Ss. Crucifixi vulgo *de Bona nova* Imaginem Nautarum cętus pio cultu veneratur ſacra in æde nuper extructa, Clericorumque Regularium Theatinorum domui adhærente.

S. Eli-

VI. S. *Eliſabethæ* vetuſtam Eccleſiam in orientali regione prope maris littus, de *Armiſio* appellatâ memorat Groſſus in Decachordo fol. 230, atque à Simone de Puteo Catanenſi Epiſcopo anno MCCCLXXXIX Joanni Cicalæ collatam ſcribit, piorumque eleemoſynis vetuſtate fatiſcentem anno MDXLII inſtauratam. Prope hanc fons celebris ejuſdem Groſſi ęvo. Hodie Eccleſia jacet, ejuſque loco alia extrui cœpta; fons verò obſtructis venis tenues emittit aquas.

VII. Eccleſiam S. *Pancratii* extra Steſichori portam memorat Michael de Platia, aliamque *s. Leonardi* prope Urſinę Arcis arcam, ac decimę portam, quarum hodiè ſitus omnino incertus. Prope S. Marię majoris Cœnobium *s. Pauli Primi Eremitę* Ædicula exurgebat ab religioſis viris ſolitariam vitam profitentibus culta, ſubindeque S. Hieronymi de Mecca Eccleſię ſubjecta. Hodie jacet.

LIBER X.

I G N A T I O.
PATERNIONIO
C A S T E L L O

BISCARENTIUM PRINCIPI

Macharæ Domino, Realcacciæ, Spinagalli, Sparacognæ, Ragonæ, Cubæ, Baldi, Mirabellæ, S. Philippi, Bidani, &c. &c. Baroni.
V. Cl. Et Inl.

D. VITUS M. AMICUS, & STATELLA

Benedictino-Caſinenſis Felicitatem.

DUM Patriæ Hiſtoriam prælo pararem, ac Te, tuoſque Panormo reduces inviſerem, vehemens deſiderium animum ſubiit meum, ex ejuſdem libris Tibi aliquem, ut mei erga Te officii voluntatem conteſtarer, inſcribere; Et ille primùm occurrit, in quo Catanæ numiſmata cum edita, tum anecdota exhibeo. Memini enim Clar. Virum Vincentium Patrem tuum non mediocres, dum adhuc eſſes in Ephebis, id generis collegiſſe gazas, ut genio ad maxima molienda nato in-

Google

dulgeret ſuo, Tibique veras, quibus animum, procedente ætate excoleres, divitias pararet, necnon ad antiquitatis ſtudium cum primis impelleret. Quum vero adornantem Te quoque novam omnium veteris ætatis monumentorum collectionem, quam vulgo Muſeum appellant, advertiſſem, propoſitum minimè differre ſtatui, ac eum quoque Tractatum, quo Inſcriptos Lapides complexus ſum, tuis ſub auſpiciis prodire volui. Quandoquidem nedum complura, quæ in illo recenſui Epigrammata Tibi, tuoque Muſeo accepta refero; ſed & quæ in Civilis Baſilicæ atrio olim collocata, poſtque Terræmotus ruinas diu inter rudera ſquallentia hàc, illacque diſperſa, ſive noviſſimè detecta, & apud varios aſſervata ibidem protuli, ex Illuſt. Senatus dono Tibi vindicaſti, privatiſque certatim offerentibus, in idem Muſeum ſummâ induſtriâ contuliſti; adeo ut jure optimo ad Te ſpectare is etiam Inſcriptionum liber videatur. Quid, quod has inter duæ, vel præcipuum ſibi arrogant locum, in quarum una Julii *Paterni* Decreti Fragmentum Romanis imperantibus editi legimus, (1) Altera N. *de Paternione* Roberti filii, Nortmannorum Principum ævo clariſſimi, Epitaphium profert? (2) Quibus inclytæ, nulloque non tempore celeberrimæ Gentis tuæ, ut Faſcibus olim Conſularibus, magniſque Dynaſtiis apud Gallias, ac in noſtra hac inſula dudum, & nunc inſignis, ſic illuſtrium Virorum feraciſſimæ perenne ſervatur monumentum? Quid, quod non hujuſce tantum claſſis inſtructum memoriis, ſed auctum, diveſque elegantiſſimis è marmore ſtatuis (3) æneis, fictilibuſque Idolis, (4) Vaſis, Urnis, Lucernis, atque id genus aliis idem hodie Muſeum demiramur? Ut inter Urbis noſtræ decora non poſtremo loco veniat merito recenſendum. Non hic alia ejuſdem ornamenta ſingillatim referam, ſeu cujuſque ſpeciei lapidum expolitam congeriem (5) ſeu Teſtarum, Coclearumque,

alieni

alicui etiam orbis inſignem collectionem, (6) Fruticum ſub aqua enaſcentium variantes differentias, {7} ſeu demum ſpectabilem, ac miram rerum in lapidem converſarum multitudinem, {8} Quibus omnibus comparandis nullis impenſis peperciſti. Id ſane reticendum minime duxerim, &ſi modeſtia tua, morumque probitas à laudibus abhorrens, manus veluti ſtylo injiciat, eò ſcilicet majori ratione noſtra hæc Tibi deberi, quò præ aliis clariſſimæ Patriæ proceribus hoc in genere ſtudiorum verſatus effulges, ac literatis Viris ſatis aliunde ab eruditione, & amęnioribus ſcientiis notus, diu eſt, quod fama, & gloria univerſi terrarum orbis fines peragraſti, {9} ut operæ citra dubium, eam Tibi libando, pretium me facturum, egregiumque illi decus, quo penitus deſtituta, conciliare putaverim. Habe igitur Vir Cl. hoc qualecumque munuſculum, meque, ut aſſoles, ama. Dabam Catanæ Kalendis Februariis MDCCXLIV.

(1) *Vide Tabulam lib.* 10. *cap.* 1. *num.* XI. *quam Agathini Paternionii Sigonæ Baronis dono Ignatius ſibi accquiſivit; Ægrè quidem ille tam præclaro vetuſtatis monumento deſtitui paſſus eſt, ſed gentili, atque affinitatis vinculis ſibi conjuncto morem, ut gereret, ad publicum patriæ ornatum conceſſit.*

(2) *Extat libro eodem cap.* 9. *num.* V.

(3) *Conſule Tabulam ſecundam Tomi hujus, ubi Herculis figuram elegantiſſimè ſculptam offendes, quam Joannes Baptiſta Ricciolus Cathedralis Eccleſiæ Canonicus Aſcanii filius Ignatio obtulit. Fruſtrum quoque Statuæ ibidem expreſſum, Senatu annuente, in ſuum Muſeum Ignatius intulit.*

(4) *Sunt variæ magnitudinis numero* 32.

(5) *Lapideum Muſeum ex fruſtris* 325. *conflatum intellige, quorum ex duris ſunt* 115. *ex teneris, ut ajunt,* 210. *præter innumeros alios impolitos.*

CATANÆ ILLVSTRATAE LIBER DECIMUS.

VETUSTI LAPIDES GRÆCE', AC LATINE' INSCRIPTI.

GEorgio Gualtherio Germano debet Sicilia, quod antiquæ ejuſdem Tabulæ lucem adſpexerint. Anno enim elapſi ſæculi primo, ac viceſimo in noſtram hanc Inſulam delatus, improbo labore, ac ſtudio, eamdem pene univerſam peragravit, urbes, opidaque ſingula inviſens, tertiùmque aliquot repetiens; *Siculos ſenioris ævi*, ut ejus utar verbis, *lapides*, *quorum admodum tenue ſpicilegium rudia, ac depravata ſæcula, hoſtileſque impetus reliquerant*, evulgare omnium primus, in unum corpus inſtituit, ac typis Panormitanis, Meſſanenſibus ſubinde notis eruditiſſimis illuſtratos edidit. Poſt Gualtherium Petrus Carrera Libro III. Tomi I. Catanenſes Inſcriptiones publici juris fecit, ſuſpectas, ab Georgio rejectas, ab Archangelo tamen relatas, veluti legitimas protulit, ac illuſtravit, quæque Gualtherii diligentiam effugerant, aut poſtliminio inventæ è tenebris emerſerant, cum Græcas, tum Latinas vulgavit. Quum aliæ porro ſint, nec paucæ, in nova Urbis molitione, poſt annum MDCXCIII,

effoſſæ, deteganturque permultæ etiam, dum hæc ſcribimus, ſepulchrales vehmaximè, variis in locis, eas omnes, Gualtherianas nempe, Petri Carreræ, recènſque inventas, quibuſdam animadverſionibus conveſtitas pro modulo meo proferam, Græcarumque interpretationes, ut ab Eruditis accepi, & varias quandoque, ut græcè docti, utra ſit verior, dijudicent, aliquali ordine dabo. Invenies ex iis aliquot in novo veterum Inſcriptionum Theſauro ab Clar. Antonio Muratorio adornato in ſuas claſſes relatas, quas etiam adnotare curavi.

CAPUT PRIMUM

LAPIDES LATINE INSCRIPTI.

Titulos hic primùm proferam, publico alicui operi præfixos, in ejuſdem aut dedicatione, aut inſtauratione conflatos, mox votivas Tabulas, aliaſque id generis ſubjiciam.

I. Q. LUSIUS LABERIUS.
PROCONSUL. THERMAS.

Videbantur in quatuor Columnarum epiſtyliis ſcitè Corinthio opere cælatis, in majori S. Agathæ æde ſtatim poſt januam, atque à Gualtherio in Meſſanenſi editione num: 32. 33. 34. & 35. in Panormitana verò 169. referuntur; ſed legit ille malè: Q. LUCIUS. Excripſit Petrus Carrera lib. III cap. XI. ex poſtrema tertiæ dictionis, aut tituli literula, quæ ſigla eſſe videntur L. & E exprimentia, alium fortaſſe fuiſſe Proconſulem à *Quinto Luſio Laberio* arguens, quo Siciliam

liam moderante, ac Catanæ jus dicente, Columnarum opus ad Thermas exornandas curatum. Hinc alibi Proconſulis nomen fortaſſe expreſſum ſuſpicatur, ut ſenſus ſit: *Quintus Luſius, Proconſule N. N. Thermas ornavit, dicavit*, aut quidpiam ſimile. Sed alia Columnarum, quæ Templi arcus ſubſtentabant, Epiſtylia olim patētia nil tale referebant. De Thermis alibi Libro IX fuſius diximus, ac de Græcis Epigrammatis agentes rurſus nonnulla promenda ſuſcipiemus. Scriptus hic cęterùm titulus, quum Siciliæ Provincia Proconſularis eſſet, ante Conſtantinum M. qui noſtram hanc Inſulam Conſulari præfectura donavit; ut ex aliis lapidibus eruunt Eruditi, atque ex S. Agathæ, Euplique, & Luciæ Actis clariſſimè evincitur. Videſis Cajetanum in Iſagoge ad Sicul. Hiſt. (a) Ubi noſtram hanc refert Inſcriptionem, ſubditque de Q. Luſio: *Quo is ævo vixerit, incertum. Apud Tacitum in Claudii Rebus Luſius Geta, & Luſius Varius nominantur; Luſius Quietus inter Trajani Duces maximè ſtrenuus apud Spartianum, & Marcellinum; apud Antoninum lib. 12. Luſius Lupus: Ex quo notum ſit inter Romanos Luſiam gentem per hæc tempora inclaruiſſe.*

(a) Cap. 43.

II. CURATORES
Q. MACULNIUS
ETRAITIVODE
ATVRIVCAAOCHAC.

In atro Ætnæo lapide, qui fronti olim adhærebat magni illius Aquarum Caſtelli, vulgo *Botte*, ſub Licodiano colle, millibus paſſuum XVI circiter ab

 Urbe

urbe Catana diſſiti, unde euripi ingentes ad Civium commodum, & Naumachiæ uſus deducebantur. Legit primus in S. Mariæ de Licodia Benedictino Cęnobio, ediditque Gualtherius inter Siculas Tabulas Meſſanæ num. 335. Panormi num. 273; ſed in Panormitana tertius, quartuſque verſus aliter exprimitur; obſcurus enim illorum ſenſus, ac detriti fortaſſe characteres. Habetur apud Carreram, & Groſſum in Decachordo. Stetit diu in eodem Monaſterio, extra Eccleſiæ januam, ſed imperitorum incuria circa elapſi ſæculi medium decurtatus, ne autem adeuntium id templum attritu penitus conſumeretur, Catanam in S. Nicolai delatus, in ejuſdem hodie muſeo aſſervatur, habetque primos tantùm verſus: *Curat. Q. Macul.* Vir hic certè Romanus Aquæductus, & Caſtelli Inſtaurationem curavit; prima quippe illorum molitio Romanorum tempora longè anteceſſit; quum Catana propriis vivens legibus, tam grande opus, quod intuentes in admirationem adducit, ex ære captivo, ſervis adlaborantibus, aliaque non minoris magnificentiæ publica ædificia inſtituenda ſuſcepit, ut alibi ſcripſiſſe memini. Apud Romanos, ſubditaſque etiam Provincias Curatores Aquarum deducendarum, Annonę, Viarum, ac ſimilium memorantur, & minoribus Magiſtratibus accenſeri ſolebant, quorũ unus in Catanenſi urbe *Quintus Maculnius*: Aliàs nomen in reliquis tituli vocibus, certe barbaris, exprimi crediderim, quas perditę lectionis meritò appellavit Gualtherius.

III. CONS.
FINES
.VR

....
....

Tertio ab Urbe lapide in regione Medii Campi ante ruralem S. Mariæ, vulgo *de Nunciatella*, Eccleſiam Ætnenſis lapis palmos circiter quinque lõgitudine, duos verò latitudine exęquans, cujus anticam faciem vox: *Cons*. grandi charactere expreſſa occupat; in poſtica verò reliquę leguntur, ſed ultima detritas omnino habet literas. Credit Carrera lib. III. cap. XII. poſitum lapidem Romanorum ęvo, ut Urbis fines decerneret. Sed Catanenſis Ager id temporis longiùs patebat; defoſſus aliunde ille dicitur non longè à templi limine, nec eò transferri, utpote ingentis põderis, ab alio loco potuit. An fines Catanenſis Agri ab publico Romanorum agro fortaſſe ſecretos titulus deſignabat, ut ſuſpicatur Carrera?

IV. .QUETR........
.IA. PER OMN....
.ETILIO SECVN..
.QVAGENVM. M.
.CVRAVITQ......
.NDI CIRCA S....
.M. ADSS......

Depravatam habes apud Gualtherium editionis Meſſanenſis num. 47. ſub hoc titulo: *In ędc Laurentii Bolani Medici charactere doctioris ęvi.* Et in Panormitana num. 176: Vidit, exſcripſitque in publico Senatus atrio Petrus Carrera eamdem è marmore tabulam, unàque inventa in loco, ubi illa effoſſa, mulieris caput, aliudque comatum, infantuli, ac juvenis hominis buſta, omnia è marmore teſtatur, creditque, nec immeritò, publici alicujus ædificii, aut certè inſignis, titulum eſſe, ut quinti etiam verſus dictio *Curavitq*: videtur indicare, & Q. Petilio Spurino, qui Urbis Cond. anno DLXXVII. Conſulatum iniit, Provinciam fortaſſe adminiſtrante, conſcriptum conjectatur.

V. PECV.

In cippo Columnę marmoreę, quę prope Eccleſiam S. Agathę, vulgo *da Xaris*, anno MDCCXXXIII, unà cum aliis ex Ægyptio lapide columnarum fragmentis, atque innumeris pene è vario marmore tabellis, concinnando pavimento aptis, parte coronidis opere Corinthio elaboratę, ac baſis denique, ut videbatur, fruſtro imaginibus dimidii anaglyphi ſcitè cęlatę, ſecunda ſuperioris libri tabula exhibitis, dum publicam Operę ſternerent viam, inventa, in S. Nicolai de Arena muſeo hodie aſſervatur. Fuerit ne eo in loco ſuperſtitioſum aliquod Ethnicorum delubrum, exploratum non habeo; Regio ſane illa prę aliis totius urbis magnificentiſſimis inſtructa ędificiis eſſe oportuit, ut ex ruderibus paſſim detectis eruo, ac alibi dixiſſe memini. De Siglis in marmore effictis, ac literis in diotę fictilis extremo fundo expreſſis, hoc ipſo in loco refoſſis, alibi dicemus.

..... VI.

VI. Q. LVTATI......

... Q̄ D. D. AEDIL....

PRO HONO.......

... ICHINO. C....

.. I. SVS. I....

Sub ędibus Joannis Thomæ Anſalonii Catanenſis Patricii, Petri Carreręævo, ut loco citato ſcribit, effoſſum marmoris fragmentum utrinque luxatū, ac in Civilis Baſilicę atrio ſubinde collocatum Quinti Lutatii mentionem ingerit. P. Bello Punico C. Luctatius Catulus Conſul de Carthaginienſibus triumphum in Sicilia retulit; ac mox Q. Luctatius Cerco Remplubicam adminiſtravit. Q. Luctatius Catulus alter à primo, cum C. Mario Conſul proceſſit anno V.C. DCLIII. Cicero denique quemdā Luctatiū ab ſcientia celebrat lib. de Orator. An noſter hic Quintus illorum fuit gentilis? ex eadem ſcilicet Luctatia, ſeu Lutatia, ut ſcribi quandoque ſolet, familia progenitus? Secundi verſus ſigla Q. D. D. Quęſtorem fortaſſe, ac decenarium ducem fuiſſe ſubindicant. Ædilem verò ſatis vox ſequens quamvis mutila demonſtrat. Ædilitas, ac Prætura, Magiſtratus in Republica majores, quando Conſulatum cum plebe communicare Urbis Cond. anno CCCLXXXVII, Patres compulſi ſunt, primum inſtitutę, ac Ordinis Patricii Viris datę, ut Livius lib. 7. aliique teſtantur; tractu autem temporis Ædiles etiam Plebeii creati. Horum erat munus pręcipuum Urbis annonę curam agere, utque publica, privataque ędificia, Tem-

pla, Theatra, Stadia, Fora, Porticus, Curię, Baſilicæ, atque Męnia magnificis operibus reficerentur, atque ornarentur. Hinc non inani conjectura aſſequi poſſumus, publico, aut inſigni aliquo ędificio hoc Lutatii Epigramma fuiſſe appictum. Ædilis quippe in Coloniis, quę Reipublicę legibus vivebant, conſtitutos ſummi Magiſtratus geſſiſſe munus legimus apud Cujacium, & Gothofredum. Ædilis proin Catanæ Lutatius dicendus. *Proagori* Catanenſis, hoc eſt: ſummi Magiſtratus, meminit Cicero in Verrem lib. IV. *Proagorus*, inquit Lambinus, *is Siculis fuit, qui Romanis Ædilis*, Proagorus autem, Adriano Turnebo teſte (a) Dorica ratione, & Siculorum lingua, latinè Princeps dicitur, qui ante alios verba facit. Juxta Pollucem denique in Onomaſtico, idem ac Concionis Princeps. Hujus loco Patricius hodie ſummus Catanæ Magiſtratus, cui Viarum, atque ędificiorum cura etiam incumbit. Jam vero Lituus Sacerdotalis muneris inſigne; hinc in Julii Cęſaris numiſmatis, ut plurimùm occurrit, quòd illę Sacerdotium geſſerit. An igitur Lutatius etiam Sacerdos? *Pro Honore* ſæpiſſimè ſub Simulacris, ac ſimilibus titulis deprehenditur. Extremi verſus literę, perditę, ut reor, lectionis. I. SVS. I. ſi ſigla ſunt, nullibi ea legi.

(a) Tom. 1. Ad: lib. 8. c. 10

VII . . . . . IS . . . .

. . . . . II VIR . . . . .

. . . . . NSAR . .

. . . . . RI . . .

. . E IMPENSAR.

Idem

Idem Petrus Carrera in ultima Appendice hoc lapidis fragmentum prope S. Auguſtini Cœnobium refoſſum, apud ſe aſſervatum, Ædificii alicujus Romanorum ævo monumentum credit.

VIII. ANNIAZOSIMA

VOTUM

LUCERNAM

Ærea Lamella, cui trigona plana duo utrinq: adpicta, & anſa ſupra prominet circularis, nuper ſub ſacra æde B. Mariæ de *Onginella* inventa, penes J.C. Vincentium Michaelangelū. Occurrunt ſæpiſſimè trigonalibus hiſce anſis votivæ Tabellæ cum æneæ, tum lapideæ, quin etiam hujuſmodi ornatu terminari titulos ipſos ſepulchrales notiſſimum eſt. Anſa ſuperior perforata, cui foramen aliud in parte Lamellæ inferiori reſpondet, ut parieti, aut aræ clavis adjungi poſſet. Frequentes porro apud Ethnicos hujuſmodi votivæ, & donariis inſcriptæ tabellæ; ſed in noſtra falſi numinis, cui Annia Zoſima Lucernam vovit, nomen deſideratur. Locus, ubi defoſſa, prope antiqua urbis mœnia, ac juxta ſepulchreta, lucem afſert nullam. Ceterum Gens Zoſima Catanæ illuſtriſſima, ut ex aliis epitaphiis, Græcis velmaxime, videbimus; hinc Severus quidam Agonotheta ex Zoſimorum gente in Epigrammate ejus in honorem ab S. P. Q. C. poſito dicitur, ut inferiùs expendam. Sed si *Zoſima* familiæ nomen, *Annia* prænomen erit; mos autem, ut plurimum Romanis non fuit, feminis prænomen adpingere, quidquid nonnulli obtendant, quorum hic cenſiones expendere non vacat. Num apud Siculos, qui Græcis etiam le-

gibus vivebant, Latina nondum invaluerat conſuetudo? *Annia* porro familia etiam Romana fuit.

IX. ...IACOBI WI..
.EST ERBAN...
.ICE DICH....
VV. E.

Et hæc etiam votiva videtur in marmore, graphio potiùs ab imperito inſcripta, quam cęlata, inque S. Nicolai Muſeo aſſervatur. Sed non ita facile, ac tuto explicari poteſt ob detritos characteres, ac ſigla, quæ non admodum obvia.

X. ROGO VOS
DOMINI
PAVCIS DIE
BVS SVSTI
NEATIS CAV
SAVTILITATIS
CAEMENTORVM
QVO CITIVS IN
VSVM VESTRVM
POSSIT ESSE.

Retulit Gualtherius in Editione Panormitana, num: 179. ſub hoc titulo, *Apud Minimos S. Franciſci de Paula*. In Meſſanenſi autem inter ſubdititios recenſuit num. 76. Sed primus ipſe vulgavit, primuſque nobis impoſuit. Petrus Carrera diu lapidem in æde Minimorum, ſed fruſtrà quæſi-

quæſivit. Cęterum ſuſpicionis indicium prodit nullum, ut mirari ſubeat, Gualtherium ſibi ipſi contrarium, lapidem nunc veluti legitimum nobis obtrudere, nunc pro arbitrio ſuſpectum, ac ſubdititium prodere. Illum Clariſſ. Muratorius in ſuo Theſauro noviſſimo exſcripſit, nihilque emunctæ naris viro falſitatis in eo ſuboluit.

XI. Sed claudat ſeriem elegans Inſcriptio, quę utinam integra ad nos perveniſſet:

VIACIS·SVIS·IVLIVS··PATERNVS · SA
ESPERIVII SSEM VISEHABERET OPVS FOR···
MPROPITII VELITIS ADMITTERE ITA MECV····
O VESTROINEADEMCVRAREMANERE DEBEREM·Q
REFICIENDAM CVRAVI CVM DEINDE CATINENSISE··
QVAM·PECVNIAM·DARE IVBERETIS·RESCRIPSISEISTI
NVMMOSSVBMINISIRATVRVM·IDQ·IPSVMLILAA
ADAREIPSIS·IVSSISSEI·VIORDINE SVOSCRIBTVRAFIERIT
RAMIRANSIRET·II·VIRICONSENSV PAVCORVM DECVRIONVM·
CIPIVMCVMERGAPROCVRAIOREM VESTRVM INREVIRIESV
TECVRIAAGERETVR·INGRESSVS PETIIVT QVATENVSNEQVE
IPATIBVSNEQMAGISTRATVS VEIIENIIN·······REORDO

Quam ſic legendam duximus

...iacis Suis Julius Paternus Salutem
...es pertuliſſem, ut ſe baberet opus eor......
...m propitii velitis admittere, ita mecum.....
...o veſtro in eadem cura remanere deberem..q..
...reficiendam curavi. Cum deinde Catinenſis.e
...quam pecuniam dare juberetis reſcripſiſſe iſti
...nummos ſubminiſtraturum, idque ipſum illam
...a dare ipſis juſſiſſet, ut ordine ſuo ſcriptura fieri
...ram-tranſiret II Viri conſenſu paucorum decurionum
..cipium, cum erga procuratorem veſtrum in.re.vires s.
..te Curia ageretur, ingreſſus petii; ut quatenus neque
..tratibus, neque magiſtratus vellent in....re ordo

Marmor, hoc ipſo, quo ſcribimus anno, detectum in Ædis majoris S. Agathæ area, quum veteris Senatoriæ baſilicæ murus humo obrutus, ab operis disjiceretur, cęmento illitum, mox ut purgatum *Paterni* nomen exhibuit, Joſeph Agathinus Paternionius, Sigonæ Baro Sexvir, uti gentilis ſui monumentum, ſibi vindicavit, atque in ampliſſimæ domus ſuæ atrio ſtatuit. Eſt bipalmare, eleganterque conſcriptum, utrinque, & in inferiori parte diſfractum, adeout integri ſenſus aliquid exſculpi nequeat. Paterna familia apud Romanos clariſſima, ad Oviniam gentem juxta nonnullos pertinuiſſe, vulgo creditur; hinc Paternus, qui cum M. Aur. Claudio Auguſto anno Vulg. Æræ CCLXIX Conſul proceſſit, Ovinius compellatur. Ad Noniam ſpectaſſe, & Nonium cognominatum illum fuiſſe contendit Clariſſ. Blanchinus, (a) atque alterius Nonii Paterni, qui Conſul II. cum Probo Auguſto fuit, meminit Antonius Maria Lupi in diſſ. ad Epitaphium Severæ Martyris (b) qui alios etiam Paternos Sęculo tertio vulgaris Æræ celebres indicat. Sed ad Ovinios potius, quàm ad Nonios ſpectare dicendi ſunt, uti laudatus Lupus Romanarum Antiquitatum callentiſſimus ſentire videtur. Agit de Paternis, eorumque ſtemmate, Reienſius in ſuo præclaro opere: *Syntagma Vet. Inſ.* (c) Noſter porro Julius, quam geſſerit Pręfecturam, aut magiſtratum, lapis non aperit; At quum ejus aut decretum, aut epiſtolam lapideis inſcriptam tabulis hìc habeamus, ſupremam in provincia authoritatem illum tenuiſſe, jure merito conjectamus. Putant *Amicis ſuis* legendum in primo verſu, ſed ex detritis characteribus, quorum aliquot extant veſtigia, id non eruo.

(a) *Chron. to. 2 An Staſti Bibliot.*

(b) §. 3. & 6.

(c) *In notis ad Inſ. 16. cl. 1.*

Addam

Addam hìc Epigrammata, quæ ex Archangelo edidit Petrus Carrera, quamvis à Gualtherio veluti ſuppoſitia vulgentur. Primum eſt de Bello Libyco.

Undiq... Cali .. Libycis Bello Conflictis CCIↃↃ. *Equitibus* [] *Captivis* IↃC *Spol... Currib.*] *Bub.* □ □ *Auri Tal.* W *Arg.* R. *Æris Libr.* ʘaxa *Vexill.* XV. *Imper. Diademat. Aur. Victoriæ Katanen. Coronę* □ □ *Triumphus Æternus* S. P. Q *Katanen. Aureo Captivo Simulacro.*

2. Sub Veneris Statua:

Veneri Homicidiae S. P. Q C. D. D.

3. In Triumphali Arcu.

S. P. Q. Katan. Symmithrio Phtiphoni, Et Phaſanidi Tyrannidis Extinctoribus, Urbis Auctoribus, Arcum Triberoum, Triaque Roſtra, Tricepſque Simulacrum.

4. In triplici ara:

Cereri Katanae, Proſerpinae, Filiae, Minervae, Katan: Poſ.

5. In baſi Columnæ ſuppoſita:

Hercules Non Ultra Auſus Hic Stetit, Et Aras Ejus Inperii Fines Hoc Dearum Monumento Vallatos Eſſe Decrevimus.

De his in notis ad Siculas veteres Tabulas idem Georgius Gualtherius hæc ſcribit (a) *Subditi-tias non duxi explanandas, ne si rerum, verborum nugæ pateant, offendantur, qui facile perſuaſi ſunt, &, quibus ſchema ementitæ rei cordi fuit. Doctæ, & nobiliores animæ veritatem amabunt. Antiqua Catana ita rebus inclaruit, ut talia famæ ſuæ parum conſulant, citius lædant. Virtute aditus, non fictitiis, ad immortalitatem, & gloriam.* Quamvis porro, uti alibi diximus, laudatus Carrera eaſdem, varia eruditione, tamquam legiti-mas

(a) Cap. 3.

mas oſtendere adlaboret, quod hodie nullum earum perſtet veſtigium, nec ipſe Archangelus certè vidit, huc illas rejicimus.

CAPUT II.

ETHNICORUM EPITAPHIA.

Ethnicos ſepulchrales lapides ex vulgaribus illis dignoſcimus ſiglis D. M. S. quæ ſepulchri religioſa dedicatio apud Gentiles erat, Inferis, ſeu *Manibus Diis*. Manes porro appellari etiam animas à corpore ſeparatas nonnulli credunt, ob idque *Diis Manibus* inſcriptos defunctorum titulos. Manes denique eoſdem eſſe, quos Genios dixit Antiquitas, putant alii, illoſque corporibus ab ipſa ſtatim conceptione aſſignatos, qui ne mortuis quidem deeſſent, corporibuſque etiam conſumptis ſepulchra inhabitarent; quare ſepulchra demolientes Deos Manes violare dicebantur, ac lege cautum, ut Tullius 2: de Legibus teſtatur: *Deorum Manium jura ſancta ſunto*. In lapides Chriſtianos obrepſiſſe nonnumquam ſacrilegam illam cæteroquin, impiamque dedicationis formulam tradit Mabillonius (a) *dum cruda adhuc quorundam in cordibus Chriſtiana religio aliquid de* paga-

(a) In Itinere Italico.

paganici ritus ſuperſtitione retinebat. Quidquid Clar: Fabrettus, qui totus eſt, ut Sigla D. M. religioſa explicatione interpretetur, obtendat. Verùm ex aliis ſollemnibus apud Chriſti fideles formulis ſecerni eos poſſe titulos credimus, quos aliunde perquam frequentes neutiquam fuiſſe priſcis adhuc illis ſæculis, ut exploratum habent Eruditi. Sed jam ad Catanenſes.

I. D. M. S.
CLAVDIA CESTIA
VIX ANN XXVIII
SVTORIA PRIMIL
LA FILIAE PIISSIMAE

Refert Gualtherius in Meſſan: num. 58. ſub hoc titulo: *In vico S. Conſtantini apud Franciſcam Bolani, & Porthuſo*. Et inter Panorm. num. 172. Poſitus eſt lapis à Sutoria Primilla Filiæ dulciſſimæ Claudiæ Ceſtiæ, quæ annos XXVIII. vixit. Hujus nomen caſu exprimitur recto, quod in antiquis epitaphiis frequentiſſimum. Ornamenta illa cordis, vel folii figuram referentia *genus interpunctionis*, ut Raphaelis Febretti utar verbis, *libero, & idiotico marmorariorum uſu adhibitum* ſunt. Ex Joan: Jacobini ſententia notas eſſe cordis, tradidit Gualtherius in Sic. Tabul. Animadverſionibus, idque *omnes, queis vetuſtatis ſtudium cordi fuit*, intelligere, ait. *Ei opinioni* ſubdit, *& Ego nomen dederam, ex qua Panormi elegantis genii, & ingenii J. C. Alph. Zoppetta me exemit, exhibens numum Herculis coronati populo, unde*

de ꝟ *populi ramum agnovi*. Qui porro cordis characterem referre ſunt opinati, cordiolio ſignificando titulis ſepulchralibus adpictum ſymbolum crediderunt; ſed tabulam Scriptoribus hiſce, neque contemnendis, luſoriam in muſeo Kircheriano opponit Eruditiſſimus Antonius M. Lupus (*a*) ubi hujuſmodi notas effictas Quadratarii arbitrio, nullus non deprehendit; Tum figulinum profert ſigillum in cujus centro cor exculptum. Addam, & Ego non abſimile, quod ſuo loco proferam, in latere ex dono Hyacinthi Paternionii, & Bonajuti viri doctrinâ, atque eruditione præſtantis in S. Nicolai de Arena muſeo aſſervato, ubi cordis etiam characteres expreſſi. Quum in titulis autem Chriſtianis frequenter occurrant, nec populi ramum, ſive folium Herculi dicatæ imitari {*Id* enim Chriſti cultoribus fuiſſet cautum} poterant, nec Siglis Chriſti nomen ſignificantibus adjungi. *Id* igitur evidens, quod ex Fabretto docuimus, ac Thomas etiam Reineſius, & noviſſimè Boldettus multis oſtendunt, arbitrarium nempe Sculptoribus fuiſſe hujuſmodi characteris uſum, cum in principio Epigrammatis, aut fine, tum inter orationis verba, ipſaſque dictionum ſyllabas, ut videbimus. *Claudia*, & *Ceſtia* familiæ apud Romanos nobiliſſimæ. Lapidem ab Hieronymo Porthuſo circa annum MDXCVI prope Circum Maximũ, extra Decimæ Portam inventum prodit Carrera. (*b*) Ejuſdem meminit Muratorius Claſ. XVII. Pag. 1148. n. 6.

(*a*) Epit. Severæ §. 8.

(*b*) Lib. 3. Cap. 11

II.

II. DMS

M. CAEPARIO

SOTERICO ET

FILIAE EIVS

M. CAPILLANVS

FECIT.

Edidit inter deperditas Gualtherius Meſſ. edit. num. 59. Panorm. 180. ſub titulo: *Inventæ abs Hieronymo Portbuſo ſecundum Circum Maximum*. Marcus Capillanus Marci Cęparii, aut conſanguineus, aut amicus, non Quadratarius, ut credit Carrera, ipſi, ac filiæ ejus titulum fecit.

III. D M S

L. ARR. LOCISMVS FECIT FILIAE

MEN. VIII D XVIII. ET ARR.

PROTIONI AMICO VIXIT ANN

XXV.

Invenit Hieronymus Cultellus extra Portam Acis. Ita Gualtherius in Meſſ. edit. num. 63. in Panorm: 184. Legitur *Diis. Manibus. Sacrum. Lucius Arr. Lociſmus fecit filiæ*, quæ vixit *menſes* VIII. *dies* XVIII. *& Arr. Protioni Amico, qui vixit annos* XXV. Sepulchrum, cui lapis adhæſit, biſomum, ut & illud ſuperioris tituli, in quo nempe duorum cadavera ſunt condita. Habes in noviſſimo Theſ. Muratorii Claſse XVII. pag. 1148. num. 4.

IV. D. M. S.
T. CLATIVS. HE
RESISTRATVS
VIX. ANN. XII
PATER. FECIT

Ideſt *Titus Clatius* &c. T. enim ſolitaria Titi prænomen exprimit. Illud obſervandum, puncta interponi integris etiam dictionibus, nedum truncis, præterquã in fine verſus, *ubi veteres nullam diſtinctionis notam addiderunt*, ut Cellarius advertit (*a*). Deſcripſit lapidem Gualtherius inter Panormitanos num. 232. Meſſ. edit. ſub titulo: *Eruderata Katanæ*, & Pan. num: 72. Refert etiam Carrera lib. III. & Muratorius claſ. XVII. pag. 1148. num. 6.

(*a*) Orth. Lat. Par. p.

Alium titulum inter externas Tabulas retulit Meſſ. num: 453. Panor: num: 21. idem Gualtherius, quem Antinopoli in Arce locatum viderat Joſephus Scaligerus, ex quo edidit Janus Gruterus in Theſ. fol. 410. En illum. *Tullius. Flaminius. Decurionis. Filius. Domo. Catinæ. Exortus. Civis. Siciliæ. Incola. Antinopolitanus. Sibi. Et. Poſteris*. Antinopolis eſt Galliæ Urbs. De Officio Decurionis conſule Pitiſcum in Lexico Rom. Antiq: Decurio, cujus erat filius Flaminius, Municipii Antinopolitani dicendus; in Municipiis autem Decurio idem ac qui Romæ Senator.

V. Titulorum fragmenta ex eodem Gualtherio juxta Meſſanenſem editionem opportunè hìc ſubdimus.

num. 39.

n. 39. ....

JULIA HESI

RIS F

n. 46. .... L. BR. ...

... VLO ....

... RQI ....

... CVRI ....

n. 60. D M S

... ATIAE DORI

... V.A.XX. NICE

... PATER FILIAE

... SSIMAE

n. 61. D M S

... T. F. FOEN

... IX VIXIT

ANNIS XXX

... ES IS. P. V

In primo ex his titulis deſideratur defuncti nomen, cui *Julia Heſiris* Epitaphium fecit. *Secundum* dedimus, uti à Carrera exſcribitur: *In limine*, inquit Gualtherius illum referens, *Sacrarii Ædis majoris*, ubi Carreræ ævo perſeverabat, qui ſæpius eumdem conſuluiſſe fatetur, ſed ex eleganti characterum forma recentiorem eſſe dicit. Tertium ſic legerim *D. M. S. Sabatiæ Doricæ* Quæ *vixit Annos* XX. *Nicetus Pater Filiæ Piiſſimæ* poſuit; vel, ut putat Carrera: *Neratiæ*, *Munatiæ*, *Latiæ*. Quarta denique Inſcriptio integra creditur ab eodem Carrera, & in Siglis T. F. legit. *Titus Flaminius*; verùm etſi pronomen Romanis unica litera exprimere in uſu fuit, Familiæ nomen integrum ſcribebant. Truncus idcirco, tenui meo judicio, Lapis, aut detritis characteribus obſcuræ lectionis. Deperditum aliunde dolet idem Gualtherius, qui primus edidit.

VI. D. M. S.

DECIMIA. GAMICE

Ϝ. DECIMIVS. AGA

POMENVS. PIIS

SIMAE. COLLIBER.

Secundi verſus ſigla legenda, *Fecit*. *Decimiæ* nempe *Gamice Fecit Decimius Agapomenus Piiſſimæ Collibertæ*. Aliter hunc titulum legit Carrera, qui prope Cœnobium Spiritus Sancti extra mœnia, in vico contra Bernardi Scammaccæ Patricii ordinis viri prædium effoſſum illum ſua ætate prodit, atque ex dono Alphonſi Paternionii in Civilis Baſilicæ atrio locatum dicit. Sigla enim illa interpretatur ET. Verùm Collibertæ nomen in loculum illatæ craſſa ſimplicitate nobis invidiſſent. Gamice, & Agapomenus, qui lapidem appoſuiſſe juxta Carreram dicuntur. Lectio itaque vel eſt: *Decimia Gamicete*; Rectus enim caſus ſæpiſſimè pro patrio à Quadratariis uſurpatur, ita ut ſit ſenſus: *Decimius Agapomenus titulum Decimiæ Gamicetæ piiſſimæ Collibertæ poſuit*, vel *Decimiæ Gamice Fecit Decimius* &c. Colliberti porro ii erant, qui ſub eodem Domino ſervientes, ab illo libertate donabantur, Patronique idcirco nomen aſſumebant; Hinc Decimia, & Decimius, ab uno Patrono Decimio appellati. *Gamice* græca dictio valet latinè *Nuptialis*. *Agapomenus* participium verbi *Agapao*, quod eſt *Amo*, *Diligo*, quáſi ſonet *Dilectus*, *Amatus*.

VII.

VII. D. M. S.

P. PHONTEIVS..........

CI'MILLION.............

MENS... PHONTEI

AMERCATILLA FIL

PIISSIMO FECIT.

Ex laudato Carrera ibidem eruderatus, atque ab Alphonſo publicæ utilitati in eodem Senatus atrio locatus, legendus: *Diis Manibus Sacrum. Publius Phonteius....: Caii Filius.* Fortè enim initiales ſecundi verſus C. F; nam litera illa l' detrita F potiùs, quàm A imitatur. *Millionius* vixit *menſes....... Phonteia Mercatilla Filio Piiſſimo Fecit.* Habuit Cicero orationem pro Fontejo, meminitque Veſtalis Virginis ejuſdem Sororis Fontejæ; cujus dubio procul gentiles Publius hic noſter, & Mercatilla.

VIII. D. M. S.

AEMILIVS

PRISCVS

VIX. ANN. II.

MENSIS II.

DIES IV.

Puer hic, cujus ætas tam exactè deſignatur, ex Æmilia gente Romana clariſſima dicitur à Carrera, qui marmor exſcripſit ex tabula in Civilis Baſilicæ

ſilicæ atrio ſita. *Priſcus* cognomen, non ex Patris nomine inditum puerulo, hoc enim initialibus characteribus in titulis exprimitur, e. g. GN. F. Gnei Filius. *S*ed an bimo infanti cognomen fuit? Appingebant Parentes nonnunquam filiis, antequam hi pubeſcerent, cognomina, ut ex lapidibus exploratum. *Menſis* pro *Menſes*; Barbariſmi hujus habemus exempla innumera in Epitaphiis; hinc *A*nnus pro Annos, Meſoro pro Menſium, Menſis pro Menſes interdum, atque his ſimilia offendimus.

IX. M. S. M. S.

..NTELVS SELEVCVS

..ANN. XIII. M VIII. P

..NTELVS SELEVCVS PAT

..PIO ET SIMBOLICO

..POTI EIVS VIX. AN XVI

M. VII

Diffractus lapis apud *A*lphonſum Paternionium, unà cum aliis, de quibus ſupra, anno MDCXXX prope Cœnobium Sancti Spiritus inventis, ſervabatur. Deſcripſit Carrera, atque hoc pacto eſt interpretatus (*a*) *Diis Manibus Sacrum Entelus Seleucus Vixit Annis Tredecim Menſibus Octo P. Entelus Seleucus Pater Pio, Et Simbolico Nepoti Ejus. Vixit Annos* XVI. *menſes* VII. Sed non advertit Vir alioqui oculatiſſimus biſomi ſepulchri titulum hunc eſſe, Entelo Seleuco, qui vixit an. XIII. menſ. VIII. & *S*imbolico, qui vixit

(*a*) *Lib.3.cap.12.*

Digitized by Google

xit an. XVI. menſ. VII. poſitum ab Entelo Seleuco Patre. Idem enim vivere haud quidem potuit annis XIII, & XVI. En igitur, si mea me non fallunt, lapidis intelligentia: D. M. S. *Entelus*, aut *Dentelus*, *Seleucus Vixit Ann.* XIII. *Menſ.* VIII. *Poſuit Dentelus Seleucus Pater Filio Pio*, *Et Simbolico Nepoti Ejus. Vixit An.* XVI. *Menſ.* VII.

X. D. M. S.

L. CORNELIO

CAMPESTRO

CVPARIO

CLAVDIA IAPAEZVSA VXOR

VI.. XXV

Retulit Carrera in *Auctario* ad Catanenſes Hiſtoricas notitias (*a*) prope Marchionis Francifontis ædes refoſſum. Legitur *D. M. S. Lucio Cornelio Campeſtro Cupario*, ideſt Cuparum Artifici *Claudia Japaezuſa Uxor poſuit. Vixit An.* XXV.

(*a*) *Tom.* I. *f.* 553.

XI. Q. MAN

LVP

Q. MAN

LVP

DOMITIA

PIA

Albus

Albus lapis Melitenſis ibidem à Carrera relatus in regione S. Mariæ *de la Cava* intra urbis pomerium inventus. Eſt Quinti Manlii Lupi patris fortaſſe, aut viri, & ononymi, aut filii, aut fratris titulus à Domitia poſitus. Manlia gens Catanæ celebris, ut alibi diximus.

XII. D. M. S.

TYCHE VIXIT ANNIS

XIIII DIEBVS XXI MENS. III.

PARENTES FECERVNT.

Lapis ineditus anno MDCCXXXVI in area Steſichori, quæ ab Acis porta hodie appellatur, ubi Veterum *S*epulchreta, inventus, apud Petrum Tedeſchium Villermoſæ Baronem. Refert Clar. Muratorius Claſ. XVII. pag. 1223. n. 7.

XIII. L. CASSIVS HERMES

OPTIMVS VIRORVM VIX

ANN LXIV. F. P. P. M.

Eodem anno ibidem foſſoribus occurrit, ſibique vindicavit Innocentius Roccafortius majoris Baſilicæ Canonicus. *S*igla titulum terminantia ſic interpretanda: *Filius Poſuit Patri Merenti*.

XIV. C. SEXTVS

EVTICHETES

Sex circiter paſſ. millibus ab urbe in regione, cui vocabulum *Nizete* anno MDCCXXX circiter lateritiũ loculũ invenit Franciſ. Honoratus Columna, in cujus operculo etiam fictili ſimplex hic titulus, ab

eodem

eodem aſſervatus: *Cajus Sextus Eutithetes*.

XV. CN. FABIVS. F. F....

ANTONIA. SYM....

SA. MAF. CN. FA....

TIANO. F. VIX. AN....

Uterque Parens in hoc titulo ex nobiliſſima apud Romanos gente; Pater ex Fabia, quæ Conſules complures numerat, Genitrix verò ex Antonia, ſatis etiam ob primas in Republica dignitates celebri. Diffractus lapis in fundamentis Eccleſiæ S. Catharinæ Senenſis anno circiter MDCCXXXI. inventus, atque apud ejuſdem S. Virginis Cenobii Patres ex Ill: Ordine Prædicatorum cuſtoditus, Fabii Patris cognomine privatur, illaque Matris, ac Filii trunca habet; ſed quæ facile ſuppleri poſſunt. Sigla in primo verſu F. F. *Fabii Filius* fortaſſe legenda, aut *Filio Fecit*, ſed an primum F. loco P. irrepſit, exprimatque *Publii Filius*? Non enim ex nomine, ſed ex prænomine Patrem Veteres indicabant; *Fabius* autem nomen erat. Igitur hoc pacto explicarem *Cneus Fabius* FILIO FECIT....... *Antonia Symphoroſa Mater Cneo Fabio Quadratiano Filio Vixit Annos*..... Obſerva hìc Cnei rectam Orthographiam per literam C. quamvis enim per G. pronunciatum, ac Græcè quoque per G. ſcriptum fuerit, ut Terentianus Maurus advertit, ejus tamen nota eſt CN. Manutius cæterum probat *Gnæus* cum diphthongo, à quo alii diſſentiunt. Vide Cellarium in ſua Orthographia Latina parte 2.

XVI. D. M. S.

APHRODITO

MIMAS ❦ VIX ❦

ANN. ❦ XXXX ❦

EVTYCHVS ❦ CON ❦

IVGI ❦ MERENT F

Eodem ferme loco, quo ſupra allatum marmor, repertum hoc aliud, penes eoſdem aſſervatur. Cordiacas habet interpunctiones, de quibus num. I. ſatis, ac Mulieri, cujus erat nomen *Aphroditomimas* poſitum titulum ab Euthico marito indicant illa: *Conjugi Merenti Fecit*.

XVII. CVRAVIT. M. VALERIVS. BRIC-

CVS. H. EX TESTAMEN.

Marmor eſt tripalmare, cujus ſuprema pars hoc unico verſu literata. Cuſtodiunt laudati Patres Prædicatores ibidem circa idem tempus effoſſum; Legitur autem: *Curavit Marcus Valerius Briccus Heres Ex Teſtamento*. Valeria gens præclariſſima, ut ex Faſtis Conſularibus. M. Valerius Meſſala Conſul, cujus hic noſter dubio procul gentilis fuit, ut prænomine, & nomine ſatis indicatur, primus Romam ſolare Horologium Catana allatum invexit, ut alibi ſcripſiſſe memini. Veterum hìc notanda ſimplicitas: nomen cujus *Valerius Briccus* Heres fuit, cuique titulus poſitus, diſſimulatur. Inventâ una cum hiſce tabu-

lis

lis lachrymarum vaſa fictilia, ac vitrea, lucernæ, ac ſimilia ſepulchretum ibi extitiſſe ſatis produnt.

XVIII. D. M. S.

CABARIA

EVPORIA

VIX. ANN.

LX.

In area ante Steſichori portam anno MDCCXXXIX. effoſſa, in muſeolo videtur hodie Joannis Rizzari Viri Patricii, & Catanenſis Eccleſiæ Prioris, ubi aliæ cum Græcæ, tum Latinæ Inſcriptiones, variaque antiquitatis monumenta ſpectantur.

XIX. L. LOLIVS

DAPNVS

HIC. SITVS. EST

VIXIT. ANNS. L.

Romani hominis titulus marmoreus cum lucerna fictili in cujus fundo FORTIS extantibus literis legitur, contra *S.* Catharinæ Cœnobium, dum fundamenta domus Dominici Urſini Farmacopolę Catanenſis ponerentur anno MDCCXXXIX. inventus. Tenet hodie Hyacinthus Paternionius ex Radduſæ Baronibus, lucernam verò Joannes Rizzarus mox laudatus ſibi vindicavit. *Anns.* loco *Annis* Quadratarii imperitia irrepſit.

XX. D. M.

CLAVDIAE

FELICIAE

T. FLAVIVS

AGATHORVS

CONIVGI B. M

In S. Nicolai de Arena muſeo aſſervatur hodie inter complures vetuſtos lapides cum Catanæ defoſſos, tum ex aliis partibus eò illatos, quos merito Catanenſibus lapidibus accenſemus. Legitur *Claudiæ Feliciæ Titus Flavius Agathorus Conjugi Bene Merenti*.

XXI. D. M.

MVRRIA FOR

TVNATA. ET

IVLIA SPATA

I E FECERVNT.

COCCEIO DI

LIGENTI B. M

In eodem S. Nicolai muſeo. Quinti verſus Sigla I E lego *Filiæ*. Extrema verò B. M. *Bene Merenti*. Fortunatæ cognomen in ſequentibus etiam habes.

XXII. P. ANCITIO. F. F.

QVI. VIXIT. ANNIS

VII. ET. DIEBVS. VII.

CVIVS. FVRIBVNDAE. RV

PERVNT. FILA. SORORES

CVIVS. FVNVS. MISERI. V

IDERE. PARENTES. ANCITIA

FORTVNATA. ET CORNE

LIVS. NEPTVNALIS. FILIO

DVLCISSIMO. FECERVNT

Ideſt *Publio Ancitio Filio Fecit*. In ſexto, & ſeptimo verſu vox illa *Videre* male diſtincta, atq: interpuncta Artificis imperitiam oſtendit; characteres aliòqui eleganter effecti, ut & tabula affabrè expolita. *Cornelius* Pater, *Neptunalis*, ideſt Neptuni Sacerdos, aut Neptuno fortaſſe addictus. Eſt in laudato S. Nicolai Muſeo.

XXXIII. D I S MANIBVS

IVLIAE HISBE

IVLIVS  ONESIVVS

CONIV GI. B. M.

FE CIT

Diis

Diis I longo expreſſit ſcite Quadratarius. B. M. conſueta formula *Bene Merenti*. Excavatam in medio hujus marmoris pateram habemus, ad lachrymas, & libationes excipiendas pertuſam. Exhibet ſimilia Fabrettus, (*a*) ac veterum ritum expendit, qui ſupra ſuorum exuvias lachrymas, libationeſque effundebant, lapide ita aptato in loculi operculo, ut facile illas exciperet, inque ſubjectas cineres corrivaret. *In* eodem Muſeo.

(a) *Inſcrip. Dom. cap.* 11.

.. M ..

XXIV. .. NTONIA. FORTVNA

.. CIT PATRONAE. SVAE

. ENE . MERENTI

HERACLIAE

ET. SIBI. ET. SVIS

Diffractus, qui legi tamen perquam facilè poteſt: *Diis Manibus Sacrum. Antonia Fortunata Fecit Patronæ Suæ Bene Merenti Heracliæ, Et Sibi, Et Suis*.

XXV. D. M.

CL. DIOCEMES. FE

CIT. CL. HYCIAE

CONIVGI. BENE

MERENTI. FECIT

CENTI

Ibidem

Ibidem integer lapis; quem lego *D. M. Claudius Diocemes Fecit Claudiæ Hyciæ Conjugi Bene Merenti Et Diligenti.* Vide imperiti Artificis negligentiam in extrema hac dictione exprimenda; neque enim Tituli Author illud *Fecit* repetiiſſet, atque extrema vox *Centi* ita ſolitaria ſenſum redderet nullum. Peritis nihilominus deferam, aliter fortaſſe interpretantibus.

XXVI. D. M.

FLAVIO
PTILÆ DESPOTO
FLAVIA IVSTA
CONVIGI BENE
MERENTI FEC
IT VMECVS
VIXIT ANNO XXII.

Penultimus verſus habet VMECVS. Interpretor. *Qui Mecum vixit Annos* XXII. Conſimiles lapſus ex Quadratarii incuria in alios irrepſiſſe lapides Eruditis notiſſimum; Quorum aliquot Antonius Lupus cum editos, tum ineditos profert in ſuo de *S.* Martyris *S*everæ Epitaphio præclaro opere. Titulus in eodem ſervatur Muſeo.

D. M.

XXVII. D. M.

VAEDIAE IOSIMI..

CAESERNIVS

SECVNDINVS

CONIVGI CARISSIMAE

BENE MERENTI

FECIT QVE MECV –

VIXIT – AN. XVIII.

Titulus hic diphthongis reſolutis expreſsus à Cæſernio *S*ecundino Conjugi Cariſſimæ, cum qua annis XVIII vixerat, Vædię poſitus, inter ejuſdem Muſei Lapides ſpectatur. *S*ecundus verſus, ubi *Vædiæ* cognomen, evanidos habet characteres, hinc ſupplenda diphthongus, ac legendum *Joſimiæ*. Perpende hic *Cariſſimæ* Orthographiam ſine adſpiratione ſcilicet, quod ex aliis *I*nſcriptionibus eſt manifeſtum.

XXVIII. T. ANI................

T. AELIVS...........

C. IVLIVS DIOP.......

TI. CLAVDIVS CEI...

C. IVLIVS PR.........

CRASSVS.............

Diſfractus lapis ſepulchralis in *A*rea Steſichori anno MDCCXL. cum innumeris ferme aliorum fragmentis

mentis in locum unum ageſtis, defoſſus, ſex Romanorum prænomina, ac nomina ſervat, quæ ſepultos ex clariſſimis familiis progenitos, ingenuoſque produnt; Extat hodie in ſæpius laudato S. Nicolai muſeo.

XXIX. ....\ PEI. FELICIS

...ONIAE. RESTI

TVTAE

Lapis palmaris in ſuburbana Vincentii Paternionii Radduſæ Dynaſtæ villa inventus, peneſque Hyacinthum Vincentii filium ſępius laudatum aſſervatus, legendus fortaſſe: *Pompeii Felicis, Antoniæ. Reſtitutæ*.

XXX. D. M. S.

PVBLICIA IEIS

VIXII. ANN. LXVIII

P. PEDIVS. SEVERVS

PAIRONVS F

Ideſt Publicia Ieis Vixit Annos, ſexagintaocto. Publius Pedius Severus Patronus Fecit. In palmari ex albo marmore tabella, Catanæ extra Steſichori portam effoſſa, ſervatque illam in novo ſuo Muſeo Ignatius Paternionius, Caſtellus, Biſcarenſis Princeps. Eſt porro utrinque incripta, ac in poſtica facie, minutiori charactere, hæc duo alia exhibet epitaphia nonnihil detrita.

XXXI. D. M. S

P. PEDIVS MARIANVS VA XXV

.. EI PVBLICIA IEIS P

.. AI PELLVS SEVERVS F I A..XVIII

In primo verſu VA innuunt *Vixit Annos*. In ſecundo, & tertio lego: *Et Publicia Ieis P. Aipellus Severus Fecit. In Agro Paſſus* XVIII. Jam verò alterum Epigramma à ſuperiori, interjecto ſpatio veluti diſtinctum habet.

. PEDIVS SEVERVS

.. ARRIA VOLVMNILIA M

C. PEDIVS SEVERVS F. F

Gens Pedia Romana inter præclariſſimas, & Conſularis. Q. Pedius M. F. Anno V. C. 708. Proconſul triumphum obtinuit; idem cum Cæſar Aug. poſt biennium Conſul ſuffectus eſt, Legem que tulit, qua omnibus, qui Cæſaris mortis e raut conſcii aqua, ignique damnatis interdictum quæ lex *Pedia* vocata, uti Marlianus in Annalibus Coſſ. tradit.

XXXII. D. M. S

PVBLICIVS NICON

IX ANN LV

POMPEIA EPICTESIS F

La-

Lapis magnitudinis non abſimilis, palmaris nempe, eodem in loco detectus, laudato Ignatio ceſſit.

XXXIII. IRENEVS N ·: AT. ID. IAN

VIX. AN. III. D. XXXXIII

Ireneus Natus Idibus Januarii vixit An. III. *Dies* XLIV. Tripalmare ſaxum marmoreum *S*.Nicolai muſeo acquiſitum.

XXXIV. VENERIA FIL

VIXIT ANN. X

M IIII

Tabula item marmorea, graphio ab imperito Quadratario ſcalpta, ibidemque aſſervata.

XXXV.L. ROSCIO. L. F. QVIR. RVFO. PR..

EQVITATAE. EQVO. PVB. ADIECTO

Apud S. Mariæ Majoris Patrum Prædicatorum Cenobium marmoris fragmentum, quod recens ſarcophagum ornabat, in poſtica parte literatum, caſu Ego quum advertiſſem, ut ab Religioſis illis viris cuſtodiretur, author fui anno MDCCXXXV. Legitur: *Lucio Roſcio, Lucii Filio, Quirina, Præfecto*, aut *Pretori Legionis Equitatę, Equo Publico Adiecto*. Romanus, ac ingenuus tria nempe habens nomina, ac Patrem cum prænomine, noſter hic Lucius ex Tribu Quirina erat. *Romani* enim, ut Aſcanius Pedianus ſcribit (*a*) *ſolebant ſe nominare à cognomine Tribus, aut Curiæ, cujus erant membra, & id nomen in 6. caſu ponebatur poſt Patris prænomen*; Primogenitus, quod

(a) In Verr. Ciceron.

 idem

idem haberet cùm Patre prænomen, Equitum Præfectus, aut Prætor fortaſſe Provinciæ equo publico meruerat, qui ex Reipublicæ nempe ærario alebatur. Roſcia gens plebeja fuit è Lanuvio Municipio Romam delata, cujus gentilis L. Roſcius Otho Tribunus Plebis legem tulit Theatralem. Anno vulgaris Æræ ccxxiii L. Marius Maximus, & L. Roſcius Aelianus Conſules proceſſere.

XXXVI. Fragmenta in eodem S. Nicolai muſeo, ac alibi aſſervata.

1. Ex Carr. VIE SCV..	2. In S. Nicolai muſeo.
ANNOS...	.. VIXIT AN...
A II. ETA...	...ISSIMI PARE..
ST. XX.	IS FECE.
3. Ibidem ,, M. S.	4. Ibid. TIS AGNOR.
..ARIA COS...	...FRVCTIB; OY..
., VIX. ANN..	...CONSVET...
...XXX........	...OIT.........
5. Penes Innoccentium Roccafortem.	6. Apud Vincentium Michaelangelum
NERIA.....	......BVILIVS
M. VIII. D...	.......VNAIVS
NVS FILIV....	..... I AN. LX.
VIBVS SV....	...LIIACAARI
S. F. E.......	......IHC.

XXXVII. Sepulchralia Epigrammata, vetuſtiſſima, quæ nonnullis ſubdititia creduntur, & ab Archangelo primùm relata Gualtherio minime probantur, ut alibi expendi.

1. In via Curſus inventum.

Vici Agonalia XLV *ſed uno Agone Cupidine Victus Zelotipie Impatiens Pulcherr. Caſtiſſq. Argea Nizetide Conjugem Meqmet Scorpillum Gladio Victore Jugulavi Confuſis Cineribus Nos Urna T. T. Vixim. Ann.* XXVII. *M. V. M. MM.* ☐☐☐.

2. Gualtherius Meſſanę edidit num. 67. ex eodem Archangelo, in cujus tamen m.ſ. Opere, uti Carrera ſcribit, deſideratur.

Ego Kataneus ... er Solus Pro Patria Pugnans Uno ... e XXXI *Bellatores Interemi. Glorioſis Cicatribus Plenus* - LXX *Coronis Inſignitus Hic Requieſco Vir. Vix. Ann* - XXV *M. S. D.* W.

3. In tumulo Steſichori Himerenſis extra Portam, quæ hinc Steſichorea dicebatur, hodie Acis.

Ops Ego *Steſichori Ætnæis* Hic *Oſſibus Oſſa*
Clauſa Tego Vatis, Cætera Mundus habet.

4. *In Pyramide Sepulchri Acis*, Ita Gualterius num. 72. ſed enim Ongiæ ab Acide appictus titulus videtur.

Diae Ogniae, Saturniae, Aeternae, Deorum Matri, Filiae, Uxori, In Portu Sepulchrum, Templum, Et Arcem Acis Fauni Filius, Pici Nepos, Saturni Pronepos, Latini Frater.

5. Egeſię Sepulchro appoſita inſcriptio ab Archãgela expreſſa, qui eiuſdem ſepulchri molem ita exhibet, ac ſi oculis illam fuiſſet contuitus, ex quo Groſſus in Decachordo.

6. S. P. Q. Katanen: Egeſiae Aetneae A Dactilo Viro Proprio Patriae Proditore Quia Eum Detexerat Extinctae Mauſoleum Et Simulacrum Aureo Diademate Coronatum Erexit.

6. In

6. In monte Ætna prope Philoſophi Turrim Alphonſi Regis ęvo inventum in tabula ęnea. Vidit Petrus Blundus

Aetna, Thalia, Coeli, Et Terrae Filia, Jovi Deorum Deo, Et Necem Mihi Peperi Dios. Ac Aeternum Ignifluo Monti, Et Urbi In Littore Numen Dedi. Non Peritura His Molibus C.

CAPUT III.

LAPIDES CHRISTIANI.

GUaltherius Meſſanenſis editionis num. 43. & 44. Inſcriptionem ſub hoc titulo refert: *Domi Mauri Piſcis in ſaxo nigro bibulo Catanenſi litera inepta*.

I. M. SCI Ideſt *Moritur S. Vitalis Catanæ.*

.... ITA

LIS

KAT.


In notis ad Siculas Tabulas S. Vitalis Altinæ Epiſcopi titulum eſſe ſubdubitans ait: *Sub idem ferè ævum, quo hoc ſaxum exaratum dignoſcitur ex ſpecie literarum, Narſes Vitalem Epiſcopum apud Siciliam exilio damnavit*. P. *Diacon. Foroliv.* Gualtherio ſe ſubſcribit Groſſus in Diario Catanenſi m. ſ. ut ad Annum DLXVIII lib. IV. cap. 1. diximus. II. AVI-

II. AVITIANVS FIDE
LIS HIC IN PACE XPI
QVIESCIT QVI VIXIT
AN XII REQVIEVIT
D XVI KL APRILI
CONS THEODOSI XV
ET FL VALENTINIANI

Proceſſerunt hi Conſules Theodoſius ſcilicet xv. & Fl. Valentinianus iv. Anno Chriſti ccccxxxiv. Repertus lapis hic in villa ſuburbana Ignatii Rizzari Viri Patricii, ubi forte fortuna ſepulchretum foſſores anno MDCCXXX detexerunt cum loculis, quorum alii aliis incumbebant; Omnes cęmentitii, at nonnulli ſtrato marmore, atque opere teſſellato inſigniores erant. Muri loculamenta ambientes ex nigris quadratis lapidibus compacti, graduſque, per quos in cęmeterium ex Aquilone deſcenſus patebat, etiam lapidei. Olim in eadem rudera operas incidiſſe, omniaque ex ruſtica oſcitatione ſus deque vaſtaſſe, ſatis declarabant diruti fornices, Græci, ac Latini lapides in fruſtra minutiſſima redacti, vaſcula, lucernæ, atque oſſium fragmenta hac illac diſperſa. Lapis alter, nobile vetuſtatis monumentum, ex eodem ſepulchreto eductus quinto loco dabitur. Refert hunc Titulum Muratorius Tom. I. Claſ. V. Pag. CDIV. n. 3.

III. CRE-

III.



Extremi Epigrammatis hujus verſus difficilis ſunt lectionis. Illos Flavii Stiliconis in conſulatu collegam innuere putabam, mox, ut lapidem vidi penes Ignatium Rizzarum anno MDCCXL. in Steſichori area inventum. Stilico porrò bis Conſul, anno CCCC. ſcilicet, habuitque ſocium Aurelianum, & anno CCCCV, proceſſitque cum Anthemio. Utriuſque autem expiſcari nomen ex illis characteribus irrito conatu ſepius curavi, ut annum inde poſitæ epigraphes aſſequerer. Quum verò conjector nimium exiſtimari nolim, nodum hunc Eruditis diſſolvendum relinquo, ceteroſque verſus explico:

Creſcentiæ Benemerenti In Pace, Quæ Vixit Annos Plus Minus Quinquaginta. Depoſita III *Kalendas Decembris Flavio Stilicone Conſule . . . .*

IV. HIC REQ . . . . . .

CEBON . . . .

N. A. QVI . . . . .

VS . . . .

Chriſtiani Tituli fragmentum an. circiter MDCCXXXII defoſſum, dum inter Societatis Jeſu, & S. Benedicti

nedicti Monialium Eccleſias publica ſterneretur via; *In* S. Nicolai Muſeo hodie aſſervatur.


V. Inventa Inſcriptio ſequens cum Avitiani titulo, de quo n. II, ac in laudati Joannis Rizzari Muſeo locata eſt.

NIIAEFIORENTINAEINFANIDVICISSIMAEATQVEIN
NOCENTISSIMAEFIDEIIFACIAFPARENSCONIOCAVIT
QVAEPRIDIENONASMARTIASANTELVCEMPACANA
NATAZOIIOCORRPMENSEOCTAVODECIMOETVICEST
MASECVNDADIECOMPIETISFIDFLISFACTAHORANO
CTISOCTAVAVITIMVNASPIRITVMAGENSSVPERVIXIT
HORISQVATTVORITAVTCONSVETAREPEFRETACDE
FVNCTAHYBLEHORADIEIPRIMASEPTIMVMKAL
OCTOBRESCVIVSOCCASVMVTERQPARENSOM
NIMOMENTOFIERETPERNOCTEMMANESTATIS
VOXEXTITITQVAEDEFVNCTAMLAMENTARIPROHI
BERETCVIVSCORPVSPROFORIBVSMARTYRORVMCVM
IOCVIOSVOPERPROSBITERVMHVMATVEIIIINONOCTBR

Eam omnium primus vidit Vir Clar. Gegorius Nava Caſinenſis Prior virtute eximia præditus, ac doctrina, ſacra vel maximè, inſtructiſſimus, legitque, binis in quarto verſu exceptis vocibus, quæ omnino implexæ, aut malè effictæ:

Nilæ Florentinæ Infanti Dulciſſimæ Atque Innocentiſſimæ Fideli factæ Parens conlocavit. Quæ Pridie Nonas Martias Ante Lucem Pagana nata .... Menſe Octavo Decimo Et Viceſima Secunda Die Completis, Fidelis Facta, Hora Noctis Octava Ultimum Spiritum Agens Supervixit Horis Quatuor, Ita ut Conſueta Repeteret; Ac Defuncta Hyblæ Hora Diei Prima, Septimum Kalendas Octobres. Cujus Occaſum cum

Uterque Parens Omni Momento Fleret, Per Noctem Majeſtatis Vox Extitit, Quæ Defunctam Lamentari Prohiberet. Cujus Corpus Pro Foribus Martyrum Chriſtianorum Cum Loculo Suo Per Presbyterum Humatum Eſt IIII *Nonas Octobres*. Ex Hybla Catanenſis agri opido Nilæ corpuſculum Catanam advectum titulus ſubindicat; ac pro foribus Martyrum ſepultum. In colle huic ſepulchreto proximo Templum Sanctis Quadraginta Chriſti Athletis, qui apud Sebaſten Armeniæ ſunt paſſi, dicatum ſtetiſſe, traditio nos docet, de quo loco ſuo diximus; An ante ſacræ hujus ædis fores depoſitum, unde lapis ſubinde ad Sepulchretum translatus? Videbatur enim hic, calce ſuper literas inducta, minimè ad loculum ſpectare, cujus erat operculum.

VI. LEONTI ANIMA INN OX
QV IQVES QVFDINPACE
QVIVIXID ANNIS . XV
MIN SFS QVIN QVE
DIES VIGINTI ETQVN
QVEDOLENTISFFCERV
NIRITORE 

Tot barbaricis idiotiſmis Inſcriptio hæc ſcatet, ut lectu perquam difficilis videatur artis vel maximè lapidariæ imperitis. En porro recta ejuſdem interpretatio, *Leonti Anima Innoxia Quieſcit In Pace. Qui Vixit Annos* XV. *Menſes Quinque, Dies Viginti, Et Quinque. Dolentes Fecerunt Genitores*. Equorum imagines ſepulchris appingere nedum Ethnici, ſed & Chriſtiani etiam conſueverunt.

verunt. Affert hujuſmodi ornatu inſignia complura Epitaphia Fabrettus, illudque *Feliculæ Victoris* è Calliſti cęmeterio eductum cum inſculpto Equo Palmato Clar. Boldettus lib. 1. cap. 40. ad Ethnicos ſpectans; quid verò hujuſce figuræ ſymbolo voluerint exprimere liquido neutiquam conſtat. Conſule Antonium Lupum alibi laudatum pag. 57. Extat in S. Nicolai Muſeo.



VII. FECIT. MARITVS. POLOCRO
NIAE. VXXORI. QVE. VIXIT.
ANN. XXVII. ET. M. VIII. DEC.
V. D. OCT. BENEMERENTI. IN P.



Ibidem Liguſtici marmoris lapis palmorum quinque. Figura muliebris Polocroniæ eſt. Monogramma Chriſti Domini venerabile nomen exprimit. Avis ſepiſſime in hujuſmodi Epigrammatis occurrit, ut alibi dicemus. Et hìc etiam errores offendes, ut in voce *Vxxori* geminatam x literam, & in ſequenti diphtongum deficientem. *Vixit Ann.* XXVII. *Et Menſes* VIII. *Deceſſit* V. *Idus Octobris Benemerenti In Pace*.

CAPUT IV.

LAPIDES GRÆCE' INSCRIPTI.

GRęca Epigrammata, quotquot Catanæ extabant, Gualtherius edidit, eorumque interpretationem adjecit. Sua protulit etiam Carrera; ſed longè plures ſunt Cęmeteriales potiſſimum Lapides poſt annum MDCXCIII. refoſſi, quos per

ſuas Claſſes diſtributos, poſt editos à Gualtherio, & Carrera ſubjicimus, atque ab illis Templorum, ædificiorumque auſpicamur.

I. K

ΔΗΜΗΤΗΡΗ ΙΕΡ

Expleo *Katana Cereri Sacrum.* Retulit Gualtherius in Meſſanenſi editione num. 31. *Ante ædem Civitatis*, inquiens, *vulgo la Loggia in petra Catanenſi, in fornice valvarum, opere Dorico. Inventa ad S. Spiritum in villa Octavii Joenii Equitis Magnæ Crucis, & Prioris Barlettæ; exeunte demum ſeptimana, curantibus Franciſco Paternionio J. C; & Cæſare Tornanbenio Urbis Secretario, lapis verſus, & literæ, quæ ſub terram damnatæ ſqualebant prodire, & lucem intueri cœperunt*, In Animadverſionibus ad vocem Demetèri multa de Cerere, ejuſque nominibus congerit, & apud Dores qui Γ in Δ facile convertere ſolent, *Ceres*, ait, *Demetèr pro Gemetèr Terræ Mater appellata.* Subdit inde poſt multa: *Item Sicula à patria dicitur; ipſa enim cum Libera, ſeu Proſerpina Filia ibi nata eſt, ut apud Cicer. Verr. IV. leges; ejuſque ſacra inde cœpiſſe credita ſunt. Valerius Max. lib. 1. cum Gracchano interitu pollutum eſſet pulcherrimum in Urbe templum, Ætnam, quod ejus ſacra inde orta credebant, xviros ad eam placandam miſerunt. De ea Lactantius lib. 2. Divin. Inſtit. Cererem Catinenſem, vel Ennenſem, quarum alterius tanta fuit religio, ut adire templi ejus penetralia viris nefas eſſet; alterius antiquitas tanta, ut omnes hiſtoriæ loquantur*, Proſequitur inde Gualtherius:

ΙΕΡ.

IEP. Vox mutila; num IEPON. Sacrum, vel IEPΩN ſonuerit, anceps eſt; Ita ut Hiero Rex *Cereris fani, in quam admodum pius à Pind. Olymp: Ode 6. prædicatur, Conditor ſignificetur? Hujus templi Cicero* IV. *Verr. recordatur:* Sacrarium Cereris eſt apud Catinenſes eadem religione, qua Romæ, qua in cæteris locis, qua prope in toto Orbe terrarum. *Thom. Fazello de Rebus Siculis Dec.* 1. *lib.* 3. *cap.* 1. *Extra portam Regiam fuit prope S. Spiritum. Aſſentior, annuente loco, ubi eruta Templi epigraphe.* Hæc ille, cujus de Templi Cerealis conditore conjecturas ſuperiori libro expunxi, ubi de eodem uberius ſcripſi, ut hìc eadem repetere vanum videatur. Inſcriptionem hanc Blanditius, { *a* } & Carrera ſic interpretantur: *Katanęę Cereri Sacrum.* Siculam Cererem quippe, & Catanenſem patria noſtri adſtruunt, ut lib. 1. expendi. Cæterum Catanenſis Cereris nedum Lactantius aliique ex veteribus, ſed Lilius etiam Gyraldus in Sintagm: de Diis meminit.

(a) *De Patria S. Agatha m. ſ.*

II. ΠΕΡΣΕΦΟΝΗ

ΒΑΣΙΛΙΣ

ΚΑΤΑΝΑ. Α

Ideſt *Proſerpina Regina Catança.* Refert idem Gualtherius eadem Meſſ: editione num. 48. ſub hoc titulo: *Trixinis apud Franciſcam Caruſo ſub ſimulacro cubitali ex argilla.* Ex eodem noviſſimè exſcripſit Muratorius in Theſaur. Inſcript. tom. 1. pag. 40. num. 3. Supplent Blanditius, & Carrera detritum characterem, leguntque eodem

pacto,

pacto, quo ſumus interpretati. Votiva enim Inſcriptio patrium potius caſum, quam rectum poſtularet; hinc legi oporteret *Proſerpinæ Reginæ Catanæ*. Sed non ita, immo in recto: *Proſerpina Regina*. Optime igitur contra Gualtherium Blanditius græcè & ipſe doctus reddit: *Catança* evanidamque literam putat I. Sed ipſum audiamus: *Apud Reginam Legiferam Catançam Matrem aderat Proſerpina etiam ipſa Regina Catança, ac Legifera ſpicis coronata; ſic enim eam priſca numiſmata Catança promunt; ſic etiam ſub ſigno perantiquo docent ſubſcripta verba* ΠΕΡΣΕΦΝΗ. ΒΑΣΙΛΙΣ. ΚΑΤΑΝΑ. Α. *Ideſt Proſerpina Regina Catança*.

III. ΕΥϹΕΒΕѠΝ ΚΑΥΤΟΝ

ΑϹΤΙΠΑΝΟΛΒΙΟΝ

ΑΝΔΡΑΑΝΕΦΗΚΕ

ΖѠϹΥΜΙΑΝΕΙΔΗΝ

ΑΓѠΝΟΘΕΤΗΡΑ

ϹΕΒΗΡΟΝ

ΟΦΡΑΚΑΙΕϹΟΜΕΝΟΙϹΙ

ΙΡ ... ΟΕΛΙΖΕΒΙΡΟ

....

Nempe: *Piorum Inclyta Urbs Omnino Beatum Virum In Sublime Poſuit Zoſimorum Genus Luctaminum Diſpoſitorem Severum. Ut Et Poſteris......* Exſcripſit ſed parum accurate Gualtherius, quartum quippe verſum legit ΖѠϹΥΜΙΑΝΕΔΗΝ, & in

& in ultimo, qui alioqui detritus, omiſit etiam I. Extat apud eundem in Meſſan: Edit: n: 33. in Panorm: n: 170. cum hoc titulo: *In via Porta di mezo, in ęde Cataldi Fimię M. R. Curię Judicis in marmore*: Latinè redditur à Gualtherio hoc pacto: *Piorum Celebris Urbs Valde Felicem Virũ Erexit Zoſimum Anedem, Agonothetam Strenuum. Ut Et Poſteris.* Refert Muratorius Claſ: xv. pag: 1098. n: 7. qui quartum etiam verſum ΖΩCΥΜΟΝΑΝΕΔΗΝ male exprimit; interpretatur vero: *Piorum Inclyta Civitas Beatiſſima Virum Conſecravit Zoſimum Aneden Agonothetam Severum. Ut et Poſteris.* Subditque: *Tres Hexametri ſunt, ſed parum accuratè ex marmore deſcripti. In ſecundo corrupta vox mihi creditur* ΑΝΕΔΗΝ, *idque etiam Proſodia ſatis indicat. Porro de quanam civitate agatur heic, incertum duco. Veri tamen ſimile eſt, Catanę illuſtris in Sicilia Urbis Cives Pietatis gloriam ſibi tribuiſſe.* Rem acu tangit Vir clariſſimus, in lapide enim, ut vidimus, extat ΑΝΕΙΔΗΝ. Petrus denique Carrera, qui in ędibus Vincentii Fimię Viri Patricii Regi à Secretis, atque à Conſiliis ſitum Epigramma ſe vidiſſe teſtatur, & ipſe ab autographo paullo diverſam dedit; in penultimo enim verſu loco ΚΑΙ ſubſtituit ΙΕ; poſtremum vero uti perditę lectionis omiſit, Gualtheriumque, quod temerè illum expreſſerit, vellicavit. Sed enim characterum veſtigia in eo integra adeo non ſunt, ut ſenſus aliquis exculpi poſſit; at citra audacię notam vel ab imperito effingi queunt, atque aliqualiter conjectari; hinc Archangelus (*a*) hanc illis appingit interpretationem: *Heroibus celebris memoria ſervetur*. Carrerę porro explicatio hęc eſt: *Piorum Inclyta Urbs Valde Felicem Virum Extulit Zoſimi Filium Agonothetam, Severum. Ut Et Poſteris.* Quę ſane,

(a) Catan. Hiſt. Tom. I. lib. cap. 12.

cum

cum ea cohęret à nobis allata, quam J.C. Gręciſque literis eruditus Franciſcus Paſqualigus Panormitanus adornavit, pręque aliis congruere putaverim.

Lapis poſt annum MDCXCIII. in poteſtatem Chriſtophori Amici Ordinis Equeſtris, Regis Conſiliarii, ejuſque Rationum Magiſtri, Viri doctrinâ, ac moribus eximii venit, diuque in ejuſdem domus atrio ſtetit; hodie verò Joannis Amici, & Statellæ Chriſtophori ex Fratre Nepotis opera ante aulæ veſtibulum ſitus ab antiquitatis ſtudioſis, ceu inſigne monumentum ſuſpicitur. Illum in fraterna æde ſæpius Ego conſului, atque exactiſſimè deſcriptum obtuli. Heros in eo titulo commendatus *Severus* nomine, Ludi Agonalis Pręfectus erat, quam *Piorum Urbs inclyta*, ideſt Catana à Piis Fratribus ſic appellata, meritis efferre cupiens honoribus, eiuſdem memoriã columnę inſcriptam voluit in ipſo Theatri aditu, ubi ludi fortaſſe celebrabantur, ut ferę poſteritati ęternũ viveret. Lapis enim, ut laudatus advertit Archangelus, inter vetuſtiſſima Theatri rudera forte fortuna inventus, dum in Cataldi Fimię domo ad ędificii opus anno MDXCIV humum Operę effoderent. Obſervat Gualtherius in notis: *Agonothetam* à Gloſſa Munerarium dici, munuſque revera perquam honorificum fuiſſe. Hinc Hadrianus Aug: pro Agonotheta Athenis reſedit, ut Spartianus ſcribit; Neapoli in lapide Veſpaſianus *Agonotheta*, & *Gymnaſiarcha* appellatur; Herodes demum perpetuus *Agonotheta* ab Joſepho lib: VI. cap: 9. dicitur; quod Olympicos ludos annuis redditibus iuviſſet. *Agonothetas* Maſtigophori, ſive Flagelliferi, ac lictores, *S*tephano teſte, comitabantur, qui illos in ſacris certaminibus ad turbam ſubmovẽdam, ſeditioneſque cohibendas ſtipabant. *Agonum genera*, juxta Iſidorum à Carrera laudatum (*a*) erant,

(a) *Lib. 3. cap. 2.*

erant, *immenſitas virium, curſus celeritas, ſagittandi peritia, ſtandi patientia, ad tibias quoque, vel citharam incedendi geſtus, de moribus quoque, de forma, de cantandi modulatione, terreſtris quoque belli, & navalis prælii, perpetiendorum ſuppliciorum certamina*. Quorum aliquot in Theatris, populo ſpectante, exhibebantur, ut Eruditis notiſſimum. Illud etiam idem Carrera advertit: Vocem *Aſty* Urbis noſtræ magnificentiam deſignare; illa enim apud Græcos de celebri, frequentique Civitate uſurpatur; hinc Athenæ *Aſty*, uti Alexandria *Polis*, dicebantur, hodieque Roma Mundi caput, & Princeps *Urbis* nomine venit. *Aſty* vox à Poetis uſurpata, dicitur ab laudato Paſqualigo, ac vetuſtatem ſapiens, eademque ac *Polis*. Ammonius (*a*) verbum *Aſty* pro inhabitato loco, *Polis* verò pro civibus inhabitantibus, & loco ſimul paſſim accipi tradit. ΖΩСΥΜΙΑΝΕΔΗΝ irrepſiſſe pro ΖΩСΥΜΙΟΝΕΙΔΟΝ idem Paſqualigus quoque obſervat. *Severumque* ex Gente *Zoſima* duxiſſe originem inde colligo, illudque (*Zoſimorum Genus*) idem, ac *Zoſimæ Gentis* ſonare. Hæc porro inter illuſtriores, ac totius fortaſſe inſulæ celeberrimas tunc temporis fuiſſe oportuit; hinc *Zoſimos* complures in aliis lapidibus habemus, quos infra dabimus, & *Anniæ Zoſimæ* in ſuperioribus meminimus.

(a) *De Simil. & Differ.*

Anecdotæ ſequuntur Inſcriptiones, quas ſuo Tomo III. novi Theſauri non inſeruit Muratorius, quamvis earumdem ecgraphas, ut audivi, magna ex parte ab Innocentio Roccaforte, aliiſque per epiſtolas habuerit communicatas. Cur porro V.C. eas omiſerit, quum hodie adhuc perdurent, ac variis in locis Catanæ legantur, compertũ non habeo.

1.

IV. ΦΛΑΒΙΟCΦΗΛΙΞΕΥΜΑΕΙΟCΟΛΑΜΠΙΡ......
ΛΙΒΕΡΑΛΙΟΥΓΟΥΕΥΚΑΘΩCΙΩΤΟΥΑΝΙ.....
ΕΚΑΥCΕΝΕΙCΤΗΝΠΡΟΚΑΥCΙΝΚΑΙΕΙCΤ..
ΤΟΥΑΡΧΙΤΕΚΤΟΝΟCΜΕΤΑΤΗΝΥΠ.........

2. 3.

.ΡΧΙΑCΕΙΠΕΝΑΙΘΕΡΜΑΤΑΙΑΧ)ΙΑΛΙΑΝΑΙΕΞΑΗ....
ΚΑΘΕΚΑCΤΗΝΗΜΕΡΑΝΠΗC.).ΑCsΛΒsΕΛΑΤΤΟΝΕ..
........ΝΟΠΡΟΓΡΑΦΙCΕΥΚΑΘΩC)ΙΩΤΟCΤΩΝΕΙ.........
..................ΠΙΝΥΑΙΩΝΙΟΥΑΥΓΟ)CΤΟΥ ΤΟs ΔΙs Κ...

4.

...ΛΙΑCΔΙΑΤΥΠΩCΕΩCΑΝΤΙΛ.......
....ΚΑΥCΕΝΕΙCΤΗΝΠΡΟΚΑΥCΙΝ..
....ΔΙΩΝΑΝΑΛΩΜΑΤΩΝΤ..............
....ΙΜΑΞΙΜΟΥΤΟΥΛΑΜΠ...............

5.

....ΙΟΥCΗCΤΗCΕΠΙCΚΕΥΗCΕ.....
...... ΕΝΠΗCΑCs ΙΗ.....ΟΙΕΙs Νs.
....ΤΟΕΠΙs Υs Π..................ΜΑΤΩ...

Quin-

Quinque ſunt lapides eleganti, ſed eodem omnino artificio literati, e pario quidem marmore, ſed in alios olim uſus, utputa Statuarum, aptato, quod ex poſtica eruo facie varie ſcalpturata. Secundus, ac tertius, qui interſeſe tantummodo cohærent, quartuſque in Civilis palatii atrio, Carreræ etiam ætate, aſſervabantur, è Thermarum ruderibus eruti; primum verò, ac ultimum, qui antiquiſſimi aquæductus tegumentum eſſe videbantur, ignotique ſub Templi principis area inter alios lapides jacebant, anno circiter MDCCII. detectos Innocentius Roccafortius alibi commendatus ſibi vindicavit, in cujus ædis impluvio hodie perſeverant. Ut eorum porro interpretationē aſſequerer, nullum non movi lapidem; Expectabā ab Antonio M. Lupo Soc. Jeſu, viro in antiquitatibus lapidariis præſertim conſultiſſimo, cui apographum exactiſſimè depictum tranſmiſeram, ſed mors hunc immatura ſubſtulit; Amicos Romæ, ut græcè doctos conſulerent, epiſtolis ſolicitavi, complures Panormi coram conveni, Franciſcum cum primis Paſqualigum, qui ſtudiis hiſce delectatur; ſed mutilos in ſingulis lapidibus verſus conqueſti, integrum aliquem ſenſum exculpi poſſe deſperantes, nonniſi quorumdam verborum explicationem ſuppeditarunt. Illam hìc ab laudato Paſqualigo communicatam, qui diu in ea adornanda inſudavit, proferam, lapidum ordine ſervato, punctiſque, ſicubi lectio eſt deſperata, interjectis.

I.

Flavius Felix Eumajus Filius Lamp . . . . .
Liberalii Conſecratoris . . . . . .
Cremavit Uſque Ad Conſumptionem Et . . . . .
Architecti Poſt Incen . . .

2. 3.
Principatus Dictas Eſſe Thermas Achillianas,
..Per Singulos Dies .... Minus
....Decrevit Conſecrator Horum ....
.Pii Semper Auguſti ....

4.
....Deſcriptionis Pro ....
Conſumpſit Uſque Ad Incendium
..... Sumptibus ....
.....Maximi Filii Lampii ....

5.
.....Reſtaurationis ....
....
....

Et ad Thermas quidem pertinere, earumque ædificiis olim fuiſſe appictos, cum ex illorum contextu evidentiſſimè cognoſcimus, tum ex loco, ubi olim effoſſi, quin & duo noviſſimè una cum aquæductibus inventi idipſum confirmant; aquæductus enim illi ad Thermas etiam ſpectabant, quas *Achillianas* appellari video; Unde autem hæc illarum nomenclatura ortum habuerit, me neſcire fateor. A Dionyſio, ſeu Baccho, cui illas alibi dicatas protuli, Dionyſianas vocavit Archangelus; hinc illarum fornices in eadem area nuper detectos racemis plaſtico opere effictis ornatos advertimus. A *Flavio Felici Eumaio* reſtitutas eaſdem Thermas, quæ vaſto fuerant incendio conſumptæ prior indicat tabula *N. Pii ſemper Auguſti* tempore, ut tertia, & quarta innuunt; cujuſnam verò Auguſti non aperiunt; Carreræ opinioni innixus Antonini Pii ævo id accidiſſe alibi indicavi, quamvis enim & alii Imperatores poſt Antoninum *Pii* titulum uſurparint, quum ex tabulis nomen haud innoteſcat, conjecturis agendo

non

non incongrue ſub Antonio Pio factum conſigna tur. Perſpicuum nihilominus non eſt, an Incendium, an Inſtauratio, in id tempus inciderint.

V. ΕΠΙ ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ ΗΑΙΛΟΚΡΑΤΗΣΚΑ..

ΕΠΙ ΑΡΤΕΜΙΤΙΕΥ.

Lapis Ætneus in agri Catanenſis illuſtri opido *Paternione*, ubi & in alio non abſimili ΣΑΕΔΓΙΙΥΑΙΟ deperditæ lectionis vox legitur. Illius autem interpretatio hæc eſt: *Sub Dionyſio*.. *Ælocrates*, *Et ſub Artemiſio*. At quia Bacchus, *Dionyſius* paſſim dicitur, & Diana ſolet *Artemis* quoque appellari, poterit fortaſſe Inſcriptio ad eos pertinere, quæ trunca aliunde videtur. Uterque porro Dionyſius Pater ſcilicet, & Filius Syracuſarum Tyranni Catanæ regionem diu tenuerunt; hinc ſub eorum imperio potuit erigi titulus ab *Ælocrate*. Hujus apud Hiſtoricos noſtros mentio nulla; Hermocratis viri nobiliſſimi, cujus filiam Dionyſius ſenior uxorem accepit; & Timocratis, cui Dionis conjugem Dionyſius Junior nuptui tradidit, celebre tunc temporis nomen lego, ut liceat noſtrum Ælocratem Tyrannis etiam, addictum ſuſpicari. De Artemiſio, ſeu Artemido altum quoque ubique ſilentium.

VI ΡΟΔΙΤΑΣ.... ..ΑΙΑΙΕΤ......

ΕΓΡΑΤΟΥ.... ..ΖΗΕΑΗ......

ΟΥΛΛΚΑΙ.... ΟΙΠΝΟΔ........

ΔΙΤΑΙ....... ....

Uter-

Uterque titulus in Catanenſis etiam agri opidulo *Motta S. Anaſtaſiæ* ex Ætnęo lapide, quorum alter majoris Eccleſiæ parieti inædificatus; alter in ſuperliminari domus hodiè conſpicitur; hic deſperatæ omnino intelligentiæ, nec prioris lectio utpote diffracti, obvia; ſingulæ enim in eo ſunt voces, & interruptæ, ſenſuſque exculpi poteſt nullus. Legit olim, neſcio quis: *Roditas*; .. *Exercitus* .. *Omnes Ductores*; ſed laudatus Paſqualigus interpretatur: *Rodiis* ... *Exercitus* ..... *Et Preces*.

CAPUT V.

SEPULCHRALES ETHNICORUM LAPIDES GRÆCE' INSCRIPTI.

UT Diis Manibus ſollemni illa formula D. M. S. ſuorum loculos ſacros Latini voluere, ita ex eadem ſuperſtitioſa Religione ſiglis hiſce Θ. K. ideſt *Diis Inferis* Græci ſepulchra devoverunt. Sicubi igitur hæc invenies, ad Ethnicos hujuſmodi ſpectare titulos dubio procul arguas. Editos hic primùm à Gualtherio, & Carrera exhibeam, mox verò anecdotos.

I COCIAEΛΑΤΗ

ΓΛΥΚΥΤΑΤΗ

ΑΦΡΟΔΕΙCΙΟC

CYMBIOC.

Exſcripſit Gualtherius in Meſſan: edit: num. 45. ſub titulo *In foro merceri, ſeu mercati Lunæ apud Vincentium Majorana in Urnula marmorea recens*

cens reperta in Vinea Mora. Interpretatur: *Soſiæ Elatę Dulciſſimæ Aphrodiſius Maritus*. Prope Urbis mœnia ſitam hanc Vineam, Urnulam verò in Civilis Baſilicæ atrium translatam prodit Carrera (*a*) Legit, & ipſe titulum hoc pacto: *Soſia Elate Dulciſſima Aphrodiſius Contubernalis*. Subditque vocem CYMBIOC pro eo, *qui convivit* à Græcis uſurpari; tum improprie *Dulciſſimam* Soſiam uxorem Aphrodiſium appellare; denique rectum utriuſque nominis caſum Urnulam utriq; poſitam arguere. Sed Græcè doctis Gualtheriana arridet interpretatio; innumeras enim apud Gruterum, alioſque offendes inſcriptiones, ubi CYMBIOC redditur *Maritus*, Uxoremque *Dulciſſimam*, aut *Dulcem Animam* appellant conjuges. Quinam porro magis interſeſe, quam conjuges convivunt? Quod ſi urnula utriuſque cineres clauderet, quis unquam *Dulciſſimæ* titulo *Soſiam* compellaret? num formula, quæ Marito incongrua dicitur à Carrera, apte ab alio, qui epigramma poſuit, uſurpatur? Scripta cæterum in caſu recto Sepultorum nomina cum in Græcis, tum in Latinis Epitaphiis paſſim invenies; *Soſiam* hanc, cui tumulum poſuit *Aphrodiſius* Lucii Manlii Soſis gentilem credit idem Carrera; hujus autem meminit Cicero in Famil. (*b*) Civemq; Romanũ factũ dicit. En vero lapis alius, ubi de Soſiis mentio

(a) Lib. 3. cap. 8.

(b) Lib. 3. Ep. 30.

II ΚΟΥΙΝΤΟΣ ΣΟΣΣΙΣ
ΚΑΙ ΠΕΤΡΟΝΙΑ
ΣΟΣΣΙΑ ΧΕΙΑ
ΤΗϹΤΑΤΡΙΖΗΣ ΑΣΗ
ΕΤΗ Ι ΗΜΕΡΑ ΚΒ

In

In turre Guttierræ la Valle Baronis del Cugno, ait Gualtherius Edit: Meſſan: num: 64. *in tumulo ſtriato*. Interpretatio hæc eſt: *Quintus Soſſis Et Petronia Soſſia Chia Filiæ, Quæ Vixit An.* x *Dies* xxii. Vidit hanc urnam Archangelus, deſcripſitque in ſua Catanæ Hiſtoria (a) *Superior*, inquiens, *Turris contignatio ab Laurentio Joenio Viro Patricio appellatæ, ſepulchro ſeptempedali ex albo marmore, elegantiſſimi artificii nobilitatur. In cujus antica facie hominis figura in orbe conſpicitur aperto capite, brevique capillitio, Græcorum more cingulotenus induti, qui muſicale inſtrumentum, lyræ non abſimile, fidibus quatuor inſtructum veluti temperat. Sequitur Inſcriptio* ΚΟΥΙΝΤΟΣ &c. *ſub qua binæ vulpes, ſeu Canes caudis implexis, ſeſeque invicem aſpicientes effinguntur.* Carreræ ætate tumulus in uſus præpoſteros à quopiam imperito fortaſſe collocatus non extabat, ut ipſe dolet, ſed ab elegantia ejuſdem, ac magnitudine, Decenni puellæ alioqui appoſiti, gentis Soſiæ nobilitatem juremerito arguit. Hanc porro inter Patricias olim Catanæ Archangelus enumerat. Eadem apud Romanos Conſularis, Cajus enim Soſius Nepos anno Urbis Conditæ DCCXXI cum Cneo Domitio Aenobarbo Conſul proceſſit.

(a) Lib. 2. cap. 21

III.		
	Θ Κ	Θ Κ
	ΠΥΕΙΜΙ	ΚΟΥΝΤΟC
	ΤΕΙΒΕΧΡΗ	ΒΙWCΕΤΗ
	ΤΕΧΑΝΡΕΕ	ΙΔΚΟΠΡΙΑ
	ΖΗCΕCΕΤΕ	ΜΗΤΗΡΕΝΘΙ
	Θ	ΗCΕΝ

Retu-

Retulit in Panormitana editione Gualtherius num. 71. ſub titulo: *Apud Hieronymum Grecuzzam in regione S. Philippi marmor utrinque inſcriptum, & perparvulo cippo olim impoſitum*. Quum verò lapidem abs Hieronymo impetraſſet, inter Meſſanenſes, libro ſecundis curis edito, recenſuit n.12. *Apud Authorem*, inquit, *ſervantur domi Joannis Tuccari. In marmore utrinque inſcripto perparvulo cippo olim impoſito. Dedit Catanæ Hier. Grecuzza Pharmacopola in regione S. Philippi*. Interpretatur porro primum Epigramma ſic: *Diis Inferis. Pyimi Tiberi .... Vixiſti Ann.* IX. Quæ quidem lectio parum accurata. Hinc Eruditiſs. Paſqualigus emendat titulum hoc pacto: ΠΡΕΙΜΙ ΤΕΙΒΕ. ΧΡΗCΤΕ. ΧΑΥΡΕ. ΕΖΗCΕC. ΕΤΗ. Θ. Redditque latinè: *Primitive Dulcis Salve. Vixiſti Annos* IX. Jamvero alterius Epigraphes hæc eſt interpretatio. *Diis Inferis. Quintus Vixit Annos* XIV. *Copria Mater Poſuit*. Sed illud hìc advertam: à Gualtherio Inſcriptiones haſce cum aliqua characterum varietate in utraq; referri editione. Juxta Meſſanenſem exſcripſi Ego, quam accuratiorem exiſtimo; lapis enim in Gualtherii tunc erat poteſtate, quem idcirco maturius potuit ille conſulere. Neque verò Authoris oſcitationi id tribuendum; evanidi enim characteres accuratiſſimos etiam quandoque in errorem inducunt. Hinc varia unius, ejuſdemque lapidis lectio apud celeberrimos ſcriptores ſæpiſſime occurrit, ipſeque Carrera, qui Gualtherium exagitat, in eumdem incidit ſcopulum, ut vidimus cap. IV num. 3. Cæterum ex hoc duplici Epitaphio eruimus *Copriam* duobus filiis *Primitivo*, & *Quinto* cippum ſepulchralem poſuiſſe. Vixit ille annis novem, hic verò quatuordecim, quod ſi Ro-

mano more pueris hiſce à Parentibus nomen impoſitum, juxta nativitatis ordinem, prior natu aliquot annis ſua morte minoris obitum præceſſit.

IV. CTEΦAN....

EZHCEE

TE AHKA.

HMEPEC

Γ

Inter deperditas recenſet laudatus Gualtherius Meſſan: Edit: num. 62. redditque: *Stephanus Vixit Annos* XIIX *Dies* III. Sed circa annorum notas calamo etiam ceſpitaſſe virum alioqui Græcè doctum nonnulli putant; Unde enim eruit ſiglis illis AHKA. Denotari numerum XIIX? Legit ergo Paſqualigus CTEΦANOC. EZHCE. ETH. NA. KAI. HMEPAC. Γ. Ideſt *Stephanus Vixit Annos* LI. *Et Dies* III. Titulum hunc Ethnicis accenſui, quod nullum, unde inter Chriſtianos rejiciam, præſeferat ſignum.

V. HΨWNWΦOC

XPHCIΘCEZHCE

ETHΓ O ΓIAKEP

MIA.

Edidit Meſſanæ Gualtherius num. 334. qui in S. Mariæ de Licod'a Benedictino Cœnobio titulum in Ætnenſi lapide inſcriptũ legit. Interpretatur autem: *Pſonophus Chreſii F. Vixit Ann.* III. ſed aptius reddunt alii: *Pſonophus Chreſius Vixit Annos*

III.

III. *Gilcermia* Orbis medius inter extremos verſu-, an patera fuerit lacrhymis, & libationibus excipiendis juxta Ethnicorum morem pertuſa, quum lapis perierit, divinare non auſim, nec qui lapidem vidit Gualtherius, aperit. An eſt Æternitatis hieroglyphicum? An denique quadratarii arbitrio effictus? Rudera circa collem, cui Licodianum, inſidet Monaſterium, paſſim detecta, aliæque non leves conjecturæ Æthnam Catanenſis agri opidum eò loci, aut non longe ſtetiſſe arguunt, ut alibi in Apparatu ad Annales me dixiſſe memini; hic autem titulus ab ejuſdem incolis appoſitus credi poteſt; extant enim, & alia ibidem loculorum vestigia, quæ opidum non longe poſitum indicant.

VI. Θ K

ΡΟΣΚΙΑ

ΙΟΥΚΟΥΝ

ΔΑΕΥΣΕΒ

ΕΖΗΣΕΤΕ.

Titulus *Roſciæ* à conjuge poſitus, ut ex ejus interpretatione facilè eruimus, quæ talis eſt: *Diis Inferis. Roſcia Jucunda Pia Vixit Annos* ....

Conjugalis quippe amoris appellativa ſunt illa *Jucunda*, *Pia*, ut ex aliis lapidibus conſtat. Roſcia inter Romanas familias Cæſaris ævo celeberrima, de qua alibi diximus in Epigrammate Lucii Roſcii Rufi cap. II. Extabat inter veteres Inſcriptiones laudati ſæpius Civilis Baſilicæ atrii, ut Petrus Carrera, qui primùs edidit lib. III. teſtatur.

VII. ⊙ K Δ

BEIΨANIO....

ZωTIKOC....

ETHΛHPAKA....

ANΔPIEYCEB..

Marmor prope aquilonares Urbis muros inventum, diſtractumque, ſed integræ intelligentiæ, adnotavit idem Carrera, qui male eſt interpretatus. *Diis Inferis Datum. Vipſanius Zoticus* .. *An.* xxx.. .. *Andri Euſebi*. Vera enim ipſius lectio: *Diis Inferis Sacrum, ſive Dicatum. Vipſanius Zoticus Vixit Annos* xxx *Heraclea Viro Pio*. Supplendũ quippe BEIΨANIOC. ZΩTIKOC. EZHCE. ETH. Λ. HPAKΛEIA. ANΔPI. EYCEBEI. Sigla ⊙KΛ quæ latina imitantur ſatis vulgata D M S. rariſſimè in Siculis Græcis titulis occurrunt. Poſtremus verſus neſcio, cur imperfecti ſenſus viſus ſit Carreræ; Heracleæ enim uxoris erga Vipſanium clariſſimè officium exprimit: *Viro Pio Poſuit*. Gens Vipſania, Urſino teſte, celebris inter Romanas, ex qua M. Agrippa, qui Octaviano Auguſto ſtrenuam in Sicilia operam navavit, ortum duxit.

VIII. ΔIONYΣIOY

In olla fictili puerilibus oſſibus plena an. MDCXXVIII. eodem Carrera teſte, prope Urbis mœnia defoſſa, quæ literis hiſce notabatur, *Dionyſii* mortui, nomen exprimentibus.

IX.

IX. ... ΜΑΡΚΙΑΝΟϹ . . .

. . . ΑΜΕΝΟϹΤΗϹ . .

. . . ϹΤΙΟΙϹΑΝΕΛΕ .

. . . ΚΑΤΕΡΧΟΙ . . .

. . ΜΕ . . . ΙΕΡΩΝΕΙ

Protulit Carrera ex marmore utrinque, & infra perrupto, quod anno MDCXXXVIII. Aprili menſe in novæ Eccleſiæ ſub S. Joannis Baptiſtæ titulo fundamentis effoſſum, characteres temporum injuria pene detritos habens, in Civilis Conſilii baſilica una cum aliis fuit locatum: Singula porro verba, primo, ac ultimo exceptis, trunca ſunt, nullamque intelligentiam reddunt: *Marcianus*, cujus eſt titulus; *Hieroni*, nomen fortaſſe illius, qui Marciano memoriam poſuit. *Amenos in ſecundo verſu*, ſubdit Carrera, *forte denotat Chamaſenum flumen, quod Pindarus Amenos dixit*. Verum tanti viri pace, vox *Amenos* ad Marcianum ſpectat, eſtque Græci participii deſitio; in lapide aliunde ſepulchrali Amenani fluminis mentio incongrua.

Hactenus Græca Epigrammata à Gualtherio, & Carrera edita, quæ Ethnica omnino eſſe videntur; reliqua, quæ tituli Chriſtiani clariſſima habent ſymbola in claſſem ſequentem merito rejicimus, veluti illa, quæ mortis diem exprimunt. Obſervant quippe Eruditi ex diei mortualis deſignatione Chriſtianorum Epitaphia ab illis Ethnicorum facile dignoſci; apud hos enim dies mortis, utpote infelix, & nefaſtus ſilentio premebatur. Hinc

Ma-

Mabillonius in Appendice ad Epiſtolam, quam ſub Euſebii Romani nomine edidit, circa ignotorum Sanctorum cultum, ſcribit: *Unum adiicere lubet, de quibuſdam notis, quæ tumulos Paganorum diſtinquunt. In his cenſenda puto eſſe vocabula*: Depoſitus, *ſeu* Depoſitio: Quieſcit in Pace: Vixit in Sæculo: Tranſiit: Bonæ Memoriæ: *Quæ, baud ſcio, an unquam Paganis tributa reperias. Idem mihi cenſendum videtur de notatione Kalendarum, Nonarum, & Iduum in Epitaphiis, quæ rariſſimè, ſi tamen unquam, in Epitaphiis Gentilium occurrunt.* Ejuſdem fuiſſe mentis Raphaelem Fabrettum alibi laudatum, Juſtum Fontaninum, Carolum Cæſarem Malvaſiam, alioſque refert Lupus, §. 11, quorum tamen ſententiam eſſe cauta limitatione accipiendam, nonnullis Ethnicis prolatis titulis, idem demonſtrat. Sed jam ad ineditos lapides accedamus.

X. ΕΝΤΑΥΘΑ
ΚΙΤΕΠΕ
ΤΡΩΝΙΟC
ΤΕΛΕΥΤΗ
CΑCΕΤΩΝ
ς

Nempe: *Hic Jacet Petronius, Qui Obiit Annorum Sex*. Hunc titulum anno MDCCXL. menſe Aprili extra Steſichoream, ſeu Acis portam refoſſum Ethnicis adjudieo, quod omni piæ religionis careat ſigno. Intulit in domeſticum muſeum Ignatius Rizzarus Vir Patritius alibi commendatus. In ejus ectypo characterum figuram religioſe obſervatam volui, ut aliorum qui ſequuntur, ſpecimen habeas; eadem quippe forma effingi complures

plures opportune adnotabo, rudique charactere expreſſos dicam. In critica porro ſcripturæ emendatione, non eſt, quod immorer; Nedum enim in hoc *Petronii*, ſed & in aliis, quos afferam lapidibus, literæ ſuldeque habitæ occurrunt, ac innumera pene ſphalmata, quæ aut Quadratarii imperitia, aut temporum barbaries invexit, paſſim obſervantur. *Didici* inquit Antonius M. Lupi (*a*) *longa multorum lapidum obſervatione non eſſe in omnibus omnino lineis, ac ductibus antiquarum inſcriptionum ſiſtendum, cum de monumentis barbare ſcriptis agitur, quæ & neceſſariis deficiunt, & ſuperfluis abundant.* Hinc in eorum lectione ſenſum potius, quam literas attendamus, oportet.

(a) *Epith. Sever.* §. 18.

XI. ....OΠWIENE XPRCTE

ϷAIPE p EZH

CEC ETH I. 

Marmorea urnula vix palmum excedens penes eundem Rizzarum, ab imperito artifice literata, rudique ſcalptro, & charactere effecta; Lectio enim recta videtur: OΠOPEINE·XPHCTE XAIPE EZHCEC ETH I. Ideſt *Oporine Suavis Salve. Vixiſti Ann.* x. Media illa interpunctio monogramma, Chriſti ſacrum exprimens nomen, plerîſque credebatur; ſed Urna decennis pueri ſervandis ſolum cineribus apta titulum Ethnicum eſſe dubio procul arguit. Nam Chriſtianis cremandi corpora, mos fuiſſe, nullibi mihi lectum. Cordis ſive folii figura ejus, qui lapidem poſuit, affectum, aut dolorem deſignat, ut alibi expendi, ac fortaſſe Artificis ingenio effecta.

XII.

XII. ΛΟΥΚΙΦΕΡΑ
ZωCAEAY
THEΠΟΙΗCEN
ΚΑΙ ΤΟΙCΙΔΙΟΙC
ΠΑCIN

Lapis in via, quæ ad ſuburbium ducit, extra Steſichori portam refoſſus, ejuſdemque Rizzari Muſeo acquiſitus latine ſic redditur: *Lucifera Vivens Sibi Ipſi Fecit, Et Suis Propriis Omnibus.* Ideſt Filiis; prognatiſque; quas ſane formulas, & in aliis Epitaphiis ſequenti Capite offendes. Hujus porro tituli characteres ſunt etiam rudes.

XII. ωΡΑΙΑ
ΧΡΗCΤΑ. ΚΑΙ
ΑΜΕΜΠΤΕ
ΧΑΙΡΕ

ΚΑΜΕ. ΧΡΗCΤΕ
ΚΑΙ. ΑΜΕΜ
ΠΤΕ. ΧΑΙΡΕ

ΟΥΡΒΑΝΙωΝ
ΓΟΝΓΕ. ΚΑΙ
ΧΡΗCΤΕ. ΚΑΙ
ΑΜΕΜΠΤΕ
ΧΑΙΡΕ

Obtulit hunc triſomi ſepulchri titulum in pario marmore, quod palmos circiter tres in longitudine, unum verò in latitudine æquat, rudi charactere exaratum Joanni Rizzaro, ut in muſeum inferret, equeſtris ordinis vir Xaverius Ricciolus, Benvini Baro. Vertit Paſqualigus: *Horæa Suavis Et Inreprehenſibilis Salve. Game Suavis, Et Inreprehenſibilis Salve. Urbonion Proles Suavis, Et Inreprehenſibilis Salve*. Alia verò nec abſimilis Joſephi Vincii Meſſanęnſis Græcè docti interpretatio hæc eſt: *Horęa Bona Et Inculpabilis Salve. Game Bone, Et Inculpabilis Salve. Urbane Fili Bone Et Inculpabilis Salve*. Uterque Interpres obſervat in vocem noni verſus ex Quadratarii inſtitia Γ. irrepſiſſe poſt N. hinc legendum ΓONE *Fili*, ſeu *Proles*.

XIII. ⊙ ❦ K ❦

ΠECKENNJC

KΑΛΛΑΤΙΧΟC❦EZH

CQN❦CTH❦QЄΓ.ЯMↄ

ΠECKENNIA

ΓΛMIKH IXNΔTJ

Erutus hic lapis, anno MDCCXXVI, dum Petri Tedeſchi Villermoſæ Baronis domus fundamenta extra Steſichori portam ponerentur, rudi ſcalptro literatus. Cujus hæc videtur interpretatio: *Diis Inferis.. Feſcennius Calathicus Vixit Ann*: LXXIII *Menſes* III. *Feſcennia* Uxor *Veſtigia Sequitur*. Legit enim Paſqualigus, qui latinum reddidit, hoc pacto: ΠECKENNIOC. KΑΛΛΑΤΙΧΟC. EZH-

CEN, ETH OΓ M, Γ, ΠECKENNIA. ΓAMITH, IXNATAI. De Cordiacis interpunctionibus alibi dictum; ſed illud hic peculiari obſervatione dignum, quod annorum etiam notæ interpugnantur.

XIV. Z, AC..........

ΛIAς..........

CYMBIOC......

KTHCAMEΘ......

KAΘAPAN KAI EOE...

CAMEN KAI EΠOIHCA..

KOITωNAE AYTOH..

C KΛHPONOMOI...

...PANΓEΛΛOMEN..

..ΘACHENΘAΔEI..

....EONI.........

Marmor undique diffractum, ſepulchro, quod ſibi ipſis condiderunt Maritus, & Uxor, ſuiſq: etiam hæredibus addixere, appoſitum creditur ab Eruditis, idque ex aliquot vocibus integris, nullum interſeſe opportunum ſenſum ob aliarum defectum reddentibus, eruunt; Habet enim tertius verſus CYMBIOC ideſt *Maritus* ſive *Contubernalis*, octavus KΛHPONOMOI *Hæredes*; in aliis verò mutilæ quidem, ſed quæ ad eamdem nos ducunt intelligentiam, extant dictiones. Inventum ſub S. Catharinæ Senenſis Eccleſia non multis

multis ab hinc annis S. Nicolaj de Arena muſeo fuit acquiſitum, ubi hodie aſſervatur, habetque rudes characteres.

XV. AYPHΛIO

C PECTOYTOC

KAI ZΩCIMH

HΓOPACOMEN

. KTΩNIΓEΩIN

. . NENBACIN

In via, quæ ad S. Agathæ ſuburbium ducit, anno MDCCXL. refoſſus, atque ex dono Ignatii Rizzari in laudatum S. Nicolai muſeum illatus latinè redditur. *Aurelius Reſtutus*, *Et Zoſima Eximius De Propriis.* Characterum ſpecimen æquè ut in aliis rude.

XXI. TYMBONHPACΠAPOΔEITPIKΛEITHC

POΔOΓOYNHCHNKTANENOYXOCIΩC

ΛAECIΔEINOCANHPKΛAYCEΔEKAPTAP

XYCEABIANIOCHNΠAPAKOITIN KAI

BAIHNCTHΛHTHNΔAΠEΔCIKEXAPIN

ONOMATOΠPINMEΠACEKΛHZEN

EΠAΓAΘΩ

NYNAEPOΔOΓOYNHBACIΛIΔOC

TOEΠΩNYMON

 Ideſt

Ideſt: *Sepulchrum Vides Viator Inclitæ Rhodogunes, Quam Occidit Injuſte Populis Gravis Vir. Flevit Verò Et Sepelivit Abianus Uxorem, Atque Parvum Hunc Cippum Reddidit In Gratiam. Nomine Prius Quiſque Me Vocabat Epagatho, Nunc Vero Rhodogunæ Reginæ Cognomen*. Dignum ſane Epigramma, quod hanc de Paganorum titulis claudat claſſem. In Palatio Senatorio. Refert Clar. Muratorius Tom. III. Theſauri pag. MDCCXXXVI. num. 7. ſed integrum non legit. Interpres in aliquot verſibus præſertim ultimis, ſenſum dedit, ne barbara latina eloqutio evaderet, ſi verba redderentur. Primos quoque verſus alius Græcè doctus Romæ hoc pacto vertit. *Tumulum Cernis Viator Celeberrimæ Rhodogunes, Quam Interfecit Uchoſius Populis Gravis Vir*, Legit enim in ſecunda, & tertia linea: ΟΥΧΟϹΙΩϹ. ΛΑΕϹΙ. ΔΕΙΝΟϹ. ΑΝΗΡ. Vocem ΕΠΑΓΑΘΩ denique *Læta Sorte* interpretatur. Muratorii lectio eſt: *Sepulchrum Hoc Cernis Viator ... Celebris Rhodogunæ, Quam Occidit Impie Linus Maritus Flevit Autem ...*

CAPUT VI.

CHRISTIANA EPITAPHIA.

Ab iis exordiar, quæ in Gualtherianis Tabulis exhibentur mox anecdota proferam, & bene multa ab antiquitatum amatoribus cuſtodita.

I ✝ ΤΙΤΟϹ ΟΑΙΛΙϹΒΙΚΤΩΡΕΙΝΟϹΕΖΗϹΕΝ-
ΕΤΗ.ΙΞ.ΜΗΝΕϹ.Ε.ΗΜΕΡΑϹ ΙΖ.ΑΔΕΛΦΟΙ
ΕΥϹΕΒ ΕΙϹ ΕΠΟΙΗϹΑΝ ϹΥΝ ΜΗΤΡΙ-
ΕΚΤΩΝΑΥΤΟΥ.

Quum

Quum ob paginæ anguſtiam pingi primus verſus per extenſum non poſſit, obeli appoſiti interruptam ſeriem oſtendunt. Nota Gualtherii in Meſſanenſi editione num. 36. ad hunc titulum hæc eſt: *In prægrandi Urna marmorea, in cujus medio ſtemma viri veſte talari orbi incluſum, utrinque nudus puellus, hic equo inſidet, dextra habenas, læva coronam lauri tenens, ille eundo equum ducit, ſiniſtra ſceptrum. Illi* MEMΦIC *Memphis, huic* ƆIONƎꓘƎ∇ *Decennis adſcriptum. Tegulę impoſitæ titulus inſertus.* Cujus latina juxta eumdem hujuſmodi eſt lectio: *Titus Aelis Victorinus Vixit Annos* XVII *Menſ.* V. *Dies* XVII *Fratres Pii Fecerunt Cum Matre De Suis.* Lapidē Chriſtianum triumphale divinæ Crucis ſignum ſatis denotat in ipſo epigrammatis exordio. Sarcophagi ornamenta Equus ſcilicet, cui puer inſidet, Lauri corona, ſceptrum ſepulti equeſtrē fortaſſe dignitatem, gentiſq; excellentiam exprimunt; magiſtratus enim indicia in juvene annorum XVII fuiſſe ſibi perſuaſerit nemo. Nec priſcis aliunde Chriſtianis Equorum imagines ſepulchris appingere alienum, quin hujuſmodi teſſeris ipſa etiam Epitaphia fuiſſe inſignita clariſſimus Boldectus, ac noviſſimè Lupus in notis ad S. Severæ Titulum oſtendunt. Virilis figura an Titi Aelis imaginem referebat? Voces *Memphis, Decennis,* quò velint alludere, penes me incertum. Cæterum Urna inter terræmotus ruinas fortaſſe periit.

II ΕΝΘΑΔΕΚΙΤΕΒΙΚ

ΝΑ ΖΗϹΑϹΑ ΕΤΗΛ̅

:. ΤΑ ΤΗΠΡΟ ̅ς ΕΙΔ .:.

Α ☧ ω

Retu-

Retulit Gualtherius Typis Meſſanenſibus num. 40. Legitur *Hic Jacet Vicna, Quæ Vixit Annos* xxx. *Mortua Die Ante* VI *Id:... Alpha*, *Chriſtus*, *Omega*. Supplendum nempe in tertio verſu verbum ΤΕΛΕΥΤΑ. *Die Ante* VI *Idus..* conſueta formula in lapidibus cum Græcis, tum Latinis, ut inferius expendam, pro *Die* VI *Ante Idus*. Extrema ſigla Chriſtum Dominum juxta vulgarem Divinæ Scripturæ phraſim Principium, Finemque rerum omnium eſſe ſignificant. Chriſti porro Monogrammati ☧ non ante impii Arii nefariam Hæreſim appictas vocales Α. Ω ad Filii æqualem cum Patre naturam denotandam, nonnullis perſuaſum; Sed ante Conſtantinum id ornamenti, ac decoris Chriſti nomen tuliſſe alii oſtendunt; quamvis poſt execrabile Arii dogma crebrius hæc ſymbola ſuis inſculpſerint Cœmeterialibus ſaxis Chriſtiani, ut Antonius M. Lupus obſervat (*a*) in laudatis ad S. Severæ Epitaphiū notis.

(a) §. 14.

III

⁝..ΑΜΑΔΙΟΥ. ΤΟΥ

⁝. ΗCΠΕΛΑΠΑCΕ..⁝

⁝..ΤΗ Μ̊ ΙΑ ΚΑΛ..⁝

⁝..Υ ΤΕΛΕΥΤΑΔ..⁝

⁝..ΠΤΕΜΒΡΙѠΙ..⁝

⁝..ΕΜΟΝΑΝΔΡΟ

Lapidis hujus interpretationem omiſit Gualtherius, qui num. 41. in Meſſan. Editione exſcripſit. Et integer quidem ex illo, utpotè diffracto, nequit extundi ſenſus, legi nihilominus poſſet: *Amadii... Die Ante* XI *Kal..... Moritur* IV *...... Septembres .... Virum Meum* Ex quibus *Amadii* loculo titulum adheſiſſe ab uxore

poſi-

poſitum aſſequimur. Monogramma M̊ frequentiſſimè in aliis occurrit epitaphiis infra afferendis; ſtat enim loco ΠΡΟ, legiturque *Ante*. Formula hæc, ut paullò ante annui, frequenter cum in noſtris, tum in aliis lapidibus legitur; Græcis vel maximè; In Latinos verò nonnunquam eam irrepſiſſe admonuit Eruditiſſimus Antonius Lupus, ſed minus barbarè expreſſam. En illius verba (*a*) AD. XII. K. MAR. *Antiqua lis inter Grammaticos, utrum quæ in antiquis libris inveniuntur notæ* AD, *legi debeant* Ante Diem *vel* Ad Diem Septimum *exempli gratia* Kalendas Majas. *Definitur lis ab interpoſitis inter utramque literam punctis, quæ ſæpe in his titulis ſunt.* Atque XXII producit tabulas, ubi clariſſime A. D. effinguntur; tum ſubdit: *Quid quod & illa loquendi formula*: Ante Diem, *non verò* Ad Diem, *barbarè quidem, ſed tamen clare apparet in titulo n. 6. ubi Claudius ille male latinizans græcitat.* ANTI ΔΙΟΝ ΤΕΡΤΙΟΝ ΝΩΝΑΙC *pro Ante Diem Tertium Nonas.* Sed si corrupta eloquutio, ac barbara merito dicitur illa, quæ Latinis obrepſit: *Ante Diem tertium Nonas*; ne inculto etiam loquendi modo deinceps utamur, Græca reddendo epigrammata, latinā phraſim uſurpabimus, quam paſſim interpretes ſequūtur.

(a) *In Epit. Severæ Martyr.* §. 11.

IV. ....ΤѠΝ........

....ΕΤΗΟ........

..ΤΕΛΕΥΙΑ......

..ΕΖΗΞΕΝΟΞ..

ΤΟΡΝΙΛΟΞΕΝ..

ΤΗΠΡΛ.5.ΚΑ...

....

In

In Appendice ad Meſſanenſem editionem n. 14. Gualtherius *Catanæ eruta in S. Spiritu. Attulit Laurentius Archangelus J.C. Catanenſis miſſam ab ipſa Civitate*. Refert etiam Carrera lib. III qui extremos illos characteres kA Catanam deſignare tradit. Sed nota numeralis Ϛ. clariſſimè indicat legi debere VI. *kalend.* Reliqui verſus quamvis mutili, ac peſſime expreſſi redduntur *Ton*... .... *Ann.* LXX..... *Moritur*.. *Vixit*........... *Die Sexta Ante kal*: vel ad verbum *Die Ante* VI. *ka.* Illud enim ΠΡΔ loco ΠΡΟ irrepſit, quemadmodum in ſecundo verſu ΤΕΛΥΙΑ loco ΤΕΔΕΥΤΑ. Vox quinti omnino implexa.

V

Α ☧ ΔΡΙ

ΑΝΟϹ ΚΑΙ

ΔΕΥΤΕΡΙΑ

ΖΗϹΕ...

....

In æde Laurentii de Urſo in quodam anciportu in lapide atro Catanenſi. Ita Gualtherius typis Meſſan: num. 47. Sed Carreræ ævo, qui titulum refert, in Civilis baſilicæ atrio, ubi hodie perſeverat. Male porro exſcripſit Α+ΔΡΙ; Chriſti enim Domini monogramma continet. Id ante Conſtantinum ab antiquis Chriſtianis, aut ſolitarium, aut ſiglis additis Α & Ω, ut vidimus, in Epitaphiis vel maximè adhibitū teſtatur Boldectus in Obſ. ad Inſcr: Vet. Sepul. Expoſuit ſane Conſtantinus juxta Euſebium (*a*) publicè omnium primus in Labaro, ſemperque deinceps in caſſide effictum geſtare conſuevit. E Labaro ſubinde Julianus Apoſtata ſubſtulit, ejuſque loco epigraphen S. P. Q. R. appoſuit; Sed Jovinianus mox ſubſtituit, ut ad

Ann:

(a) *Vita Conſt. l. 1 cap. 25.*

Digitized by Google

Ann: CCCLXIII. Baronius ſcribit. Hinc, quam male audiant nonnulli aſſerentes, ab uſu profano ad Sacrum notam illam tranſtuliſſe Conſtantinum, ad evidentiam oſtenditur. Extat in Ptolomei Ægypti Regis numo ☧, ut Burchardus *in Epiſ. ad Joan. Ciampinium* de hoc Monogrammate ſcripta prodidit. Sed Nicolaus *De Siglis Veterum* Pignorii explicationem adducit, qui putat ſignum fuiſſe nominis, illius, qui cudi curaverat monetam, Exempli gratia: Chryſtodori, Chryſogoni, Chryſantii; tum aliorum ſubdit, convellitque ſententiam, qui Ammonis Oraculi teſſeram arbitrantur.

VI ΚΑΛΛΙΣΙϹ ΚΑΙΕ ·····
ΚΑΡΠΙΛΟΙΦΙΛϹ ΓΟΙ
ΓΟΙ ΣΟΝΤΕΣ ΕΑΥΤΟΙΣ
ΕΠΟΙΗΣΑΝΚΑΙ ΤΟΙΣ
ΙΔΙΟΙΣ ΕΙΡΗΝΗ ΠΑΣΙ

Anecdota Inſcriptio poſt annum MDCCV inventa, elegantique charactere expreſſa, penes Joannem Amicum, & Statellam virum Patritium, cujus hec eſt interpretatio. *Calliſius Et E.. Carpiliphila Jugales Viventes Sibiipſis Fecerunt. Et Suis Propriis. Pax Omnibus*. Vox illa ΓΟΙΓΟΙ legenda pro ΖΥΓΙΟΙ ΚΑΡΠΙΛΟΦΙΛΟΣ. Pacis apprecatio è ſacris paginis deſumpta in mortualibus Chriſtianorum titulis frequentiſſima.

VII. ΕΖΗϹΕΝ.ΜΑΡΤΙΡΙΟϹ.ΕΤΗ.ΕΙΚΟϹΙΑ.ΥѠ
ΕΙΡΗΝΗ ϹΟΙ ☧ϹC

Hieronymus Fauliſius latinam fecit, mox ut inventa hec Inſcriptio fuit anno MDCCII, quum S. Ca-

 tharinæ

tharinę Senenſis Ord: Prędicatorum Cęnobii fundamenta ponerentur: *Vixit Martirius Annos Viginti Duos. Pax Tibi. Chriſtus*. Monogramma juxta Chavalerium alioſque: *Pro Chriſto* legitur, proin in ſignum martyrii vulgari opinione creditur exculptum. Sed hi profectò hallucinantur, non enim ex Latino P. & Gręco charactere X efformatur, ut optimè Burchardus obſervat, ſed ex gręca dictione XPICTOC ex primis literis & ultima XPC. Sicubi igitur hęc teſſera occurrit, nonniſi Chriſtianum deſignat Epitaphium.

VIII

ΕΝΘΑΔΕΚΙ
ΤΕΚΕΚΙΛΙΑ
ΝΟϹΖΗϹΑϹ
ΕΤΗ ΚΕΙΡΗ
ΝΙΙΥΜΙΝΠΑ
ϹΙΝΕΝ ΘѠ



Nempe *Chriſtus Dux Salutis*: *Hìc Jacet Cecilianus*, *Qui Vixit Annos* xx. *Pax Sit Omnibus In Deo*. *Chriſtus Princeps Salutis*. Servat lapidem vulgari artificio literatum, in via, qua ad Suburbium itur, anno MDCCXL refoſſum, Ignatius Paternionius alibi laudatus ex dono Jacobi Paternionii. De Monogrammatis jam ſupra prolixè. Avicula, ſive Columba oleæ ſurculum ore præferens, frequens ſymbolum ad pacem manibus impetrandam fortaſſe alludens; ut olim Noe, ejuſque filiis in Arca Columba cum olivæ ramo læta nunciavit, aquaſque Diluvii jam ceſſaſſe ſuper terram, oſtendit.

IX

IX ΕΤΕΛΕΥΤΗϹΕΝ

ΙΟΥΛΙΑΝΟϹ ΙΤ

ΠΡΟ ΙΕ ΚΑΛ

ΑΠΡΙΛΙΩΝ ΖΗ

ϹΑϹΕΤΗ Ν

Α ☧ Ω

In Joannis Rizzari muſeo marmor inepto etiam charactere notatum, atque in memorata ſæpius Steſichori area anno MDCCXL inventum latinè ſic redditur: *Mortuus Eſt Julianus Die xv Ante Kalendas Apriles, Quum Vixiſſet Annos* L. *Chriſtus Alpha Omega*.

X ΓΙΡΙΓΟ ΜΕΝΗΕ

ΕΤΕΛ ΕΥΤΗ

ϹΕΝ ΖΗϹΑϹ

ΕΤΗ Λ ΚΑΙ ΕΝ

ΘΑΔΕ ΚΙΤΑΙ

☧

Idest *Girigomenes Mortuus Eſt, Quum Vixiſſet Annos* XXX *Et Hic Jacet. Chriſtus.* Eodem in loco cum ſuperiori titulo repertus, rudique ſcalptro exaratus, in laudato Rizzari muſeo una cum aliis viſitur. Ultima primi verſus litera E pro C, ex quadratarii imperitia irrepſit, qui ejuſdem etiam vocem inepte diviſit, ut & illam ſecundi.

XI ΕΝΘΑΔΕΚΙΤΕ

CѠΤΗΡΙC ΤΕΛΕΥ

ΤΑ ΤΗΠΡΟ Γ̄ ΚΑΛ

ΔѠΝΔΕΚΕΜΒΡΙ

ѠΖΗCΑCΑΕΤΗ

Ν̄ ΧΡΗCΙΑΝΗ

Α ☧ Ѡ

Anno MDCCXXXIX in via, quæ ad ſuburbiū ducit, refoſſa Inſcriptio hæc, ab imperito ſcripta, muſeo Ignatii Paternionii Biſcaris Principis fuit accquiſita; Sic autem videtur explicanda: *Hìc Jacet Soteris, Quæ Obiit Die* III *Ante Kalendas Decembres, Quum Vixiſſet Annos* L *Chriſtiana. Chriſtus Alpha Omega*.

XII ✝ ΕΝΘΑΔΕΚΑΤΑΚΙΤΕ

ΗΤΗCΜΑΚΑΡΥΑCΜΝ

ΗΜΗC ΕΥΛΙΒΑΜΝΗCΕ

ΤΗCΟΙѠΘΕΕΙC

Legit Franciſcus Paſqualigus *Hìc Jacet Bonæ Memoriæ Euliba. Recordetur Tui Deus*. Poſtremas enim dictiones corrigit hoc pacto: ΜΝΗCΑCΘѠ. COY. Ο. ΘΕΟC. Refoſſus hic lapis eodem anno in memorata Steſichori Area penes Joannem Rizzarum aſſervatur.

XIII

XIII ETEΛEYTHCEN

TYXHΛΛOCTH

ΜΗ ΔΕΚΑΠΕΝΤΕΚΑ

ΛΑΝΔΩΝΙΕΝΟΥΑΡΙ

ΩΝ ZHCACETH Π

ΚΑΛΟΝΒΙΟΝΖΗCAC

HΓOPACENEAYTΩKAI

TOICHΔIOIC ☧

☧

Ante aream Cœnobii S. Mariæ Annunciatæ Ordinis Carmelitarum anno MDCCXX inventus S. Nicolai de Arena muſeo fuit lapis accquiſitus. Ejus verò hæc eſt interpretatio: *Mortuus Eſt Tichellus Die Decimaquinta Ante Kalendas Januarias Quum Vixiſſet An:* LXXX *Bonam Vitam Quum Vixiſſet Emit Sibi, Et Suis Propriis*. Quilibet porro verſus ducta linea ab altero diſtinguitur; ſed rudes ſunt characteres.

XIV ☧ AΓAΘH •

ETEΛETTHCEN

ETON Ξ ΠAPA ☧

EKETHTECΘAΠOKA

ΛΑΝΔΩΝCEΠTEM

BPIΩNEΞEKONICΘH

ΔAICABBATOIC

XAPICOTTΩKIPIΩ

KAI TΩXPICTΩ

Quum ad fundandum S. Catharinę Senenſis Templum anno MDCCXXI Operę terram foderent, in ſepulchrum inciderunt cum hac tabula peſſime deſcripta, quę apud ejuſdem Cęnobii Patres aſſervatur: *Agatha Mortua Eſt Annorum* LX *Feria* VI *Nono Ante Kalendas Septembres, Delata Fuit Autem Sabato. Gratia Itaque Domino, Et Chriſto.* Eodem in loco vas vitreum defoſſum, ſed in minutiſſima fruſtra, quę digitis pertentata ſtatim diſſolvebantur, redactum, quod ſane quali ex cauſa, aut ad quem uſum fuerit ibi repoſitū, conjectare non auſim. Calices vitrei concreti ſanguinis reſperſi maculis in Cęmeteriis certū martyrii indicium; num Agatha hęc noſtra pro Chriſto martyr occubuit? In S. Hieronymi Martyrologio a Florentinio notis illuſtrato menſe Auguſto memoria Agathę martyris habetur Catanę, & rurſus menſe Februario; adeo ut prima alia ab hac ſecunda, quę & celebrior in Eccleſia, & ſub Decio paſſa, à nonnullis credatur. Sed ſunt hę dubitantis conjectiones, non docentis effata. Potuit enim Diota vitrea ad alium ethnici hominis loculum ſpectare, ac gentilium more lacrymas continere.

XV. .ICTEωC XA

..NABPAM..I

...CEIKOΛΠOIC

...AXωNEYTYXI

...NOAΔEKITE

...AC ETIΛETE

...THM̄ϚEIΔω̄

...BPIωN ⳨

Epitaphium hoc una cum urnula plumbea oſſibus ſemiuſtis plena in *S. Agathę* monialium Cęnobio circa annum MDCCXV foſſores invenerūt, qui hac illac oſſa diſpertientes, urnam in alios uſus ruſtica aviditate prępoſterè conflarunt. Illud porro ſic ſupplendum, atque explicandum videtur ΠΙCΤΕΩC. ΧΑΡΙΝ. ΑΒΒΡΑΜ......... ΚΟΛΠΟΙC....... ΕΥΤΥΧΗC. ΕΝΘΑΔΕΚΕΙΤΑΙ. ΖΗCΑC. ΕΤΗ Λ ΕΤΕΛΕΥΤΑ. ΤΗ. ΠΡΟ. ϛ ΕΙΔΩΝ...... ΒΡΙΩΝ. *Fidei Gratia Abram ...... Sinibus....... Felix*, vel *Eutyches Hic Jacet. Qui Vixit Annos* XXX *Mortuus* VI *Die Ante Idus .....bres* Combuſta oſſa an martyris, qui vitam pro Chriſto incendio conſummaverit? Mos comburendi corpora à Chriſtianis ſacris abhorret; unde in oſſibus ergo combuſtionis ſigna? Titulus etiam aliquid ſacri redolet, firmatque conjectiones.

XVI. ✢ ΕΝΘΑΔΕΚΙ......

CAC ΕΤΗ Ξ......

ΤΗ ΜΘ ΚΑΛ.....

ΚΕΝΒΡΙѠΝ.....

ΚΗ  ✢

Lapis ab altero latere diffractus ſepulti nomen haud prodit. *Hìc Jacet .... Qui Vixit Annos* LX. *Mortuus Die* IX *Ante Kalendas Decembres* Palmæ ramus, quum in Ethnicorum etiam tabulis occurrat, immerito à nonnullis velut martyrii teſſera accipitur. Sed Ethnici fortaſſe cupreſſi ſurculum exprimere voluerunt, ut alii ſuſpicantur. Quod igitur Chriſti fidelium Epitaphia paſſim hujuſmodi habeant ſymbola, ad victoriam de triumphato

mundo

mundo reportatam alludere videntur. Servatur in Joannis Rizzari muſeo.

XVII ..CMNHMHC

..ΚΑΛΟΥΒΙΟΥ

..ΥCΤΟCΠΙCΤΟC

..ΠΑΡΑΑΛΕ

..ΜΟΙΡΕΠωΝ

Ideſt.. *Memoriæ Bonæ Vitæ* ... *ȝſtus Fidelis* .... Eſt in S. Nicolai muſeo in ſemipalmari ex albo marmore ſaxo diffracto, ac difficilis idcirco lectionis.

XVIII ΕΝΘΑΔΕ

ΚΕΙΤΑΙ ΟΥΡ

COΥΛΟCΖΗ

..CΕΤΗ ΚΕΜΗ

...S. ΗΜΕΡ. Η. ΤΕΛ

..ΚΑΛ. ΑΥΓ.

In Muſeo Ignatii Paternionii in albo palmari marmore. Legitur: *Hic Jacet Urſulus, Qui vixit Annos* XXVIII. *Menſes* VI. *Dies* VIII. *Obiit kalendis Auguſti*. Inventum in Area extra Steſichori portam.

CA

CAPUT VIJ.

INSCRIPTIONUM FRAGMENTA

VEterum monumentis, proximè elapſis ſæculis, indictum Catanæ bellum quiſpiam putaret, si vel emortualium titulorum fruſtra hac illac ſimul ageſta, in locis, ubi ſua progenitores noſtri ſtatuerunt ſepulchra, aut per agros ubilibet diſperſa contemplaretur. Complures illorum particulas, unaque lucernas, ac diffracta lacrymarum vaſcula in cęmeterio prope S. Dominici Cęnobium extra męnia anno MDCCXXX. Ignatius Rizzarus vir Patritius collegit; alię & bene multę circa orientalem regionem intra Urbem, decurrente hoc ſæculo ſunt refoſſæ; ingentique pene numero per ampliſſimam, extra Steſichori portam, quæ Acis hodie nuncupatur, aream lapides in partes minutiſſimas redactos nuper inventos indoluimus, quorum vix pauci interſeſe comparati invicem cohærebant, reliqui diverſis omnino characteribus effecti penes Eruditos jacturæ ſenſum auxere. Proferam hìc eos tantùm, qui aliquot vocibus aut integris, aut mutilis conſtant, locis unde educti, ac tempore, quo ſunt refoſſi, indicatis; ab interpretatione eorumdem promenda abſtineam, quum certi aliquid vix poſſit extundi, nonnullæ verò dictiones ſunt hiſce tabellis communes, veluti: ΕΝΘΑΔΑΚΙΤΑΙ. ΖΗCΑC. ΕΤΗ. *Hic* nempe *Jacet. Qui Vixit Annos*, iiſque ſimiles. Aliquot cæterum animadverſiones quandoque, ubi opportuna ſeſe obtulerit occaſio, ſubjiciam, atque hinc ab editis inter Gualtherii, & Carreræ epigrammata exordiar.

I. ..NIAK. ΕΝΘΑΚ. ΕΝΘΑΔ...

..ΒΥΡΗ. ΖΗCΑ... ΤΕΠΙΜ...

ΕΤΟΜΗΟ ΕΤΗ Ν... ΥΠΟΔ....

.... ΚΤΩ.... ΚΕΘΥΡ...

Primum parieti Eccleſiæ S. Agathæ Veteris inædificatum adnotavit Gualtherius, protulitque typis Meſſan: Alterum, & tertium penes Blaſcum Romanum Columnam aſſervata Carreræ ævo, qui illa exſcripſit Lib. III. & in Appendice. Sed circa primum ab ſe prolatum fragmentum nonnulla infarcit, quæ verbis nullimode congruunt, ut vel ineruditis eſt palam; Legi enim debet: *Hic* .... *Qui Vixit*.. *Annos* L... Idem alterius meminit lapidis anno MDCXXXIX menſe Februario inventi in vico à *Curſu* appellato, cum notis ΠΟΑ ΛΙΒ. qui eidem Columnio fuit acquiſitus, ſubindeque in civilis Baſilicæ atrio videbatur. Pro illius interpretatione multa congerit, concluditque monumentum eſſe Belli Libyci apud Catanenſes celeberrimi, de quo alibi diximus.

II. CEINXA ΛΞΕ ΤΙΔΒΑ ΚΙ

ΜΕΝΗΝΤΩΝΛΩΙΧΘΡΩ

ΝΟC

Tituli ſepulchralis fruſtrum in *Steſichori* area anno MDCCXL inventum apud Jacobum Paternionium ſervabatur, eſtque hodie in muſeo Ignatii Paternionii.

...IO-

...IOYΓOΥΔΕΓ...	ΛΙΑΙΕΡΗ.. ΑΒΑ
...CΥN-ϚΜΕΤΘΧ..	.ΙΣ ΑΠΑ...ΑΘΙΝΙ
..CACAETH....	..ΥΤΥΧΡΑ Ͼ....
..CACATE......	..Σ INTH NANϢ
..ΓΕΝΟΥ........	...PAN......

Primum in ſepulchreto anno MDCCXXX extra mœnia poſt S. Dominici Cœnobium, de quo ſæpius diximus, refoſſum, extat in Joannis Rizzari muſeo; alterum extra Steſichori portam noviſſimè cum aliis detectum, elegantique artificio literatum, in S. Nicolai aſſervatur.

...ΝΥΕ.....	ΕΝΘΑΔΕΚ....
.IRELINQVERET	ΕΥΠΑΘΥΤ....
.ΝΡΟΥΔΙCΑΘΑΛΙ.	ΕΤΗΔΕΚ....

Illud, ut obſervas latinis, græciſque characteribus notatur. Occurrunt frequentiſſimè Latini lapides Græcis literis exarati, ab iis fortaſſe, qui ſervitutem apud Romanos ſerviebant, quique ex Græcia progeniti Romanum quidem ſermonem didicerant, aut loquebantur, ſed latinè plerumque legere, aut ſcribere neſciebant, efficti; At Latinis, Græciſque ſimul notis inſculptos titulos rariſſime offendes. Refoſſum porro in area SS. Annunciatæ Virginis Cœnobium eſt hodie penes Innocentium Roccafortem. Secundum fragmentum in memorato S. Nicolai muſeo cernitur, cujus hæc videtur interpretatio: *Hic Jacet Eupathytus.... Annos.....* Sunt in eodem & hæc alia.

✠ ENΘAΔEKI...	...OΠOPICAIPO..
CACETH.....	. ENTOC
TH Γ.......	. CENΠEPAMO..
..CACE........	EKNOCCOΦH....
..KITEEN.....	.CMAKAPIOIC....
...AΓOPA.....	...KPICINKAI....
...TOΠON.....	...HN 

Piſciculus in hoc ultimo ſymbolica imago eſt, quæ in lapidibus Chriſtianis frequenter occurrit. Veteres enim fideles piſcium figura exprimi ſolebant, quia ſcilicet in Petri Apoſtoli rete concluſi; Unde *Piſciculos* quoque Tertullianus lib. de Bapt. eoſdem appellat.

In novo Ignatii Paternionii Biſcaris Dynaſtæ muſeo hæc etiam Epitaphia, ſed undique pene mutila cernuntur.

.... ENΘA.... ....

ETEΛEΥTH.. ..TIMH.. ΞENAΠO.. .....CIA..

THΠ̊ IΘKAΛΛ ..ΠOIω.. KOI....... ETHΓ...

NΔ IANOΥAPI. .EAYT.. KAI EIT.. Π̊oϛ KAΛ

ωN TO...ANYΞ... BPIωMN

Vides in hujus ultimi fragmenti tertio verſu ſigla Π̊, quæ alibi loco ΠPO ſæpius in lapides irrepſiſſe diximus, eoſdem hìc exprimere characteres invicem coeuntes, ita ut ex ΠP conflata videantur.

Hinc

Hinc Typographi incuriæ tribuas, quod num: III. M cum ſuperpoſita literula o cum in epigraphe tum in ejuſdem notis habeatur.
Denique & has quoque particulas excipe in muſeo S. Nicolai aſſervatas.

.. IΔΩNIANH...   ENΘAΔ..   ...ΠOIHC.....
.. TAPAEIPHMIΩ   NYCIA..   ..YCEB......
.. HA THNENBA   AMENI..   ZHCEET....

ENΘAΔ................   ...KITAI...   ...ENE.........
ZHCAC................   ...HCAC...   ...INEΣ.......
ETE Ñ..................   ...AEY......   ..IΔIωN.....
.. YTO..................   ...AN.......   ..ION...A.....

ΠEPIMYCCAN..   ...ATAKEITAI..............
KOMENHN........   ...IPETOCDTωN..........

..NωN..................   ..KOIΠAC   ....
..OCIOY..............   ..ΛAHΓOP.   .....ΔAΣY.
..OΔ5AYΓΓ5......   ....ΛIO........   ..EYΣ EB..

Quas quidem, non ut paginas onerarem, hic protuli, ſed iis, qui hujuſmodi, quantumvis laceris delectãtur monumentis, ac ſimul Patriȩ honori conſulere volui. Prȩſertim, quod in his etiam fragmentis complura quandoque Eruditis occurrant obſervatu digniſſima ad paleographiam, ac depravatum,

vatum, vulgaremque ſcribendi modum ſpectantia. Gualtherius denique, aliique ex gentium majoribus Scriptores, his noſtris non abſimilia ſuis inſerere operibus minimè ſunt dedignati; quin ille ſolitarios etiam characteres adnotavit, uti mox, latina exhibens fragmenta ediſſeram.

III Plura enim congerit, ut vidimus, lapidum fruſtra, in ſuas claſſes relata; hic vero illa tantum, quæ prorſus incerta videntur, proferam, numero, ac titulo juxta Meſſanenſem editionem adnotatis. num: 50. *Apud Hieronymum la Manna* FUI CUI. num. 51. *In S. Antonio m. p. ab urbe*. KMNTR. num. 52. & 53. MN.. AR.. *In paſcuis Ferrandi Joenii*. num. 54. CONS. *In Chiuſa Giordanello*. num. 55. *Secundo ab urbe lapide ſub opido Monaſterii Blanchi in prædio Imbaſtini verſus Aquilonem*: SCTIOVYXL. num. 58. S. A. O. C. J. Quorum interpretationem diſſimulat; incertæ enim intelligentiæ ſunt, uti legentibus patet.

Subdam hic latina fragmenta nuper prope Collegium Soc. Jeſu refoſſa, ne pereant.

D. M. S
V A R I V S
D I V S.
. . S
.........DORI. V. A. LX
.....AMABILIS NVTRICI
......D. D. S. M.
....DEM CRESCENTI
....V. A. XXV
....DEM AMABILIS
.....N LVCIO D. S. M.


CA-

NOTÆ FIGULINÆ, AC SIGILLA.

Minima hæc fortaſſe quiſpiam reputabit, ſed eruditis noſtræ ætatis viris, qui in figulinis characteribus, ac ſigillis promendis ſtrenuam navarunt operam, tenuis hic noſter labor inutilis omnino non erit, iiſque, qui ſtudiis delectantur antiquitatis jucundus etiam fortaſſe eveniet.

I Later apud Carreram lib. III. cap. XII: ſignabatur CNPA. *In* S. Nicolai muſeo: ARNOPNC. Penes Innocentium Roccafortem in area Templi Principis Catanæ inventus habet: MAMERTINΩN. *In* eodem S. Nicolai muſeo diotæ fictilis extrema pars acuminata ſervatur cum epigraphe Q. L. E. alia habet Q. V. I. *In* anſa diotæ etiam domi Xaverii Riccioli figura videtur hominis pileati in veſte talari, circa quã IΠΠOKPATE. In vaſe lacrimarum apud eumdem an. MDCCXXVI refoſſo NEKKIA ΛYKION. Servat idem Ignatius Paternionius diotæ ſive cineralis urnæ anſas in quarum una muliebris extat figura in altera hæc leguntur EΠITIMO EOY NHETΘIOY. Ollæ denique operculum in S. Nicolai muſeo literas ad peripheriam ſcriptas continet cA1ozz. *Aliud E.A. II.* Fictilis lucerna penes Joannem Rizzarum, extanti charactere habet FORTIS. duæ aliæ in ejuſdem muſeo notantur: VNIALEXI. altera, EPACE, tum quinta VI. ſexta demum AS. Servat Franciſcus Joenius unam, in qua ſcriptum, CITNAIE. aliam Franciſcus *Honoratus* Columna ubi legitur TICΛΛΛ. ſuam oſtendit Bernardus *A*micus cum nota ECNE. *In* memorato *Ignatii* Paternionii muſeo præfert una ΠPOKAΓVP. altera IVNORAI; Tertia AΓI. In illo S. Nicolai,

lai, variæ ſunt, in quibus ſingulis ſingulæ voces expreſſæ: ECIIE. ΑΠΥ. EROTIS. ΛΕΑCΕΙ. CIOPPRES. ΑΓΥΡΙΥΟ. Hæc ultima cum lychno inventa prope *Turrim Epiſcopi* extra mœnia. *III* Cippus è pario marmore anno MDCCXXXIII. prope S. Agathæ *de Xaris* templum cum aliis monumentis refoſſus hiſce notatur ſiglis Sed quid hæc ſibi velint ii divinent, *quos æquus amavit Jupiter*, uti Virgilius ait.



Lapis apud Blaſcum Columnam olim, Carrera teſte, ſervatus expreſſam Herculis continebat figuram, dextra clavam, læva Leonis præferentis exuvias cum epigraphe, quæ quatuor verſus, ſed mutilos complectebatur ΔΕΥ.. ΧΛΑ. ΣΩ. ΥΤ. Pyri magnitudinem non excedebat, formamque imitabatur. Anularem habet lapidem Franciſcus Honoratus Columna anno MDCCXLI inventum, cujus altera facies Herculis Leonem præfocantis ſigillum continet, atque hinc Arcum, & Clavam; Poſtica verò hiſce literis in orbem diſpoſitis ſignatur: ΚΥΟΙΟΥC. In centro KKK ſeſe invicem reſpicientes habet. Huc ſpectat Anulus æneus Catanæ inventus, ac in muſeo Thomæ Marchetti Equitis Stellati Meſſanenſis à Gualtherio commendatus num. 11. cum epigraphe ΑΥΡΗΛΙΝΙΚΟΝ; ideſt, uti idem interpretatur *Aurelius Nicon*. Glandem Paruta exhibet plumbeam num. 42. in qua ſcriptum KATANA, qua ſcilicet ſundibularii in militia utebantur.

IV. Sigillum in latere ſervat Innocentius Roccaforte, prope S. Mariæ de *Annunciatella* ruralem Eccleſiam, tertio ab urbe lapide, inter nobilis ædificii rudera inventum, de quo diximus lib. IV. cap. I. En illius characteres in orbem diſpoſitos

ſitos VIR EXCELLENTISSIMVS NARSES FECIT. ✝ In centro ☧. Alia S. Nicolai muſeo acquiſita literis etiam ad peripheriam expreſſis proferam, quorum primum in externo orbe habet: SOLLEMNIS ꓱ NATALIS COSSIOR. In interiori: SOL ✱ E ✝ NAT COSSIOR. In centro denique cordiacas figuras quatuor, ſeu folia exhibet, ac notas: NES.

2. In primo orbe EXPREAVTINAE AVG EXFIGPONT. In II. orbe OPVS DOLAELIAE CLEPI.

3. In prima peripheria OPERIS DOL.. SM.. S. O. ASINI. In II. MARCELLI.

4. TEG. DOL. DE FIG. IVLIÆ. In II. orb... Q. AP. TR. VIMPAE TIN. COS. Tertius orbis evanidos habet characteres.

5. Unica conſtat peripheria Q. OPPI. VERECVND.

6. EX FIGMVRICAE. TENIAE. In altero orbe CHIONES OEPTE

7. DOLEIPPÆ DCAESAN. In II. peripheria LADI.. IAPMLIS.

8. TEG. DOL. DE FIG. IVLIÆ PROCV. In II. orbe NEGTLV.N.

9. In I. orbe EX FIGLINIS DOMIT. DOMITIAN. Secunda peripheria detritis characteribus prorſus obſcura.

10. CSARINCOMMNS.. In II. IN IGLINIS MRCLANS.


11. VRSOI PL°EMIO —— CONSvS

Alia vetuſtatis monumenta, quæ in dies deteguntur, habes in Appendice ad calcem hujus Tomi.

Digitized by Google


ÆVI RECENTIORIS EPIGRAMMATA.

I. IN ſuperliminari Eccleſiæ S. Stephani intra Sanctimonialium divi Benedicti clauſtra olim concluſæ lapis extabat ſequioris ſæculi charactere notatus; Legit illum, ſummaque induſtriâ è Græco in Latinum tranſtulit Octavius Caetanus Soc. Jeſu, ac præclariſſimo de Vitis SS. Sicul. operi in Animadv. inſeruit. En illius ectypon



Ideſt: *Ædificatum eſt hoc venerabile, atque divinum Templum Primi Lectoris, Martyriſque Protodiaconi Stephani à piiſſimo Sacerdote Archalio menſis Julii Prima Anno* DCLXXIX.

II. Ad annum MIIII. Hujus Hiſtoriæ lib. IV. cap. IV. Templi S. Mariæ de Annunciata meminimus, quod extrui circa ea tempora ceptum ex vetuſtiſſima inſcriptione probavimus. En illam




Digitized by Google

Legit Canonicus Joannes Baptiſta Baſile in antiquiſſima trabe, quæ tectum Eccleſię S. Marię de Annunciata Carmelitarum ſubſtentabat. Ectypon publico Senatus ſigillo ſignatum curante Ludovico Tartaglia Generali Magiſtro, qui an. MDCLXXXII. Catanę verſabatur, ubi & Kal: Martii obiit, ſervant ejuſdem Cœnobii Fratres. En porro veterum horum characterum lectio.

Hoc Corpus Fabricæ Atque Navis A Fundamentis Inceptum Extitit XXIII. *Januarii* VII. *Ind.* MIIII. *Deinde Tecto Completum* MIIII XXII *Junii*. *Ala Verò* Imaginis *Mariæ Virg.* VII. *Martii* MLXXX. De hac ipſa Epigraphe fuſiùs ſcripſi lib. IX. Sed vereor, ne circa Indictionis notas error irrepſerit; Anno enim MIV. Indictio II. reſpondet.

III. Erectum ab Rogerio S. Agathę Templum ſuo loco oſtendi, ac Tabulam, ubi rei monumentum poſteris vulgatur, exſcripſi. Illius hic exemplar, quod novo ejuſdem Baſilicę muro ad Septentrionem vergenti adhęret, hìc proferam.



Ideſt *Anno Ab Incarnatione Domini.* M. XC. IIII. *Indictione* I. *Urbano Papa Romæ. Philippo Rege Franciæ. Rogero Wiſcardi Ducis Filio Duce Italiæ. Rogero quoque Fratre Ipſius Comite Siciliæ Totius Et Calabriæ. Domnus Anſgerus Cathanię Abbas Et Epiſcopus Cępit Hoc Ædificare Monaſterium. Et Ad...*

Supplet Fazellus *Finem Uſque Complevit*. Quæ ſane verba impoſitam eidem moli ab Anſgerio Epiſcopo ſupremam manum indicant.

IV. ✝EKL KAT. N‾Ʊ‾A

In agro ſub Ætna monte de *Capraria* nuncupato XVI. circiter paſſ. millibus ab Urbe Catana. Ingens ibi acervus lapidum, quorum duo auſtrum reſpicientes notis hiſce inſculpti. Retulit Gualtherius num. 56. in Meſſan. Edit, ſub hoc titulo: *In Catanenſi Agro. Annotavit Franciſcus Bella*, ſed male expreſſas. Ager hodie juris eſt principis Eccleſiæ Paternionenſis, ſed paucos ante annos ejuſdem Urbis dominio ſubdebatur, ſubinde à Patribus, & populo, ut liber Civibus, incoliſque eſſet ſepulturæ locus, Canonicis ejuſdem Eccleſię donatus. Titulus porro Catanenſis olim Eccleſiæ agrum fuiſſe ſubindicat. In S. Gregorii Epiſtolis *Maſſa de Capris* in territorio Catanenſi Juris Eccleſię Romanę memoratur. An Ager hic olim eadem maſſa fuit, nomenque adhuc retinet?

V. DE·PATERNIONE·MILITI·VIRO·ARMIS·EGREGIO·BV
RTANE·COMITI·ROBERTI·RILIO·MATHILDIS·VXOR·
POSVIT·DIE·VIII·APRILIS·ANNO·M·CCLXVIII:*

Cæmeteriale hoc Epigramma ſupplendum cenſeo hoc pacto: *Conſtantino de Paternione, Militi, Viro Armis Egregio, Bucherii, Et Partanæ Comiti, Roberti*

berti Filio, Mathildis Uxor Mæſtiſſima Poſuit die viii. *Aprilis Anno* mclxviii.

Floruit Robertus de Paternione, cujus Filio hic titulus apponitur, anno mclx. ſubſcribit enim inter nobiles, Præpoſitos, & Bajulos, & quidem primus, in Privilegio Simonis Comitis Policaſtrenſis Rogerii Comitis ex Flandrina filia nepotis, quo Jeremiæ Monacho S. Mariæ de Licodia Eccleſiam munificus Princeps concedit, ac plurima bona attribuit. Tertius porro Conſtantinus de Paternione in eodem diplomate teſtem ſe ſignat; hinc fas eſt conjectare, Roberti filium non eſſe niſi Conſtantinum, qui & in alio Sigillo anno mclxv. ſolus ſubſcribit. Bucherii, & Partanæ Comitatus Paternionios tenuiſſe m.ſ. ejuſdem Ill. Familiæ Hiſtoria, atque vetuſta monumenta teſtantur, quæ ante lapidis hujus eruderationem, circa elapſi ſæculi medium ab Joſepho Paternionio adornata; quin Partanæ Arcem Paternionium inſignibus perhibent inſtructam, quod evidens argumentum eſt, olim ſub eorumdem ſtetiſſe dominio. Graſeis ſubinde Partana ceſſit. Si antiquorum denique in Sicilia Comitatuum nomina perpendas, nulli alteri initiales illas BV.. aut poſtremas literas.. R TANÆ appingi poſſe, quam Bucherio, & Partanæ evidentiſſime cognoſces. Lapis, dum inter Societatis Jeſu Collegium, ædeſque Petri Tedeſchii Villermoſæ Baronis anno mdccxxxvii pridie Kal. Octobris operæ novam ſternerent viam, inventus, hujus Hiſtoriæ Authori oblatus, ingenti voluptate exceptus eſt, quod præclariſſimè gentis decora perenni hoc monumento firmata videret. Hinc in Hyacinthi Paternionii, & Caſtelli ex Ducibus Carcacis manus, ejuſdem Authoris dono, non multopoſt venit, cujus Frater Marius Conceptus, ut in publicas Epigraphe redigeretur tabulas curavit An. mdccxli.

VI. Civilis Conſilii Baſilicam Ferdinandi Regis ævo fundatam, ſive inſtauratam alibi diximus lib. VII. En porro Epigraphe id clariſſimè edocens, ac Judeorum inſuper expulſionem ex omnibus Catholici Principis ditionibus, perennans, quæ in eadem hodie Baſilica cernitur.

✝ 3 ROSILIŌ CAPTA GRAN
ATA I IVDEIS PVLSIS ME
DIO CLARIOR RESVR
GO: FERDINANDO. R.
CVNAq3 REGENT E. M
CCCC LXXXIII.

CATA-

CATANÆ ILLVSTRATÆ
LIBER XI.
NUMISMATA.

MUtuis olim commerciis ſecum invicem, cujuſque regionis bona mortales communicaſſe, ac rerum commutatione uſos fuiſſe, nulli non exploratum. Hujus autem, proceſſu temporis, pertęſi, ultrò citroque commeantes metalla primum in fruſta redacta, hæc ſubinde in monetas conflata rependere, aut accipere cęperunt. Monetis, hominum, & animalium, aliarumque rerum imaginibus impreſſis, diverſa ſunt nomina impoſita; hinc pecuniam ab effigie pecudum dictam cum Gellio volunt, primumque æs Romæ à Tullio Rege ſignatum nota Pecudum, ſcribit Plinius (*a*) ac Plutarcus Antiquorum Numiſmata Bovis, Porci, Oviſque ſpecie cuſa affirmat.

(*a*) *Lib.* 33. *cap.* 3.

Deorum ſubinde, quos peculiari religione proſequebantur, imaginibus monetas procudere ſuas, tum Regum, ac Principum, penes quos conflandi eaſdem jus erat, ſpeciem exhibendam in una, aut alterutra earum area curarunt. Liberis hinc civitatibus viros virtute bellica, ſeu pietate, aut ſcientia illuſtres, duceſque de Patria meritos hoc etiam honore afficere ſollemne fuit. *Antiquum*, inquit Pierius Valerianus, (*b*) *fuit inſtitutum eos honore numiſmatum decorare, qui vel doctrinâ, vel imperio cate-*

(*b*) *Lib.* 32.

cæteris antecellerent. *Quare Mitylenì Saphus imaginem numis impreſſere, Homerum Chii, teſte Strabone*. Quod ſane si uſquam frequentius apud Græcos invaluit, frequentiſſimè à Siculis uſurpatum ex eorum numiſmatibus colligi perquam facile poterit, quorum pars major, aut Reipublicæ Moderatorum, aut illuſtrium Civium vultus refert, actuſque prodit.

Hæc porro Siciliæ Numiſmata Philippus Paruta nobilis Panormitanus ſummo ſtudio collecta, atque in unum corpus redacta typis edidit, divitemque eam ſupellectilem, ac pretioſum antiquitatis theſaurum cum orbe literario communicavit. Parutæ operis impreſſionem cccc numiſmatum acceſſione Romæ ſecundis curis, circa elapſi ſæculi medium, Leonardus Auguſtinus adornavit; Noviſſimèque in *Rerum Sicularum Theſauro*, Lugduni Batavorum, Siculos numos cum prolixioribus, eruditiſque Sigeberti Avercampi, notis, quæ illis certè à Marco Majer in Auguſtini editione adjectis longè præſtant, Petrus Vander Aa recudit, multiſque aliis, ejuſdem Avercampi opera, Promptuarium locupletavit. Atque utinam, quas à Paruta Antiquitatis amatores expectabant, prodiiſſent explicationes, nihil certè hoc in genere eſſet, quod optaremus, nihil non perfectum vir eruditiſſimus nobis reliquiſſet. Eamdem ſpartam Hubertus Goltzius Herbipolenſis adornavit, atque in eo præclaro opere, quod de magna Græcia, & Sicilia ſcripſit, complura numiſmata ad noſtram hanc Inſulam ſpectantia anno MDLXXXI vulgavit. Prodiit illud rurſus Andreę Scotti opera, viri ſæculorum memoria digniſſimi, qui & Faſtos Siculos addidit. Begerus denique in Theſauro Brandeburgenſi varios Siciliæ numos edidit, doctèque explicavit.

Jamvero

Jamvero ad illos Catanæ, quod attinet, eoſdem nedum laudatus exhibuit Paruta, ſed & nonnullos etiam, qui in Parutæ Promptuario deſiderantur, Octavius Archangelus illuſtravit, atque affabre expreſſos nobis, ne perirent, reliquit. Archangeli ſimul, & Parutæ ectypa Petrus Carrera dedit, nova, quæ ipſe detexerat, numiſmata, animadverſioneſq; doctis viris probatas libro tertio inſeruit. Anecdota hìc etiam Ego proferam, ſcriptorumque notas, quas nactus ſum, fideliter ſubjiciam, Tabulas denique ad libri calcem, ubi numi chalcographi opera adamuſſim efficti, ut ſingulos conſulas, opportunè ſiſtam. Quod attinet ad claſſes, quùm incertæ numorum ſint ſignificationes, virique docti illos explicando, in varias abeant opiniones, eorumdem figuram attendendam duxi, juxta quam, nobiliori metallo etiam neglecto, ſeriem exhibui. Modulos porro habes ad calcem Tabulæ VIII.

CAPUT PRIMUM

NUMISMATA JANI EFFIGIE SIGNATA.

I. JAnum æreos numos primùm inſtituiſſe tradunt cum Eutropio, (a) & Athæneo Scriptorum complures. *Janum*, inquit hic lib. xv. Draconis Corcyræi verba referens, *fama eſt bifrontem fuiſſe, altera ſpecie poſteriori, anteriori altera.. Coronas illum reperiſſe, navigia, rates; nummum æreum ab illo primo ſignatum; quâ de cauſa Civitates in Græcia multæ Italia, & Sicilia monetam cudunt impreſſa bicipiti facie, & ex altera parte, vel rate, vel navigio, vel corona.* Sunt, qui Saturnum primum ex ære numum cudiſſe, atque hinc ærarii præſidem creditum pro-

(a) Lib. 1. cap. 1.

dunt. Sed hic cum Jano regnum in Italia obtinuiſſe dicitur, paſſimque cum eo confunditur.

II. Cæterum Janum ſibi alloquentem Faſtor: libro 1. introducens ingenioſiſſimus Poeta Ovidius cauſſas ediſſerit, cur hic bifrons effingatur; quod ſcilicet Janus Chaos quum eſſet in prima mundi origine, facta elementorum diviſione, qui fuerat ſine imagine, in faciem, inque membra Deo digna redierit; & quoniam confuſæ adhuc figuræ videbatur, idem à fronte, idem omnino à tergo apparebat. Tum mundi cuſtodiam, juſque omne vertendi cardines terræ penes ipſum eſſe; omnia ejus manu clauſa, omnia ejuſdem manu patere, & modo *Patulcium*, modo *Cluſium* vocari; Ut igitur geminas habet omnis janua frontes, *ex quibus hæc populum ſpectat, & illa lares*; ſic Janus cęleſtis janitor aulæ perſpicit *Eoas partes, Heſperiaſque ſimul*. Macrobius ethicè rem deſcribens: *Creditur* (a) de Jano inquit, *geminam prætuliſſe faciem, ut quæ ante, quæque poſt tergum eſſent, intueretur; quod procul dubio ad prudentiam Regis ſolertiamque referendum eſt, qui & præterita noſſet, & futura proſpiceret.* Romæ hinc juxta aliquos Jani bifrontis imagine procuſos numos fuiſſe, quoniam compoſitum Reipublicæ ordinem Janus, domitis incolarum moribus, conſtituiſſet, diuq; apud illos optimi principis opinione imperaſſet. Januarium denique menſium primum ab Jano appellatum, Numa Pompilio volente, dicunt, tamquam bicipitis Dei menſem, tranſacti anni exitum, initiaque futuri reſpicientem. In Jano, ac Saturno, qui ſæpius, ut innui, confunduntur, Noemum figurari plerique putant, quod is mundum ante diluvium, ac poſt viderit, naviſque ſive Arcæ fuerit author, in qua Genus ſervavit humanum.

(a) *Saturnal. lib. 1.*

Jani

III. Jani effigie plures Catanæ numos cuſos habemus. Æreum profert Archangelus ſexti moduli {*a*} qui geminum Jani caput modio tectum, aut columnæ adjunctum inter tria monogrammata habet; ab altera verò parte figura ſtat muliebris dextera ſpicas tenens, læva haſtam, in cujus ſummitate vas eſt pomis, ſimilibuſque fructibus plenum, eminetque inter poma etiam ſpica; Caput denique mulier habet lunatum, ſpiciſque redimitum, & inſcriptio eſt ΚΑΤΑΝΑΙΩΝ. Ideſt: Catanenſium. Conſule *Tab*: III. *n*. I. Obſervat Carrera, *non otioſe inter utrumque caput appoſitam fuiſſe columnam, ut fortaſſe ſtatutas à Chamo Jani filio in Catanenſi littore columnas ſignificaret*. Sed hæc alibi fabulis accenſui. Subdit: *Ex monogrammatis unum Clepſydram imitatur, quà horas metimur; & optimè Jano congruit, qui juxta Ovidium præſidet* foribus Cœli cum mitibus horis. *Plinio aliunde teſte, Horologii inventionem Romani Catanenſibus debent; reliqua duo ſigla navem aliquam forte denotant ab Jano inventam*. Sed de monogrammatis infra cum Avercampo dicemus; uti de Clepſydra. Jam circa poſticam faciem hæc idem ſcribit: *Mulier Iſidem Ægyptiorum numen deſignat, quæ frumenti, ea in regione inventrix, prima ſpicis frontem circumdedit. Hinc Tertullianus*: Si Leonis Ægyptii ſcripta evolvas, prima Iſis repertas ſpicas capiti circumtulit. *Et Martianus Capella*: Vitem Dionyſius apud Thebas, Oſiris apud Ægyptios hauſtum vini, uſumque inveniſſe comperies, frumentum Iſidem in Ægypto. *Luna, quæ ſertum frontis exornat, Vaccæ cornua denotat. Enarrant quippe fabulæ, quòd Jum Inaci Regis filiam Jupiter quum vitiaſſet, ut lateret Junonem, in juvencam transformavit. Hanc Juno ab Jove obtentam*

(a) *Cat. Hiſtor. lib.* 3. *c.* 1.

tentam Argo, qui centum habebat oculos, cuſtodiendam dedit; Jupiter verò cuſtodis vigilantiam fallere deſperans, Mercurio, ut Argum occideret commiſit. Ille fiſtulæ ſono conſopitum facile confecit; quod reſciens Juno, infeſtiſſimum oeſtrum in Juun, immiſit, cujus aculeis acta, atque in furorem verſa, Jo in Ægyptum profugit. Ibi in priſtinam formam Jovis beneficio reſtituta, Oſiriſque Regis uxor effecta, in magna apud gentes illas exiſtimatione fuit, ac inter Numina poſt mortem relata. Rem *Ovidius lib.* VII. *metam:* enarrans, *hæc de* Luna, *&* *ſpicis canit.*

Cum medio noctis ſpatio, ſub imagine ſomni
Inachis ante thorum pompa comitata ſacrorum
Aut ſtetit, aut viſa eſt; inerant lunaria fronti
Cornua, cum ſpicis nitido flaventibus auro.

Hoc itaque numiſma ſatis indicat peculiari cultu Iſidi Catanenſes fuiſſe addictos. Eadem enim Iſis, ac Ceres, ut teſtis eſt Diodorus. Cæterum per ſpicam, fructuſque in vaſe ſoli Catanenſis fœcunditas denotatur. Huc uſque Carrera, qui penes ſe numos aſſervatos omnino conſimiles affirmat, ac alium prætera, in quo monogrammata inerant quatuor, unumque illorum craticulam imitabatur. Aliquot in S. Nicolai de Arena muſeo hodie etiam habemus, in quorum uno mulier haſtam præfert, hæc verò facem habet adjunctam, monogrammata ſunt qualia figura exprimit *Tab.* III. *n.* 2. De his porro Avercampus, ejuſdem generis numiſma pulcherrimum proferens, ait: *Monogramma primum ex* I *&* II, *ſed addito in medio* E *videtur conſtare. Secundùm in medio ſui literam* Φ *inſuper format, atque in ſuperiori parte literæ* E *agnoſcit* P. *quoque. Jam tertium Monogramma, quod ſolum ante mentum alterius Jani faciei viſitur, pro globulo il-*
lo

lo item literam Φ *habet, & ſuperiorem ductum literæ* E *in* T *producit*. Subdubitat nihilominus, quum varii generis ſint monogrammata, quæ paſſim occurrunt, an ipſa illa ſatis ad antiqui æris accuratam ſimilitudinem exprimantur. Quo fit, ut certi aliquid nequeat de illis proferri.

IV. Philippus Paruta inter Catanenſes nummum exhibet num: XV Jano bifronte ſignatum, abſque monogrammatis, cujus altera pars ſtantem refert figuram turritam, ſive modio caput coopertam, dextera folium plantæ aquaticæ, læva verò tridentem cum epigraphe KATANAIΩN. *Tab*. III. *n*. 3. Sigillum hoc juxta Carreram urbem Catanam deſignat, cujus ager fecundiſſimus; modius enim Pierio authore (a) frugum copiam denotat. Tridens Neptuni Aquarum numinis inſigne, in rebus maritimis vim, atque claſſis, qua tunc Catanenſes valebant, potentiam, urbemque mari piſcium ferace ablutam indicat. Ejuſdem videtur mentis Marcus Majer in notis ad Parutam, ſed in plantæ aquaticæ foliis ſpicas recognoſcit. Avercampus verò hæc habet: *Jani eximius per omnem magnæ Græciæ, atque Siciliæ oram maritimam fuit cultus; unde crebro admodum in illarum regionum nummis biceps hic Deus conſpicitur. Figuram vero illam muliebrem in averſa parte pro genio urbis Catanæ capio, quæ altera manu fluviatilis plantæ folium, altera tridentem tenet; itaut ſignificet mare quidem civitatem ſuam alluere, ſed tamen nobiles quoque habere fluvios, Amenan videlicet, Teriam, & Symethum; Vel ſi ſpicam velimus eſſe id, quod manu tenet, uberem agrorum ſignificabit proventum, atque maris inſignes divitias.*

Tab. 3. *n*. 3.

(a) *Hierogl. lib.* 56.

V. In eodem Parutæ Promptuario duo alia num: XVII, & XX. & in Auguſtini editione XLVII. numiſma

numiſmata Jani bicipitium habent; Sed in xx monogrammata videas, quorum unum horologiorum inſtrumentum à Carrera, & Majero creditur, aptum cum Jano, qui horis præeſſe dicebatur, tum Catanæ ſymbolum, unde ſolare horologium, ut innui, Romam primo advectum. Poſtica numorum pars figuram exhibet muliebrem, læva haſtam, dextera oleę, aut vitis, aut alterius arboris gemina præferentem folia; Inſcriptio eſt ΚΑΤΑΝΑΙΝΩΝ. Ex olea Palladem, ſive Minervam recognoſcit Carrera; huic enim æquè haſta convenit, & olea, cujus ipſa prima inventrix dicitur. Quum enim de novæ Urbis in Attica nomine Neptunum inter & Palladem orta contentio eſſet, Olivæ ſurculus, Deæ opera de repente enatus, litem diremit, Urbique Athenarum nomen idcirco impoſitum ab eadem Pallade, quæ Athena dicitur. Unde arbor hæc eidem ſacra. Majerus Cererem eſſe cum ſpicis aſſerit, in quibus abundantia, ſive frugum copia, ſicut in haſta poteſtas numini propria indicatur. Et in xlvii Auguſtini Ceres cum ſpicarum manipulo viſitur; in iis autem, quæ in S. Nicolai muſeo aſſervamus, olivæ folia clariſſimè apparent. Forte Sigillum, ſubdit rurſus Carrera, eſt Catana, in olea pacis, in haſta bellicæ virtutis ſymbolum prætendens, vel in illa Catanæ agrum olearum feracem, in altera Civium fortitudinem deſignat. Sed haſta nonniſi Diis appingitur; hinc Juſtinus Regiæ olim dignitatis inſigne haſtam fuiſſe tradit, coronam verò, ac ſceptrum ſeris temporibus ab viris principibus uſurpata. Veteres porro veluti Deorum imagines haſtas venerabantur, illiſque acclinati numen ſalutabant; effictis ſubinde humana ſpecie Deorum ſimulacris haſtas addiderunt, Regeſque, qui divini aliquid habere credebantur, ſibi illas vindicarunt. *Tab.* iii. *n.* 4.

VI. Avercampus in notis ad XLVII *Caput geminum*, ait, *ſeu bifrontis Jani antiquiſſimi illius Italæ oræ numinis; utrinque Græca ſunt monogrammata, quorum alterum idem puto cum illo, quod dicebatur à Carrera ad horologiorum originem referri. Ab altera parte Ceres matronali habitu effingitur lęva haſtam puram tenens, dextera gravem ſpicarum faſciculum, ubertatem Orbi tantopere celebratam ab omnibus agri Catanenſis, ejuſque feracis planiciei referens. Solita circa illam legitur inſcriptio*. Conſule *Tab.* III. *n.* 5. Ad XX verò, qui in noſtris tabulis eſt IV hæc ſcribit: *Nobilis hic numus cenſetur propter ductus illos, qui ad alterius Jani ora apparent, ſi tamen revera in ipſo nummo ductus illi non ſint iidem cum illis, qui in non valde diſſimili num:* XLVII *occurrunt, quod monogramma ſępe in iis Græcorum obſervavi. Ut autem antiquitatis gratia concedam horologium hìc, quod Carrera vult, ſatis ſpecioſè deſignari per pendulum illum globulum, capi tamen non poterit de illo, quod Catana capta Romam deduxit Meſſala; illud enim ſolare fuit, non libratura ſui ponderis agitatum, ſed juxta Solis umbras lineas tangentes demonſtrans diei horam. Id clariſſimè Plinii demonſtrant verba, qui de horologiorum inventione, & quando primum Romæ viſa fuerint, agens, ita loquitur lib.* VII. *cap.* 60. M. Varro primum ſtatutum in publicum ſecundùm Roſtra in columna tradit, bello Punico primo, à M. Valerio Meſſala Conſule, Catana capta in Sicilia deportatum; inde poſt XXX annos quam de Papiriano horologio traditur anno Urbis CCCCLXXVII. nec congruebant ad horas ejus lineę; paruerunt tamen eis annis undecentum, donec Q. Marcius Philippus, qui cum L. Paullo fuit Cenſor, diligentius ordinatum juxta poſuit; idque

munus

munus inter cenſoria opera gratiſſimè acceptum fuit. Etiam tamen in nubilo incertæ fuere horę uſque ad proximum luſtrum. Tum Scipio Naſica collega Lænatis primus aqua diviſit horas æque noctium, atque dierum; Idque horologium ſub tecto dicavit anno Urbis DXCV. *Neque aliter, quam de horologio ſolari capi poſſe, & priora ejus capitis oſtendunt, ex quibus mox ſermonem ſuum concludit:* Tamdiu Populi Romani indiſcreta lux fuit. *Si enim horologia automata, ſeu per pendulum plumbum agitabilia habuiſſent; & noctu horas ſciviſſent, & aquæ Clepſydra minoris fuiſſet momenti inventum.* Subdit Vitruvii Pollionis, qui de Horologiorum ratione apud veteres ſcripſit, teſtimonium, nihilque in ejus libris de automatum genere, ſeu quæ pendulo plumbo moventur, inveniri ait; concluditque hujuſmodi horologium longo demum poſt tempore fuiſſe inventum.

CAPUT II.

ANPHINOMI, & ANAPIÆ NUMI.

I. Piorum Fratrum inſigne facinus, præſtitaque erga Parentes officia Veteres non modo ſcriptis, ſed monumentis etiam perpetuò duraturis poſteritati commendarunt. Hinc Statuas, Templum, Sepulchrum in eorum honorem erecta ſuperioribus libris oſtendimus, hic verò eorumdem numiſmata explicanda ſuſcipimus. Primùm profert Archangelus, quarti moduli, æreum, in quo caput videas hirſuto pileo tectum cum inſcriptione ΑΜΦΙΝΟΜΟϹ. *Amphinomus:* ab altera verò parte nudus eſt juvenis, thura in ardentem foculum effundens, læva baculum gerens, legitur

gitur in circuitu ΑΝΑΠΙΑϹ ΚΑΤΑΝΑΙ..; *Anapias Catanenſium*. Baculus, inquit Carrera Anapiæ veluti heroi, ignisque Ætnæi triumphatori datur. Thuris oblatio fratrum Piorum religionem in Deos deſignat, quorum auxilio ab ingruenti incendio cum parentibus inſigni miraculo liberantur. *Tab.* III. *num.* 6. Tab.3.n.6

II. Alterum inter Catanenſes num: x. æreum moduli ſecundi Piorum numum exhibet Paruta, quo eorumdem celebratur factum; ex una enim parte Juvenis figuram, humeris ſenem ferentis, cum epigraphe ΚΑΤΑΝΑΙΩΝ, ex altera rurſus Juvenem, anum inter brachia gerentem habemus, uterque verò gradiens exprimitur. Archangelus in illo Amphinonum, in alio verò juvenem Polyphemum Galatheam rapientem ſignificari affirmat, quod ipſi etiam Carreræ diſplicet; conjuncti enim fratres in numo figurantur. Idem Archangelus in ſuo calcei formam recognoſcit, qui ab artifice, ut fugientium celeritatem denotaret, fortaſſe effictus. Extat in S. Nicolai muſeo. Vide *Tab.* III. *num.* 7. non abſimiles apud eumdem Parutam num. XLIII. & XLIV. etiam videas, juveneſque pro artificis arbitrio diverſimodè exprimuntur, ac terga oſtendunt ambulantes; quin quadrageſimus quartus, qui inſcriptione caret, hordei granum exhibet, agri Catanenſis fecunditatem fortaſſe ſignificantis. Refert Avercampus in notis ad hos numos Claudiani carmina, quorum aliquot alibi dedimus. Lib. IX. Tab:3:n:7

Subdit verò ad XLIII. *Licet verò Solinus certatum nobis de ea gloria inter Syracuſanos, & Catanenſes dicat; publicè tamen rei veritatem nummis ſuis poſteriores teſtati ſunt, quod priores facere non auſos fuiſſe ex eorum monumentis ejus generis apparet. Adeſt in priori parte ſpica, ſymbo-*

lum ſecundæ Catanenſis terræ, utpote quæ Ætnæ montis cineribus frugifera reddi ſoleat. Spica hìc eadem, ac Ordei granum, apud Carreram. Vide
Tab. 3. n. 8 *Tab.* III. *num.* 8.

III. Elegantioris artificii, ac moduli quarti æreum quoque eſt numiſma illud ab Archangelo, & Paruta num: XVI, necnon à Petro Carrera editum, quod & in laudato S. Nicolai muſeo cuſtoditur. Habet in antica facie caput querceis foliis, juxta eumdem Carreram, redimitum cum ignoto charactere, & Epigraphe ΛΑΣΙΟ in poſtica pios fratres parentum vectores, qui virgam, aut quid ſimile manu tenent, & eſt inſcriptio ΚΑΤΑΝΑΙΩΝ. Cunei porro diſſimilis hujuſmodi numos ſe vidiſſe teſtatur idem Hiſtoricus, in quorum uno vox ΛΑΣΣΙΟ; ſuntque in S. Nicolai muſeo tres, ſed non uno cuneo percuſſi. Querna Corona ob cives ſervatos dabatur, ut ex Romanis numiſmatis conſtat, ubi querna corona cum notis *ob Cives ſervatos*, quorum pleraque Pierius Valerianus lib. LV. profert; Caput igitur, aut unum ex piis fratribus deſignat, qui merito ſervaſſe cives dicendi, quum ab incendio Parentes eripuerint, aut Catanenſem aliquem bellica virtute, & pietate virum *Laſium* nomine, qui Cives in prælio à captivitate, aut interitu vindicarit, ut laudati Carrera, & Majerus advertunt. Subdit ille ignotum characterem Clepſydram denotare, atque ad horologii uſum Catanæ inventum alludere; Verum, ut ingenue meum hic promere judicium liceat, Clepſydram exprimi in hiſce ſignis vix Eruditis iri perſuaſum putaverim. Clepſydra enim vas vitreum graciliter fiſtulatum, æqualibus dimenſionibus ſignatas horas oſtendebat, ad cujus fundum foramen erat aquas guttatim emittens, ac per aquæ hinc diminutionem,

quot

quot horæ eſſent, cognoſci poterat. Hac utebantur Veteres in cauſſis forenſibus audiendis; Oratoribus enim datis Clepſydris, tempus dicendi præſcribebatur, quibus exhauſtis ſilebant. Quid porro cum ſolari horologio Clepſydra? Majer in aliis numis hujuſmodi monagrammata monetariæ officinæ teſſeras eſſe tradit; inclinatque animus, quum prorſus occultæ ſint ſignificationis, hoc pacto illa explicare, atque in hoc piorum Fratrum numo ſignum quoque pone caput, officinæ Symbolum eſſe. Jamvero de querna corona hæc ſcribit Pierius Valerianus (a) *Cur vero Civicas coronas ex quercu fieri ſit inſtitutum, plures enumerantur cauſæ. Alii enim dicunt honorem hunc Arcadibus attributum, quos Oracula ſolita ſint, ob vetuſtatis honorem, Glandiphagos appellare. Alii ea de cauſa, quod facilem, & promptuarium cibum Quercus ſit militibus afferre ſolita; Alii, quia Jovi ſacra ſit, in cujus tutela ſunt Civitates, congruenſque haberi, ut qui Civem ſervaſſet, ea coronaretur fronde, quæ Civitatum omnium tutelari Deo dicata eſſet. Sunt, qui eam tradant primam plantarum omnium genitam, atque ita populorum altricem fuiſſe, & primarium oraculorum authorem.* Hæc Pierius, cujus tranſcribit verba noſter Carrera. *Vide Tab.* III. *n.* 9. *Tab.3.n.9*

(a) *Hierogl. lib.* 55

IV. Avercampus verò de hoc numo diſſerens, caput vite cinctum, & pampinis recognoſcit, ac Dionyſii, ſive Bacchi illud eſſe dicit. En ejus verba: *Dionyſii caput leto vultu, ſparſaque coma, quod vite cingitur, & pampinis; retro illud neſcio ſane quid cernitur; in ambitu verò legitur* ΛΑΣΙΟ. *Ab altera parte ſolita Urbis inſcriptio eſt, & Pii Fratres exprimuntur. Corona illa, quæ in hujus nummi pictura ad vitis accedit folia, in ipſo forſitan nummo magis ſimilis erit hederæ, quod ſuſpi-*

cor ex corymbo in vertice capitis, & ſimili à nobis addito num. 51. ubi aperta cum Corymbo hederacea exprimitur corona. Verùm majorem laborem nobis faciunt literæ illæ ΛΑΣΙΟ; *quarum interpretationem variè tentat Clariſs. Begerus in Theſ. Brand. tom. 1. pag. 391. ex cujus conjecturis minimam laudem illi tribuendam puto, qua judicat antiquitus forſan in ipſo nummo lectum fuiſſe* ΝΑΣΙΟ, *vel* ΑΥΣΙΩ. *nimis enim violenta eſt, & apertè obloquitur conſenſus utriuſque numiſmatis. De Laſiis itaque Cretenſibus, & Hirſuti titulo cogitat, quem licet huic Bacchi formę minus aptum exiſtimet, quum virgineo, atque delicato vultu exprimatur; attamen quid vetat cogitare inter tot cognomina illud Laſii huic Deo dari potuiſſe, quum ſemper caput ejus impediri feſtis frondibus, & inumbrari coronis ſoleat? Unde ſorori Philomelæ apud Ovid. lib. met. 6. v. 598. Procne*

Inſignia Bacchi
Induit, & vultus hederarum frondibus abdit.

Subit, & alia conjectura, magiſtratus, videlicet etiam nomen deſignari poſſe initialibus illis literis. Averſæ ſubinde partis figuras explicans ſubtexit: *Piorum quoque fratrum habitus diſcrepat in ejus pietatis picturis, quod veſtes, ſeu aratri ſtivas tenere juvenes videantur, inſidentibus iis genitoribus, qui, & ipſi ita efformati ſunt, quaſi baccillos manu teneant.*

V. Protulit Leonardus Auguſtinus Piorum numiſma num. XLV. de quo idem Avercampus hæc habet: *Caput muliebre comtum, & ab altera parte iidem Pii Fratres. Caput illud, & ad Venerem referri poteſt, & ad Thaliam Nympham Ætnæ filiam; rectius tamen Veneri adjudicari poſſe puto, & typum hunc tam crebro fuiſſe repetitum à Catanenſibus in gratiam Auguſti in ſuorum pie-*

tate

tate illam ſimilem Æneę Cæſaris progenitoris celebrantibus. Author hic complures Catanæ numos ad Auguſtum refert, qui Catanam colonia auxit, poſt relatam contra Sextum Pompejum, magni filium, celebrem illam victoriam in mari Siculo. Hinc XLIX. ab eodem Auguſtino editum, qui & Pios Fratres repræſentat, ac notas habet numerales III in gratiam quoque Auguſti cuſum dicit: *Sæpius jam Pios Fratres vidimus, & tamen novam hic nummus materiam nobis præbet. Notæ enim numerales III. docent nos percuſſum fuiſſe nummum, quum Auguſtus tertia vice Imperatoris titulo gauderet, & erumpentes illi flammarum ſulci, atque pavidus genitorum vultus, properanſque juvenum greſſus eximiè depicti ſunt, juxta ſtatuas eorumdem, quas tam luculenter deſcripſit Claudianus Carr: 50. ubi hunc, ſimileſque nummos adamuſſim delineat, atque illuſtrat.* Subdit Poetæ verſus, quos quum Lib: IX. habeas, ubi de Piorum ſtatuis, rurſus hinc non exſcribimus. Similis L. Auguſtini eſt huic, ſimiliſque eſt etiam, & alius à Begero Theſ; Brand; tom. I. fol. 390, & ab Avercampo num. LII. exhibitus. Sed ille notas numerales non habet, hic verò Aſtrum ab altera parte prefert. *Fratres Pii in utroque rurſus latere repræſentantur*, inquit laudatus Avercampus, *adeſt ſolita inſcriptio, & aſtrum ab altera parte, de quo quidem nihil loquutus eſt Begerus. Poteſt ad Apollinem referri; Sed tamen aliud quid latere puto, quod optime nobis Virgilius, atque ejus diſertiſſimus Commentator Servius explicabunt. Verba Poetæ ſunt Ecloga 9. v. 47.*

Ecce Dionæi proceſſit Cæſaris aſtrum;
Aſtrum, quo ſegetes gauderent frugibus, & quo
Duceret apricis in vallibus uva colorem.

Ad

Ad quæ hæc verba adnotat Servius: Narratur in ludis funebribus Cęſari Patri ab Auguſto habitis ſtellam apparuiſſe. Bebius Stacerſina hora octava, ſtellam ampliſſimam quaſi lemniſcis coronatam ortam dicit, quam quidem ad illuſtrandam gloriã Cæſaris juvenis pertinere exiſtimabant. Ipſe animam Patris ſui eſſe voluit, eique in Capitolio ſtatuam ſuper caput auream ſtellam habentem poſuit. Inſcriptum in baſi fuit Cæſari Emitheo. Sicut itaque, ut plurimis oſtendimus, gratiam benefactoris, & tantum non conditoris ſui, Auguſti, omnibus modis captaviſſe Catanenſes, ita egregiè pietatem ejuſdem in Patrem Cæſarem, genti Juliæ jam ab Ænea quaſi propriam, ſub ſymbolo Piorum Fratrum exprimentes, iſti virtuti aptæ Dionæi Cæſaris amplum, ſpecioſum, & coruſcum in hoc nummo aſtrum addiderunt; tanto felicius, quod venerari ſimul illud ipſis competebat, ut favens ſegetibus producendis, atque uvis maturandis, quibus celebratiſſima ſemper fuit regio Catanenſis. Nam Virgilius ipſe, ut ſcitè notat Servius, in iſta fictione ad menſem alludit Julium, qui dictus eſt in honorem Cæſaris, quo & uvæ, & frumenta matureſcunt.

VI. Verumenim verò nolim hìc diſſimulare Avercampi explicationem minimè cum iis congruere, quæ Antonius Auguſtini in ſuis promit Dialogis (a) ubi Sex: Pompeii numum profert argenteum (exhibet, & illum Carrera) ex una parte Sexti Caput habentem, cum ſimpulo, & lituo ſacerdotii inſignibus, ex averſa verò Neptunum, pioſque fratres. Inſcriptio in utraque facie eſt: MAG. PIVS. IMP. ITER. PRÆF. CLAS. ET ORÆ MARIT. EX. S. C. nempe *Magnus Pius Imperator Iterum Præfectus Claſſis, Et Oræ Maritimæ, Ex Senatus Conſulto.* Quid porro ſibi velint in-

(a) *De numis dial. 2.*

Pompeii

Pompeii numiſmate Pii Fratres explicat ille: Juliorum familia, velut pietatis inſigne, Pium Æneam Anchiſem patrem humeris ferentem in numis effinxerat; Ex Julio namque Æneæ filio genus Julii deducere ſuum dictitabant. Hinc, ut æmulæ genti ſuum etiam pietatis ſymbolum Pompejus opponeret, Fratres Catanenſes, piumque eorum facinus, veluti familiæ teſſeram, aſſumpſit. Quo pacto igitur Catanenſes, ut morem Auguſto gererent, in numis, ejus in honorem cuſis, hoc idem ſigillum exprimerent? Cæterum Sexti numus nullimode ad nos ſpectat, nec ipſe Carrera Catanenſibus accenſuit; ejus hinc ectypum in noſtris tabulis non habes. Omiſimus XLIX. L. & LII. quia in paucis tantùm variant cum X. XLIII. XLIV. ſeu cum VII. & VIII. *Tab.* III. Sed XLV. exemplar conſule *n.* 10. quem tamen XVI. Parutæ, & LI. Avercampi non abſimilem credimus, Laſii nempe caput exprimere, qui Pompeii fortaſſe exemplo, ut ſua in Cives ſervatos officia conteſtaretur, Piorum ſymbolum uſurpavit. Laſium porro inter Catanenſes illuſtres Duces claruiſſe putaverim.

CA-

CHARONDÆ NUMISMATA, SEU VULTUS CORNU INSIGNES EXPRIMENTIA.

I. PRæcipuos inter viros, quos heroum Mater Sicilia protulit, Charondas dubio procul enumerandus, Catanenſis patriâ, profeſſione Philoſophus,ac Legumlator celeberrimus, Pytagoræ, ut ferunt, diſcipulus, aut certè illius ſcholæ ſectator. Ejus cum laude memini in Annalibus, ac multò plura de legibus, præclariſque illius moribus, & geſtis dicenda remanent Lib. XII. Ubi de Viris Illuſtribus. Proferam hìc, quæ ad numiſmata, ejus in honorem Catanæ cuſa, pertinere videntur, ſeu quæ vultus cornu inſignes exprimunt, quorum ſex jam edita habemus, ſeptimum S. Nicolai de Arena muſeum poſſidet, quod anecdotum. Primum offert Paruta argenteum ſecundi moduli num. V quod caput juvenile cum inſcriptione KATANAIΩN ex una, vultumque gravem, ad aures cornutum ex alia habet. Illud Catanę genium, hic verò Charondam fortaſſe deſignat. Conſule *Tab.* III. *num.* II. Multa eruditiſſimè congerit Carrera in notis, ſed præſtat Jacobum Gronovium audire hæc ſub Charondæ effigie ſcribentem (a) *Charondas in tacito illo, ſanctoque Philoſophię modo naſcentis ſeceſſu, quum aliquandiu vacaſſet animo, ac ſibi antea pręſcripſiſſet jura, & ipſe reditu, ignes Cotronienſes occupans, eadem tranſtulit in patriam Catanam, olim quidem claram Piorum Fratrum parentes officii exemplo, ſed unico, & ut videtur propterea magis celebrato, quo*

Tab. 3 n. 11

(a) *Theſ. Antiq. Rom. de Vet. Imag. tom. 2.*

magis

magis diverſi eſſent reliquorum Civium mores. Sic ille, non Catanæ ſolùm, ſed Rhegii quoque, & apud Thurios notus fuit. De vultu ſubinde ait: *Les eſt an ſit Charondæ vultus. Occurrit in nummis Metaponti; adeo ut potiſſimum illos Pytagoreos videantur iſto tempore ſingulatim ita bonoraviſſe .... Cornu præbuit copiam verboſis diſſertationibus, & poteſt eſſe indicium divinæ cujuſdam venerationis; quippe quum Jovem Ammonem didicerimus hoc cornu inſtructum fingi .... Poſſet illud effictum cornu reſpicere rigidam legum, quas præſcripſerunt, formulam, & executionem, ut nihil paterentur à verbis, in quæ ſemel conſenſum erat, remitti, nihil in illis conniveri*. Avercampus in juvenili facie Bacchum, in cornuta verò Silenum recognoſcit. En illius verba: *Scimus Bacchum, ſenem pariter, & juvenem, ſeu barbatum, atque imberbem fingi. Imberbem hic cernimus; fidumque illi per omnia comitem adjunctum Silenum. Nullum enim alium hæc facies aptius repræſentare poteſt; Crebro autem in monumentis occurrit veterum, quomodo in candelabro antiquo apud Sponium effingitur pag.26. & ex ære ejus imaginem dedit Begerus in Theſ. Brand. Tom.* III. *pag*. 246.

II. Exhibet ſecundum Archangelus ex argento tertii moduli, quem vidiſſe teſtatur Carrera fol. 261. In ejus antica facie vultum aſpicias, prolixa barba, & capillo, necnon cornu inſtructum; in poſtica caput ſpicis coronatum cum epigraphe KATANAIΩN, & ſpica è latere ſurgit ſingula. In Cornuta facie juxta Carreram, & Archangelum, Charondas repræſentatur. An Bacchus, aut Ammon, aut denique Silenus? In capite juvenili Catanæ genius, cujus agri fœcunditatem ſpicea deſignat corona. Cererem quoque, aut Iſidem, eo de-

notari poſſe credimus, quarum è ſpicis contexta corolla juxta illud Tibulli

Flava Ceres tibi ſit noſtro de jure corolla
Spicea, quæ templi pendeat ante fores.

Æſtas etiam ſpiceo ſerto redimita effingitur, unde Ovidius (a)

(a) Metam. l. 2

Stabat nuda Æſtas, & ſpicea ſerta ferebat

Pacis denique Sigillum cum ſpicis expreſſum habemus; hinc ait idem Tibullus

At nobis Pax alma veni, ſpicamque teneto.

Neque incongrue viri alicujus de Republica bene merentis effigiem illam dixeris, cujus operâ larga annona populo provenit. Spicæ enim bonorum ubertatem, fructuumq; copiam deſignant. *Ubi enim,* inquit Pierius, (b) *conſultum eſt iis, quæ cibo, potuque inſerviunt, annona omnis populo videtur erogata*. Sed de ſpicis, earumque ſignificatione fuſe alibi dicemus; conſule interim *Tab.* III. *num.* 12.

(b) Hierogl. lib. 56

Tab. 3. n. 12

III. Charondæ caput in tertio argenteo numo moduli tertii ab laudato Paruta inter Catanenſes num. IX edito Scriptores communi veluti voto recognoſcunt, Begerus, Avercampus, Majerus, noſtrique Archangelus, & Carrera; arietis enim cornua, capillos breves, atque ex olea, ſive lauro coronam præfert cum inſcriptione KATANAIΩN. In averſa verò figura eſt muliebris dextera lances, ſiniſtra cornucopiæ tenens, una cum quibuſdam monogrammatis, laureæ incluſa. Vide *Tab.* III. *num.* 13. Carrera, qui unum ex characteribus Caduceum eſſe dicit, merito in eo Charondam denotari affirmat, idque ſatis è lauro, aut olea ſertum declarat, quod juxta Pierium leges deſignat. *Coronam*, ait ille, (c) *dicimus legum indicium eſſe, propterea quod certis eſt vinculis colligata, quibus vita noſtra veluti religata coerceatur.* Arie-

Tab. 3. n. 13

(c) Lib. 41.

tis

tis cornua Jovi Ammoni appinguntur, qui legum cuſtodiam præſcribit; Mulier cum lance, & cornucopiæ Juſtitiam figurat, quæ ab antiquis Aſtrea nuncupata, eademque cum Cerere creditur, cui Legiferæ nomen tributum, ut apud eumdem Pierium lib. x & xi. Tradunt autem Poetæ Aſtream vitiis hominum offenſam è terris ceſſiſſe, in cęlumque ſublatam inter Leonem, & Libram locum inveniſſe. In Leone enim fortitudo, in Libra æquitas, quarum utraque in Judicibus deſideratur. Cornucopiæ rerum deſignat affluentiam, quæ ex legum cuſtodia, & cultu juſtitiæ promanat; inde enim commoda ad vitam, victuſque abundantia oriuntur. Pierius lib. LVI. *In liberaliſſimæ benignitatis, & largitionis efficaciſſimæ ſignum Cornucopiæ figurari*, ait, *multa verò paſſim in numiſmatis ejuſmodi cornua videas, nunc Liberalitatis, nunc Felicitatis, nunc Concordiæ, nunc Pacis, nunc Annonæ, nunc Hilaritatis, nunc bujus, vel illius inditia commoditatis, & boni, ut quidquid lętum, aut opportunum bumano generi ſit, inde, nobis afferri videatur*. De Caduceo inferius; ſuſpicio eſt enim non bene à Carrera fuiſſe illud monogramma exceptum, nam apud Goltzium, qui numum etiam refert, nil habet ſimile cum Caduceo, ut ex aliis etiam patebit. Jamvero Avercampum audiamus: *Charondam*, inquit in notis ad IX, *celebrem illum Catanenſium Legiſlatorem hoc nummo celebrari exiſtimat Begerus, de Baccho etiam cogitans, ut videre eſt in Theſ. Brand: Tom. I. pag. 390. nec diſplicet mihi de Charonda conjectura, quem ſub Panthei hujus imagine exprimere cives, poſt mortem demum grati, potuerunt; ſicut enim cornu arietinum ad Jovem Ammonem, ita laurus ad Apollinem ſpectare videtur; utriuſque enim Oraculum toto orbe fuit celeberrimum, hujus Delphis, illius in Libya. Horum numini Charondæ*

virtus à ſuis civibus æquiparari potuit; quum & ipſe, Jamblico teſte, divinis honoribus cultus fuerit, & leges, tamquam oracula, inviolatæ à Civibus ſervandæ ſint. Æquitas, & obſervantia legum, quæ ubertatem, & rerum omnium copiam afferre ſolent, in averſa parte exprimuntur; neque ea Catanæ modo fuit felicitas, ut Charonda dante, leges juſtas acceperint; verum & Reges æquitatem ſummè colentes habuit Hieronem, filiumque ejus Dinomenem, quos celebrat Pindarus Pythior: Ode 1; ut qui novę colonię Doricas leges, illis Lycurgi nihil cedentes juxta libram Hyllidis dederint. Cui Urbem illam divinitus fundata libertate Doricæ Hyllidis libræ in legibus Hiero condidit. *Fuit autem Hyllus filius Herculis, cujus poſteri Spartę dominati fuerunt, & ipſe Lycurgus ab Hercule undecimus. Libram hanc Hyllidis hoc in nummo Æquitas Dea manu tenere poteſt, quam laurea circumdat undique clauſa; ſive quod in æternum duraturas haſce leges ſibi ſpoponderint; ſive quod præ omnibus victoriis ſtatum ſub ęquis legibus, civilem coronam mereri agnoverint. De monogrammatibus illis crebro in Gręcorum nummis occurrentibus, vix certi aliquid dici poteſt.*

IV. Ejuſdem eſſe videtur mentis Goltzius: *Catanenſibus,* ait, *ſive Ætnęis ſuis etiam Hieronem leges æquiſſimas dediſſe, pręfecto eis Dinomene filio, memorię proditum eſt, easque ſumma æquitate ad normam, ſive lancem Lycurgi legum examinaſſe, quod per ſymbolum in numiſmatibus Catanenſium, in quibus Virgo ſtateram, ſive bilancem manu librat, expreſſum fuiſſe, haud improbabili conjectura credere licet. Huc fortaſſe etiam pertinet, quod Pindarus Hieronem Ætnam, quę Catana erat, ad leges Hyllidæ librę conſtituiſſe canat.* Verum enim

enim vero, quum Hiero, Catana expugnata, expulſiſque civibus, ac nova eò deducta colonia, abrogato denique Catanæ nomine, Urbem deinceps Ætnam appellari voluerit, idque tanto ſtudio, ut ſe quoque Ætneum dici, & ſalutari, victor in Olympicis juſſerit, Ætnæorum potius inſcriptionem, quam Catanenſium, numis hiſce appingi imperaſſet, novique Cives ex ſuo, non exulum nomine, Hieroni Regi, ac conditori, dicata hæc monumenta poſteris tradidiſſent; Catanæ denique memoria, quam deletam Tyrannus volebat, celebrior exinde fieret. Hæc si animadvertiſſent eruditiſſimi Scriptores, nedum hos Charondæ numos, ſed & alios ab Hierone, aut in ejus gratiam percuſſos minimè vulgaſſent, ut videbimus. Ad Sigillum redeo, de quo ſubdit poſt ſupra allata Avercampus: *Quæ omnia tamen non impediunt, quin ipſum quoque Bacchum hac forma expreſſum dicamus, vel certè ad hoc Pantheon pertinere, quum ſcribat etiam Diodorus Siculus lib. III. Bacchum æque, ac Jovem Ammonem (illius enim filius habebatur) arietinis cornibus decoratum, & hac ſpecie cultum fuiſſe. Verba enim de Ammone faciens hæc ſubiungit: Et hinc factum, ut filius quoque ejus Dionyſius ſimili facie oſtenteretur, & poſteri cornutum fuiſſe hunc Deum pro certo tradant. Immo huic Deo laurum quoque vindicavit Begerus ex Metapontinorum nummo, atque hoc Homeri verſu in hymno ſuo: Hedera, & lauro ornatus.* Argenteum aliud Charondæ numiſma, omnino ſimile, niſi quod abſit laurea, obtulit Goltzius num. IV. Æreum, ac moduli quarti Archangelus num. XX. ejuſdemque metalli complura penes alios aſſervata ſe vidiſſe Carrera affirmat, extantque hodie in S. Nicolai muſeo nonnulla etiam, quin, & XII apud Parutam, ſed moduli ſecundi,

cundi, in paucis variat, quorum idcirco ectypos dare, eſſet ſuperfluum.

Tab. 3. n. 14 V. Duodecimus, quem Paruta profert numus ex ære moduli quarti, poſtremus eſt in noſtra *Tabula* III, ſive *decimus quartus*, habetque Caput arietino cornu, & laurea inſigne, cum Urbis inſcriptione, & muliebre ſimulacrum cum libra & cornucopiæ, nudo tamen capite, ut in aliis viſitur; ſed non omnino ſororiant monogrammata, nam quod inferius, eſſe videtur Pentagonum. Eſt Pentagonum, juxta Authorem auctarii ad Pierium, *ſalutis ſymbolum*, cujus origo talis commemoratur. *Antiochus is, qui Soter cognomento dictus eſt, cum adverſus Galatas pugnaret, nec ſatis ex ſententia res ſuccederet, eſſetque in diſcrimine, per quietem vidit, vel ſe vidiſſe ſimulavit, ut militum animos in ſpem erigeret, Alexandrum magnum ſe monentem, ut ſalutis ſymbolum aſſumeret, idque pro teſſera Tribunis daret, eorumque veſtibus inſueret, ea re fore, ut victoria potiretur. Symbolum autem hujuſmodi illi oſtendiſſe, triangulum tricipem invicem inſertum ex lineis quinque conſtantem in quibus* ΥΓΙΕΙΑ *ſcriptum erat; ſic enim ſalus, ſanitaſve Græcè appellatur. Unde & hoc ſignum in veteribus Antiochi numis adhuc cernitur, quod ſignum Mathematici à quinque angulis Pentagonum vocant.* Hæc ille ex Luciano. Obſervat Carrera optimè explicationem hanc Legislatori, legeſque ſervantibus aptari; Sed Pentagoni ſymbolum in Charondæ numiſmatis Antiochi tempora præceſſiſſe affirmat. Marcus Majer in libra juſtitiam, in Cornucopiæ pacis ſymbolum, quæ ex juſtitia oritur, in characteribus monetariorum notas recognoſcit, aut Catanenſium erga Civem peculiare aliquod argumentum nobis ignotum.

Præbet

VI. Præbet Quintum ejuſdem moduli, æreumque Archangelus numum, Cornutum caput, ſed nudum referentem, atq; ex alia parte Caduceum cum epigraphe ΚΑΤΑΝΑΙΩΝ. Mercurius legum author virga utebatur ad bella, diſſidiaque componenda, quæ Caducei nomen habebat, quod diſcordiæ, contentioneſque eo interpoſito cadere dicerentur. Poetæ, quod ille pugnantes angues, quum inveniſſet, diremerit, adeout ambo virgæ ejus adhæſerint, ſomniarunt. Hinc Caduceatores, ideſt Pacis Legati à Caduceo, quem geſtabant, appellati. Ægyptii, in duorum draconum, maris, & feminę ſpecie Caduceum figurarunt, qui parte media ſui voluminis nodo, quem Herculeum vocant, vinciebantur, ſupremis verò partibus in modum circuli oſcula jungebant; caudæ poſtmodum ad capulum Caducei, qui & alis quandoque ornabatur, ex eadem capuli parte enaſcentibus, revocabantur *Tab.* IV. *n.* I. Aptiſſimè igitur Mercurii insigne in Charondæ numiſmate, qui leges Chalcidenſibus in Sicilia, & magna Græcia perſcripſerat, Catanenſes uſurparunt, ut Civem optime meritum Mercurio æqualem prædicarent. De Caduceo porro plura Pierius (a) *Sunt*, inquit, *authores haud quaquam aſpernandi*, Svidas nempe, & Polybius, *qui ſerpentes illos mutuis nexibus implicitos minas, & pacem ſimul oſtentare putent*. Et infra: *Putarim picturationem hanc*, Caducei, *in pacis, & concordiæ ſignificatum inde ſumptum, quod ſerpentis effigies pleriſque locis pro bello, & odio, funeſtaque alia quavis clade poni ſolita eſt; Oſculum autem & pacis, & concordiæ ſignum eſſe, negarit nemo.* Subinde ex Plinio lib. IX. cap. 3. tradit. *In Etiopia tantam anguium vim convenire, convolvique in gyrum invicem, ut montis procul aſpicientibus*

Tab.4.n.1.

(a) Hierogl.115

cientibus

cientibus ſpeciem reddant; cujuſmodi quidem complexus anguium, & frugifera eorum concordia cauſa videtur eſſe, quare exteræ gentes Caduceū in pacis argumentum, circumdata effigie anguium, fecerint. Denique concludit alibi: *Ea de cauſa angues Caduceo complicari putamus, quod oſtendere voluerint, & calliditatem, & prudentiam neceſſarias eloquentiæ, quæ per virgam ſignificatur; quippe quæ regat dictis animos.* Eſt & alia Caducei ſignificatio ab Authore Auctarii ad Pierium allata lib. 1. *Caduceus,* inquit, *fati poteſtatem, vel afflatum quemdam divinum, quo non modo mentes noſtræ, verum etiam creata omnia moventur, & gubernantur, atque vinculum, quo cum Deo colligati ſumus, & inter nos, denotat.* Julius Camillus Delminius in Idea Theatri, teſte Carrera: Caduceus, ſcribit, pacificam deſignat naturam, reique familiari, ac bono publico addictam. Ipſe demum Carrera, *virga,* ait, *Juſtitiæ rigorem, Serpentes prudentiam produnt.* Quæ ſane ſignificationes Legislatori, qualis Charonda, aptari omnino poſſunt, eaſque idcirco huc congeſſimus, quia & in aliis Catanæ numis Caduceus viſitur, ut ſicubi occurrerit, illas hic conſulas.

VII. Rurſus apud Archangelum æreum tertii moduli habemus, in quo Charondæ caput quercea redimitum corona, & cornu inſtructum ex antica, ſceptrum verò alatum cum pateris utrinque in averſa facie, & inſcriptionem populi ΚΑΤΑΝΑΙΩΝ inſpicias. *In civica, ſeu quercea corona,* inquit Carrera, *ſervatos Cives mediis legibus deſignare Catanenſes voluerunt; inde enim reipublicæ diuturnitas oritur. Sceptrum verò imperium denotat; Alæ ſymbolum Gloriæ, & famæ ſunt recto, prudentique regimine partæ.* Vide *Tab.* IV. *n.* 2.
Tab. 4. n. 2 Huic ſimilem Raphael Trichetus Du Freſne ar-

genteum

genteum numum moduli primi ſibi à Petro Sequino oblatum Charondæ adjudicavit, quem ad Sileni cultum Avercampus refert, & lectorem ſuum admonet idem fuiſſe judicium Ill: Spanhemii to.1. Operis majoris pag. 401. & minoris pag. 370. Sed Trichetum audiamus (a) *Primo aſpectu, ex naſo, qui ſimus, ex fronte, quæ depilis, ex oris facie, quæ invenuſta, Socratem Sileno ſimilem, ut illum in Sympoſio deſcribit Zenophon, vidiſſe putaveram. Sed quid Socrati cum Catanenſibus? .... Si conjecturæ locus datur, expreſſam à Catanenſibus in hiſce nummis Charondæ effigiem putaverim. Charondas autem non ſolùm Civitati ſuæ leges ſcripſit, ſed & aliis Chalcidicis per Italiam civitatibus, ut legimus apud Ariſt: Polit: lib. 2. cap. ultimo Ælian. lib. 3. Var. Hiſ: Malè Alexander Carthaginenſem facit; Aldus Tyrium malè facit in Comm. ad Cicer. Lib. de Legibus. Probabile eſt igitur, & veriſimile, Catanenſes, ut Civis ſui de republica optimè meriti memoriam conſervarent, nummos illos illius imagine obſignaſſe. Divinis enim propemodum honoribus legiſlatores ſuos decorabat Antiquitas, illoſque vel Deos, vel Diis genitos reputabat. Sic Zeleucus Charondæ condiſcipulus poſt Locrenſium Urbem legibus munitam ſub nomine Minervæ apud ipſos Locrenſes prudentiſſimos eſt habitus, ut ſcribit Valer: Max: lib. 1. cap. 11. Divinum autem aliquid in Charonda denotant appicta capiti illius cornua, qualia, & Jovem Ammonem, & alios, quos potentia Deos fecit, geſtare videmus; Cornua enim potentiæ ſymbolum fuiſſe norunt omnes, quid verò legibus potentius? In altera nummi parte Sceptrum alatum promptam, & velocem eloquentię vim ſignificat, qua olim uſus Mercurius, qui*

(a) Epiſ. ad Petr. Sequinum.

Feros vultus hominum recentum
Voce formavit

Verba autem alata appellavit Homerus in Odiſſ. ver. 122. unde & alatam Mercurio virgam dedit Antiquitas, quæ & priſcos Legislatores Mercurio aſſimilavit, ut Moyſem, quem Artebanus apud Euſebium lib. IX. *Præpar. Evang. Mercurium ab Ægyptiis vocatum fuiſſe dicit; Quem Moyſem cornutum quoque fuiſſe notant, ac deſignant ſacræ paginæ. Pateras ex utraque Caducei parte effictas ad religionem pertinere, quæ politices fere ſemper pars fuit, tritius eſt, quam demonſtratione indigeat.* Numus cæterum S. Nicolai muſeo accquiſitus, quem anecdotum non immerito dixi, ſororiat in quibuſdam cum hoc, apud Sequinum à Tricheto deſcripto; habet enim caput, fronte depili, prolixa barba, ſed inſcriptio eſt KATANE. Sceptrum ſeu virga utrinque non pateras habere videtur, ſed orbes, ſeu volutas ad virgæ ornatum ſpectantes.

Tab. 4. n. 3 Illum conſule *Tab.* IV. *num.* 3.

VIII. Ad eorum, quæ dicta ſunt, majorem intelligentiam nonnulla hìc ſubdere non gravabor. Obſervat igitur Carrera Charondæ vultum in hiſce numis pro artificum arbitrio diverſimode effingi; adamuſſim verò illum fortaſſe Philoſopho aſſimilem eſſe, quem in argenteo ſpectamus *Tab.* III. *num.* XIII; ſpecimen quippe decentis auſteritatis, ac ſapientiæ præ ſe ferre videtur. Sed quum longe poſt Charondam eoſdem percuſſos fuiſſe, uti exploratum habeam, hoc ipſum Carreræ aſſertum arbitrarium exiſtimo. Alexandri porro Macedonis, & Lyſimachi eodem ſigillo ſignata numiſmata paſſim occurrunt, quin & M. Aurelii Antonini exhibet unum vir Clariſs. Blanchinius in Ægypto percuſſum, ubi caput arietino cornu inſigne

videas;

genteum numum moduli primi ſibi à Petro Sequino oblatum Charondæ adjudicavit, quem ad Sileni cultum Avercampus refert, & lectorem ſuum admonet idem fuiſſe judicium Ill: Spanhemii to.1. Operis majoris pag. 401. & minoris pag. 370. Sed Trichetum audiamus (a) *Primo aſpectu, ex naſo, qui ſimus, ex fronte, quæ depilis, ex oris facie, quæ invenuſta, Socratem Sileno ſimilem, ut illum in Sympoſio deſcribit Zenophon, vidiſſe putaveram. Sed quid Socrati cum Catanenſibus?....Si conjecturæ locus datur, expreſſam à Catanenſibus in hiſce nummis Charondæ effigiem putaverim. Charondas autem non ſolùm Civitati ſuæ leges ſcripſit, ſed & aliis Chalcidicis per Italiam civitatibus, ut legimus apud Ariſt: Polit: lib. 2. cap. ultimo Ælian. lib. 3. Var. Hiſ: Malè Alexander Carthaginenſem facit; Aldus Tyrium malè facit in Comm. ad Cicer. Lib. de Legibus. Probabile eſt igitur, & veriſimile, Catanenſes, ut Civis ſui de republica optimè meriti memoriam conſervarent, nummos illos illius imagine obſignaſſe. Divinis enim propemodum honoribus legislatores ſuos decorabat Antiquitas, illoſque vel Deos, vel Diis genitos reputabat. Sic Zeleucus Charondæ condiſcipulus poſt Locrenſium Urbem legibus munitam ſub nomine Minervæ apud ipſos Locrenſes prudentiſſimos eſt habitus, ut ſcribit Valer: Max: lib. 1. cap. 11. Divinum autem aliquid in Charonda denotant appicta capiti illius cornua, qualia, & Jovem Ammonem, & alios, quos potentia Deos fecit, geſtare videmus; Cornua enim potentiæ ſymbolum fuiſſe norunt omnes, quid verò legibus potentius? In altera nummi parte Sceptrum alatum promptam, & velocem eloquentię vim ſignificat, qua olim uſus Mercurius, qui*

(a) *Epiſ. ad Petr. Sequinum.*

profligatos ſcilicet hoſtes, & ſubſecutam victoriam innuerent. Neque abs re: Pallas enim, cui avis hęc, ut diximus, ſacra, Author, & Belli Princeps juxta Tullium (a) audit. Græcum numiſma apud Blanchinium, cum Noctua literæ Σ inſidente me vidiſſe memini, in quo Character Urbem denotat, quæ numum cudi curaverat; ſed huic noſtro interpretatio hujuſmodi incongrua, nec enim initialis Catanæ litera eſt Sigma. Cæterum Majerius Carreræ adhæret in numiſmatis explicatione, quos Ego ſectatus Acidi etiam illud adjudicavi, quod imberbis juvenis ſigillum eidem optime conveniat, cujus cum Galathea nympha amores notiſſimi, ac mors, & in flumen ſui nominis converſio alibi fuſiori calamo deſcriptæ.

(a) De Nat. Deor. l. 3

III. Avercampus de hoc numo *Recubantium fluviorum ſpecie*, ait, *figuram muliebrem cernis urna ſua nixam, atque arundine ſuffultam, dextra cornucopiæ gerit, madidi autem capilli per cirros ſibi invicem cohęrent. Ab altera parte Dioſcurorum duo agnoſcuntur pilei, ſtellis ſuis inſigniti, inſidetque literæ* Σ *noctua avis, globo ſub pedibus ſuis, ut videtur innixa, ſubtus eſt inſcriptio. Fluvios complures, eoſque ſatis nobiles per ſe, vel per Urbem fluentes Catana habuit, Amenam videlicet, Teriam, & Symæthum. Et facile quis de poſtremo judicium faceret ex litera* Σ *averſæ parti impreſſa; at paſſim virili forma fluvii exprimuntur; & ſi ex hiſce aliquis muliebri depictus olim fuiſſet figura, non ſiluiſſet id Ælianus, ubi lib*: XI. *cap*. XXXII. *mentionem facit, qua forma fluvii exprimantur paſſim, pręſertim quum de Siculis ibidem fluminibus agat. Puto itaque nobilitare hic urbem ſuam Catanenſes voluiſſe Galatheę fabula .... Cornucopiæ dextra tenet pro-*

pter

pter inſignem Catanenſis agri ubertatem; recubat verò Dea non aliter, quam pater fluviorum Oceanus in Beger. Theſ. Brand. Tom. 1 pag. 74, & Inachus ibidem. pag. 199. Ab altera parte Noctua Athenienſium expeditionem nobis in memoriam revocat, quibus hoc nummo adulati videntur Urbis hujus cives, tum, quum immenſis copiis, magnoque apparatu Siciliam invaſerunt, atque Syracuſas arcta obſidione preſſerunt. Dioſcurorum pilei felicem illorum navigationem deſignare poſſunt, atque auſpicata exordia. Sed cui hæc non arrident, alia dabo: Megare, ſi nummos ejus Urbis inſpiciamus, Noctuam paſſim iis impreſſit, & aliquando primam, atque ſecundam literam appellationis, qua Urbs denominata fuit ... Hinc ſocietate, aliqua inter utramque Civitatem inita, teſtem amicitiæ, ut ejus generis plura in ſiculis nummis viſuntur, nummulum hunc percutere potuerunt.

IV. Ex laudato Archangelo non abſimilem habemus numum, à Carrera editum; ſed vir ſenili, ac gravi aſpectu recumbens, arundineo ſerto redimitus, dextera cornucopiæ, ſiniſtra virgam preferens, vaſi, unde aquæ promanant, innixus ex una inſpicitur; ab altera verò facie Sigma, ſupra quod Noctua, ac Pilei, qui anſas, ſive aures utrinque habent, & ſupra pileos Stellæ. Et eſt inſcriptio KATANA- Extant in S. Nicolai de Arena muſeo ejuſdem ectypi duo, ſed legitur KATANAIΩN. Vide *Tab.* IV. *num.* 5. In ſene Symethus fluvius depingitur, qui merito coronatus virgam gerit, eſt enim omnium, qui Siciliam alluunt, princeps, ac *Magni* titulum jure ſibi vindicat. Copiæ cornu agrorum, quos excurrit, fertilitas ſignificatur, nec enim feraciores per inſulam videas. De noctua, Sigma, & Pileis jam diximus;

hìc

profligatos ſcilicet hoſtes, & ſubſecutam victoriam innuerent. Neque abs re: Pallas enim, cui avis hęc, ut diximus, ſacra, Author, & Belli Princeps juxta Tullium (a) audit. Græcum numiſma apud Blanchinium, cum Noctua literæ Σ inſidente me vidiſſe memini, in quo Character Urbem denotat, quæ numum cudi curaverat; ſed huic noſtro interpretatio hujuſmodi incongrua, nec enim initialis Catanæ litera eſt *Sigma*. Cæterum Majerius Carreræ adhæret in numiſmatis explicatione, quos Ego ſectatus Acidi etiam illud adjudicavi, quod imberbis juvenis ſigillum eidem optime conveniat, cujus cum Galathea nympha amores notiſſimi, ac mors, & in flumen ſui nominis converſio alibi fuſiori calamo deſcriptæ.

(a) De Nat. Deor. l. 3

III. Avercampus de hoc numo *Recubantium fluviorum ſpecie, ait, figuram muliebrem cernis urna ſua nixam, atque arundine ſuffultam, dextra cornucopiæ gerit, madidi autem capilli per cirros ſibi invicem cohęrent. Ab altera parte Dioſcurorum duo agnoſcuntur pilei, ſtellis ſuis inſigniti, inſidetque literæ Σ noctua avis, globo ſub pedibus ſuis, ut videtur innixa, ſubtus eſt inſcriptio. Fluvios complures, eoſque ſatis nobiles per ſe, vel per Urbem fluentes Catana habuit, Amenam videlicet, Teriam, & Symæthum. Et facile quis de poſtremo judicium faceret ex litera Σ averſæ parti impreſſa; at paſſim virili forma fluvii exprimuntur; & ſi ex biſce aliquis muliebri depictus olim fuiſſet figura, non ſiluiſſet id Ælianus, ubi lib. II. cap. XXXII. mentionem facit, qua forma fluvii exprimantur paſſim, pręſertim quum de Siculis ibidem fluminibus agat. Puto itaque nobilitare hic urbem ſuam Catanenſes voluiſſe Galathęę fabula .... Cornucopiæ dextra tenet propter*

pter

pter inſignem Catanenſis agri ubertatem; recubat verò Lea non aliter, quam pater fluviorum Oceanus in Beger. Theſ. Brand. Tom. 1 *pag.* 74, *&* *Inachus ibidem. pag.* 199. *Ab altera parte Noctua Athenienſium expeditionem nobis in memoriam revocat, quibus hoc nummo adulati videntur Urbis hujus cives, tum, quum immenſis copiis, magnoque apparatu Siciliam invaſerunt, atque Syracuſas arcta obſidione preſſerunt. Dioſcurorum pilei felicem illorum navigationem deſignare poſſunt, atque auſpicata exordia. Sed cui hæc non arrident, alia dabo: Megare, ſi nummos ejus Urbis inſpiciamus, Noctuam paſſim iis impreſſit, & aliquando primam, atque ſecundam literam appellationis, qua Urbs denominata fuit ... Hinc ſocietate, aliqua inter utramque Civitatem inita, teſtem amicitiæ, ut ejus generis plura in ſiculis nummis viſuntur, nummulum hunc percutere potuerunt.*

IV. Ex laudato Archangelo non abſimilem habemus numum, à Carrera editum; ſed vir ſenili, ac gravi aſpectu recumbens, arundineo ſerto redimitus, dextera cornucopiæ, ſiniſtra virgam præferens, vaſi, unde aquæ promanant, innixus ex una inſpicitur; ab altera verò facie Sigma, ſupra quod Noctua, ac Pilei, qui anſas, ſive aures utrinque habent, & ſupra pileos Stellæ. Et eſt inſcriptio KATANA- Extant in S. Nicolai de Arena muſeo ejuſdem ectypi duo, ſed legitur KATANAIΩN. Vide *Tab.* IV. *num.* 5. In ſene Symethus fluvius depingitur, qui merito coronatus virgam gerit, eſt enim omnium, qui Siciliam alluunt, princeps, ac *Magni* titulum jure ſibi vindicat. Copiæ cornu agrorum, quos excurrit, fertilitas ſignificatur, nec enim feraciores per inſulam videas. De noctua, Sigma, & Pileis jam diximus;

hic

hìc aliqua ſubtexere de Stellis opportunum duxerim, Caſtor enim, & Pollux, qui in illis ſignificantur, ad Symęthum ſpectant. Notiſſima eſt Caſtoris, & Pollucis fabula. Jovis quippe, & Ledæ filii dicuntur; quumque virtute bellica inſignes, Piratas inſectati, pontum expurgaſſent, à Nautis in divos tutelares ſunt adoptati; illiſque tempeſtate agitatis in Stellas converſi, apparere, ac fauſta nunciare credebantur; hinc canit Horatius

Dianam, & Alcidem, pueroſque Ledæ
Hunc equis, illum ſuperaſſe pugnis
Nobilem, quorum ſimul alba Nautis
Stella refulſit.

Nec eorum in ſtellas converſio fabulâ caret: Fingunt enim, quòd immortalitatem ab Jove patre Pollux aſſecutus, petiit, munus cum fratre, qui obierat, dividere, itaut alternis diebus viverent, obtinuitque. Itaque in Sydus uterque mutatus; quorum uno oriente occidit alterum, ſervantque adhuc nomina. Ovidius Faſt. v.

Jamverò, quod commune cum Symętho videntur habere gemini, Pollux, & Caſtor, eſt, quia Palicorum aram *Symęthia circum flumina*, ſtatuit Virgilius. Palicos aliunde Varro Romanorum doctiſſimus, & Servius eoſdem eſſe cum Caſtore, & Polluce adſtruunt, ut in Sicilia ſua obſervat Cluverius. Idem Servius à Symętho antiquiſſimo Inſulæ Rege fluvium magnum nomen habuiſſe tradit; Hinc merito ſenex hic fingitur; ut & alii figurantur, quod de Nilo, Tigri, Danubio, aliiſq; ex Romanis numiſmatis obſervat Antonius Auguſtinus. Non omittam hìc Cajetanū in Iſagoge {*a*} hunc numum Amenano tribuere, ſive jacentem ſenem Amenanum exprimere.

(*a*) Cap.3.n.12

V. Anecdotum in laudato S. Nicolai muſeo

numiſma adnotavi æreum tertii moduli. Recta facies fluminis exhibet genium, virum nempe recubantem cum arundinea corona, Cornucopiæ, & urna aquas vomente; poſtica verò pileos tantummodo, anſatos, loraſque in inferiori etiam parte habentes, videas, quales in Parutianis Urbis Tyndaridę numis. Inſcriptio eſt ΚΑΤΑΝΑΙΩΝ, ſub qua, aut Delphin, aut alia maris bellua, vel Mugil, qui piſcis eſt capitoſus. Si Mugil, Symętho congruit, juxta illud Macrobii *Ex Symętho mugiles*; Si Delphin, Catanam urbem eſſe maritimam, ſignificat; Pilei ad libertatem Reipublicæ, atque ad Dioſcuros alludunt. Conſule *Tab.* IV. *num.* 6. Ad Acim pertinere aliquot Valeriæ gentis Romana numiſmata contendit Carrera; Sed & eruditiſs. Antonius Auguſtinus in dialogis, Fulvius Urſinus in Familiis Romanis, & Julius Cęſar Capocius ejuſdem eſſe ſententiæ videntur, quod in illis pars una Caput habeat cum epigraphe ACISCVLVS, alia verò Sirenem, & inſcriptionem L.VALERIVS. Sirenes circa Acis littora ſtatuunt nonnulli; hinc Aciſculus Valeriæ gentis author, ita fortaſſe appellatus ab Acis flumine, unde originem ſumpſit, eam ſibi in teſſeram adſcivit. Habes hos numos apud eumdem Carreram, qui plura eruditiſſimè in hanc rem congerit, apud Parutam inter Romanos, & Græcos, & noviſſimè penes Sebaſtianum Vaſtacirellum in ſuo Aci Antiquo. Non omiſerim tamen *Aciſculi* nomen ad aliud ſignificatum in iiſdem numis referre nonnullos.

Tab.4.n.6

VI. Æreum quinti moduli ex Archangelo profert Carrera numum, nec non alium penes ſe aſſervatum; Uterque Caput Apollinis diadematum, & radiatum in una, in altera verò parte trunco arboris juvenilem figuram inſidentem exhibet nudam,

dam, capite frondibus flumineis ornato. Tenet hęc in illo Archangeli dextera cornucopiæ, eſtque inſcriptio KAMACENOC. Sed in alio Carreræ dextera non modo manus cornucopiæ, verum læva ramuſculum ſuſtinet, habet ſimul ſuper genu vas, ex quo aquæ effluunt, & adſcribitur KA. Vide *Tab.* IV. *num.* 7. & 8. Obſervat Author hic radios duodecim Phœbo appingi, quia per totidem ſigna, annuo curſu emenſo, circulum perficit. Virgilius de Rege Latino, qui ab Apolline genus ducebat, loquens canit (*a*) *Tab.* 4. *n.* 7. 8. (*a*) *Æneid. lib.* 12.

Cui tempora circum
Aurati bis ſex radii fulgentia cingunt
Solis avi ſpecimen.

Hinc apud Rhodios eadem teſſera numiſmata cudebantur, capite nimirum radiato, quo Solem ſignificabant, in cujus tutela eorum Inſula erat, ut & illud immodicæ proceritatis ſimulacrum à Charete Lyſippi diſcipulo ex ære fuſum, caput habens radiatum, etiam declarabat. Similia inter Romana habentur, ut Guillelmus Chaul ab eodem Carrera laudatus, aliique produnt, quæ indubiè ad Phœbum referuntur. Quod verò Archangelus in ſuo radios decem & ſeptem animadverterit, id artificis arbitrio potius, quàm alicui myſterio tribuendum, ut optime Carrera adnotavit. Eoſdem referens numos Avercampus hæc ſcribit: *Ex hac inſcriptione fluvio ſuo, qui nunc Judicellus dicitur,* Chamaſeni *nomen Carrera impoſuit*; *quum tamen nuſquam apud veteres tale nominis occurrat portentum. Vocatur ab illis* Amenas, *vel* Amenanus, *ſicut patere poteſt ex crebris teſtimoniis ab eruditiſſimo Cluverio conſtipatis pag. Siciliæ ſuæ* 119. *&* 120. *vet. edit. diſtingui itaque Inſcriptio debet, atque legi K. A. id eſt* KATANAIΩN AMA-

ΣΕΝΟΣ. *ſcriptione maximè naturali, qua Catanenſium agnoſcitur eſſe numus, & exprimi in eodem Amaſenum nobilem fluvium*: Subdit deinde ad Carreræ, numum *Jure merito quæras, cur non recumbens hic fingatur fluvius, ut modo Symæthus, atque alii paſſim finguntur fluvii. Rei ejus hanc exiſtimo eſſe rationem. Omnes Scriptores, qui fluvii Amaſeni, ſive Amenani mentionem fecerunt, teſtantur illum quandoque per annorum aliquot ſeriem non apparere, (quæ forſan cauſſa eſt, cur in ſuperiori nummo nulla addita appareat urna aquam, ut in hoc effundens) deinde ſubito prorumpere è terra, atque effluere. Perpetuò enim labentes curſu fluvii, jacentes, ſeu recumbentes pingi decet, ut in ſtatu ſuo permanentes; at, qui curſum aliquando intermittunt, ſedentes; quum ille ſtatus ſit aptus, vel ad ſurgendum, ambulandumque, vel ad recumbendum. Attributa copiam rerum omnium denotant.* Sed enim Amenanus Catanam interfluens, marinis mox aquis ſuas admiſcet, agrumque alluit nullum; cujus fœcunditatem promoveat. Verùm ſervatus in ejus ſimulacro effingendo ab artifice mos eſt, quo paſſim copiæ cornu fluminibus aptatur.

CA-

NUMI QUADRIGIS, BIGISQUE SIGNATI.

I. Bigati, & Quadrigati Denarii meminit Plinius (*a*), taleſque apud Romanos dicebantur, qui aut bigas, aut quadrigas referebant. *Ludos Circenſes per bigas, aut quadrigas, quæ tot numis ſignatæ ſunt, ſignificari ſatis omnibus innotuit*; Pier. Valer. (*b*) *Univerſa Græcia, cum Romanis eo ſpectaculorum genere per multa ſæcula detentis; Id autem honoris habitum Aurigarum factionibus, ut in victoriarum eorum memoriam numi ipſi, & bigati, & quadrigati cuderentur*. Ex his complures inter Parutianos videas ad Catanam ſpectantes, metallo, ac magnitudine præcipuos, quorum duo editi etiam à Goltzio ſexti moduli ex argento dragmas pendunt VII, quales Syracuſis, florente republica, percuſſos videmus, atque ex variis ejuſdem Urbis numis æqualis omnino ponderis eruimus. Primus igitur penes Parutam argenteus quarti moduli Caput juvenile, ſeu virile, diademate cinctum cum inſcriptione KATANAI.. habet; ab altera verò parte Figura eſt in quadrigis, cui advolans victoria ſertum porrigit. Caput Ducem aliquem, civemque Catanenſem quadrigis victorem referre exiſtimo; Ad Hieronem quippe, aut Dinomedem ejus filium ſpectare numum, ut Avercampus ſcribit, ſolita Catanenſis populi epigraphe prohibet credere, quod alibi admonui. *Habuit Hierò noſter*, en Avercampi verba, *filium Dinomenem, cujus meminit Pauſanias, ut qui dedicaverit patris ſui donaria in Græcia, quemque præfeciſſe Catanæ novo nomine Ætnæ vocatæ tradunt Hiſtorici*. Si ergo Catana novo nomine Ætna vocata, quo pacto ad Hieronem, aut ejus filium Catanen-

(*a*) *Lib.* 33. *cap.* 3.

(*b*) *Hieroglyph. lib.* 24.

tanenſia numiſmata ſpectare dicentur? Retulit Hiero, in ſacris ludis victorias; potuit Dinomenes Patris triumphos poſt obitum ejuſdem in urbis ſuę numis celebrare, atque inter ſacra Anathemata donaria ejuſdem dedicare, ut idem Avercampus obſervat, ſed Ætnæorum in iis nomen appictum voluiſſent potius, quàm Catanenſium, quos patriâ extorres fecerant, cujuſque exciſam ex hominum animis memoriam tanto ſtudio, ac contentione exoptaverant. Nec Regium diadema, ſive faſcia, quę Regum olim inſigne erat, negotii aliquid faceſſit; potuit enim Victor ille, uti Reipublicæ admiſtrator, eo decorari geſtamine. Quid ſi numinis alicujus caput eſſe dicamus, ut de aliis mox ſubjiciendis Scriptores affirmant? Petrus Carrera muliebre caput crinibus eleganter diſpoſitis in hoc numiſmate recognoſcit, putatque Catanam denotare; verum non modo in Parutiano, ſed in ipſo Carreræ ectypo pag. 366. virilis vultus lineamenta, clariſſime videas. De Chromio idem author cogitat, quem Pindarus Nemęor. Ode 1 Victorem dicit; hic verò Hieroni addictiſſimus Ætnęus ab eodem Poeta compellatur. *Tab.* IV. *n.* 9. *Tab.4.n.9*

II. Tertium ejuſdem moduli, ac metalli numiſma à Paruta editum, caput Apollinis lauro coronatum refert, inſcribiturque ΚΑΤΑΝΑΙΩΝ; ab altera facie equorum biga cernitur in teſtimonium, ut videtur victoriæ ſacræ, à quopiam reportatæ. Erat Catanæ Hippodromus, in quo circenſes ludi quotannis celebrabantur, ut Lib. IX. fuſiùs explicatum; Editos igitur in Apollinis fortaſſe honorem, cujus apud Catanenſes celebris religio, ludos numus indicat; quod ſi ex olea coronam cum Carrera dixeris, Caput eſſe Palladis non incongruè putabis, æquè enim numinis hujus Cata-

næ

næ cultus frequentiſſimus, ut alibi expendam. Quartus penes Parutam à ſuperiori in eo differt, quod ſupervolat victoria cum corona *palmam ita*, inquit Avercampus, *haud ambiguam faciens*. Putat Carrera, quod advolans equis victoria eoſdem corona donet, ut illorum inde pernicitas, ac in curſu triumphus denotetur. Conſule *Tab*.IV.*n*.10,& 11 *Tab*.4.*n*.10 11
Huc ſpectat, & alius numus ab Archangelo oblatus, æreus, quarti moduli, & à Carrera cap. XXV. editus, ubi caput eſt virile, laurea præcinctum, & inſcriptio ΚΑΤΑΝΑΙΩΝ ex una parte, ex alia verò Biga, quam mulier juxta Archangelum dirigit, qui illud caput eſſe Plutonis, hanc verò Proſerpinam figurare aſſerit. Carrera, cui hæc explicatio minimè arridet, virum potius ad equorum regimen ſedere putat, hinc Caput ducem aliquem, aut Catanenſem civem bigis victorem in ſacris ludis deſignare. *Tab*. IV. *num*. 12. *Tab*.4.*n*.12

III. Elegantiſſimos denique argenteos moduli ſexti numos Quadrigis ſignatos, Goltzius, ut innui, num. I, & II. ac Paruta num. VII. & VIII. exhibent; ſubinde Carrera cap. XVII. & Avercampus. Adſculptum in utroque Caput muliebre, comis luculenter ſparſis, oleagina corona redimitum, affirmat cum Archangelo Carrera, eoque Palladem repræſentari credit. Majerus divam aliquam præcipuo honore à Catanenſibus cultam exprimi dicit. Goltzius, & Avercampus Apollinem in illo recognoſcunt, lauro coronatum. Eſt in uno inſcriptio ΚΑΤΑΝΑΙΩΝ cum in antica, tum in poſtica facie, & ſub quadriga piſcis; ſed inverſo corpore; Alteri inſigne accedit ornamentum ex columna, quæ juxta priores equos triumphalis quadrigæ cernitur, & piſcis, ſeu Delphin natans ſub epigraphe ΚΑΤΑΝΑΙΩΝ extat. *Tab*. IV. *num*.
13, &

13, & 14. Hic rurſus Goltzius: *Quum Hiero originem ſuam à Lindiis Rhodi populis repeteret, ipſique Rhodo caput ſolis radiis cinctum pro inſigni fuerit, veroſimile eſt hinc, & Catanenſium nummos parte adverſa ſolis caput, averſa autem Hieronis victoriam (ter enim vicit, ſemel quadrigis, bis celete) exprimere. Catanenſibus Hiero Chromium, quem ob ſingularem modeſtiam, probitatem, ac fortitudinem diligebat, præfecerat, qui & ipſe Pythiis victor, ut patria Ætnæus proclamatus eſt.* Fuſiùs Avercampus: *Hiero originem ſuam à Lindiis, gente Inſulæ Rhodi, repetebat, atque ideo ſolis illum habitum in Catanenſium nummis expreſſit; Lindus autem Cercaphi fuit filius, quem inter ſeptem illos fuiſſe narrant fabulæ, quos ab Apolline compreſſa cognominis Inſulæ Rhodo, nympha peperit.... Atque ita ad Deos originem ſuam extollens Hiero, merito caput Apollinis habitu ſolis Rhodii in numiſmatibus ſuis, iiſque majuſculæ formę percuſſit. Hujus enim Lindi progenies, Rhodo profecta, Gelam in Sicilia condidit, ut diſertis verbis teſtatur Herodotus Lib.* VII. *cap.* LIII. *Ex quibus Lindiis Gelo, & Hiero ortos ſe ferebant.* Verùm calamo ceſpitaſſe Scriptores hoſce alioqui eruditos jam in ſuperioribus oſtendi; quamvis in aliis ejuſdem numi explicationibus repugnare illis nolim.

IV. Caput igitur Apollinis eſſe, ex lauro corona apertiſſime demonſtrat; hanc enim oleaginam nec ipſi apud Carreram ectypi produnt. Laurus Apollini ideo juxta fabulas ſacra dicitur, quia fugientem Daphnen Penei Theſſaliæ Regis filiam, quum ille inſequeretur, converſa Virgo in arborem laurum, ſpem eluſit amantis; unde ex ejus perſona canoro carmine Ovidius (a)

(a) Metam. l. 1

At

At quoniam Conjux mea non potes eſſe
Arbor eris certè, dixit, mea; ſemper habebunt
Te coma, te cytharæ, te noſtræ, Laure, pharetrę.

Hinc Laurus Delphica, Phębea, Delia, Pythica, & Parnaſſia apud poetas audit. Scaligerus (*a*) è lauro coronam primum dediſſe in ludis Pythiis Apollinem tradit: *Debellatis reliquiis, Cirrhæorum, redintegratis ludis, coronam victori tum primum propoſitam, quidam prodidere. Verùm equidem alios ab Apolline datam coronam melius ſentire arbitror, eamque è Lauro, cujus ille, vel termites, vel taleas è Theſſalia tuliſſet. Etenim è Creta ad Tempe ſeſe contulerat, quo de Draconis cęde à Chryſotomide expiaretur.* Quę ſane conſonant cum his, quæ Pindarus, atque Callimachus memorant: Apollinem nempe, interfecto Dracone, Lauream induiſſe quaſi ſupplicem; ſolebant enim ſupplices juxta veterum morem coronari. Videſis Pierium lib. 50. neque delicatiora vultus lineamenta, crineſque paſſos opponas; nam *Deus juvenis* ab Ovidio, *caputque juvenile intonſis capillis* haberi dicitur Phębus; (*b*) hinc Horatius

(*a*) Poet. lib. I cap. 23.

Intonſum pueri dicite Cynthium

Et Tibullus: *Solis æterna eſt Baccho, Phęboq; juvēta*
Intonſis.

(*b*) Metam. l. 1

Callimachus quoque in Hymno de Apolline:
Formoſus ſemper, ſemper juveniſque, nec illi
Feminęę quantum nigrent lanugine malę.

Jamvero piſcis, ſeu Delphin inverſo corpore in uno ex numis effictus Catanæ portum indicare, juxta Avercampum, poteſt; ſicut in altero idem natantis ritu expreſſus apertum mare. De Columna porro, hæc idem author eruditiſſimè profert: *Columnas quaſdam, ſeu* ΣΤΗΛΑΣ *in ſtadio fuiſſe, notum eſt, eaſque tres, ſingulas nominibus ſuis*

inſcriptas extitiſſe docet nos Scholiaſtes m.ſ. ad Sophoclis Electram.. Tres in ſtadio certaminis erant Columnæ, ſeu Pilæ conicæ; prima quidem in initio erat; ſecunda in medio; tertia in fine. Haſce prætervehebantur contendentes in certamine. Prima autem ex ſingulis lateribus hanc habebat inſcriptionem: Primus Eſſe Affecta. *Secunda* Feſtina. *Tertia* Flecte. *Eadem ab altera illarum parte legebantur; expleto verò curſu, ubi ultimam illam pilam prætervecti eſſent, curſum abſolvebant. Et ita quidem in hoc numiſmate, in quo victoria ſacra celebratur, ultima illa pila virtutis equorum teſtis celebratur.* Aliam ſubdit, ne quid diſſimulet, opinionem, ſed quamvis inanis non ſit conjectura, ab illa afferenda, quum ad Hieronem ſpectet, conſulto abſtineo.

V. Ad hanc claſſem revoco numiſmata num: XVIII, & XIX. inter Parutiana, in quibus Biga eſt, cui vel Leones, vel Pantheræ adjunguntur. Carrera, & Archangelus, quibus ſubſcribit Marcus Majer, Leones putant, Avercampus Pantheras recognoſcit. Muliebris certa figura in curru ſedet, turrito capite, si Parutæ ectypos attendamus; turrita verò corona, ſive muralis Cybelem exprimit, cujus currui Leones ſuccedunt, juxta illud Virgilii (*a*)

(*a*) Æneid. l. 3 *Et juncti currum Dominæ ſubiere Leones*

Id factum, si Diodoro credimus lib. IV; quia infans Dea hæc in monte Cybele Frygię regionis à parentibus expoſita, Leenæ ubere paſta, atque à feris alita dicitur. Pierius lib. XLII. *Quod verò Cybelem curru invehi finxerunt, cum eadem & tellus ſit, terræ ipſius libramentum in aere pendentis indicare Lucretius putat.* Poetæ hujus carmina ſunt: (*b*)

(*b*) Lib. 11

Hanc veteres Grajum docti cecinere Poetæ

Sedi-

Sedibus in curru bijugos agitare Leones
Aeris in ſpatio magnam pendere docentes
Tellurem.

Hinc Leones denotare, ait, quod liberi, quantumlibet feroces, obſequentes debent eſſe parentibus, eorumque ſubdi diſciplinis:

Adjunxere feras, quod quamvis effera proles,
Officiis debet molliri victa parentum.

Ovidius denique aliam aſſignans cauſſam in Faſtis canit {a}

Cur huic genus acre Leonum
Præbent inſolitas ad juga curva comas?

Reponitque ſtatim... *Feritas mollita per illam*
Creditur, id curru teſtificata ſuo eſt.

Id porro, quod figura dexterâ præfert manu incertum; Corollam effinxit Archangelus; cæterum obſcurius paſſim in numis expreſſum, pro libito fingendi figuras anſam dediſſe videtur, ut Avercampus advertit. In XVIII virgam ſiniſtra tenet, ac conſueta adſunt monogrammata; variant hæc in XIX, ac ſi vera pictura eſt, magis obſcuros, quam monogrammata, characteres illos putaverim. Vide *Tab.* V. *num.* I, & 2. Hactenus de averſæ partis Sigillis; Quid verò vultus in recta utriuſque numi area? Caput eſſe Saturni, ſive Chami, id, quod exhibet primus, affirmat Archangelus, nec abnuit Carrera, ſed juvenili ætate adſculpti; Congruum quippe, ut uxori, Cybeli nempe, maritus adjungeretur; cæterum ſi corona ex foliis arundineis, ait Carrera, ad Chamaſenum Catanæ fluvium alludit. Sed inanes, futileſque has dixerim conjecturas; Laurea enim caput eſſe Apollinis clariſſimè indicat; Inſcribitur ſolita populi epigraphe ΚΑΤΑΝΑΙΩΝ. De Athys Frygii Juvenis aſpectu cogitat Majerus in altero numo, qui Cybeli fuiſſe in deliciis traditur.

(a) Lib. 4.

Tab. 5. n. 1. 2.

ditur. Attim alii appellant, ejuſque caſus deſcribit Ovidius Faſt. IV. Habuit hic Templum in Græcia cum Cybele commune, teſte Pauſania, ut nil mirum, si & in numis eidem quoque adjungatur. Verum Avercampus Apollinem hunc etiam referre typum ſcribit. Inſcriptio eſt KATAN... Utriuſque metallum Æs, modulus denique quartus.

VI. Leonardus Auguſtinus novum nobis protulit num. XLVIII. æreum, ejuſdemq; moduli quarti numiſma, de quo hæc Avercampus. *Liberæ caput, ſeu Bacchi muliebris oris habitu, atque filo expreſſi; Ad illum enim, ut formoſam hanc faciem referamus, jubet nos ſedens ipſe habitu pariter muliebri in Pantherarum biga, læva thyrſum tenens, dextera cantharum, ut ſæpe, in ſubjectum ſibi pantheriſcum effundens. Eâdem pictura ornati fuiſſent nummi, qui occurrunt ſuperius num.* XVIII, *&* XIX, *si per delineatores licuiſſet, qui minus accuratè detritum forte as expreſſiſſe apud Parutam videntur. Vini admodum ferax regio Catanenſis fuit, unde pariter à frugum abundantia celebratur.* Hæc ille, qui in decimo octavo, ac ſequenti Bacchum quoque muliebri, mollique habitu, thyrſoq; ſuo innixum, Pantherarum bigæ inſidentem, ut innui, recognoſcit. *Et ſane* ſubdit, *ſicut vini feraciſſima fuit ſemper Catanæ planities, ita vario divinitatis decore hoc ſibi numen demereri conati ſunt*
Tab.5.n.3. *Catanenſes*. Conſule *Tab.* V. *num.* 3.

VII. Cereris numis accenſet denique Archangelus, & cum eo Carrera, illum, in quo juvenile caput lauro redimitum inſpicitur, cum inſcriptione KATANAIΩN, ab altera verò biga eſt cum inſidente Dea ſpicis coronata, quæ ſupra ſubjectum vas dexteram extendit, ſiniſtra virgam teret, & mono-

monogrammata extant. Currui enim uterque author adjunctos credit ſerpentes, qui ad Cererem ſpectant, ut Ovidius de ea loquens innuit (*a*) (*a*) *Faſ. lib.4.*

Frenatos curribus angues

Junſit; & æquoreas ſicca pererrat aquas.

Et paullo poſt: *Dixit, & egrediens nubem trahit, inque dracones*

Tranſit, & aligero tollitur axe Ceres.

Sed enim Angues, ſive Dracones, qui Cereri dantur, aliter effictos videas, ac in numo exprimuntur; Dracones Veterum aliquot Poetarum impropriè illos appellarunt, ut Cartarius obſervat, & ex Ovidio diſcimus; exili cæterum, atque intorta figura, & ſine pennis, aut alis adſculpti in antiquis monumentis perpetuò cernuntur. Quod ſpicis ſedens figura coronetur, Cererisque inſigne præferat, minima illius forma diſtinguere non permittit. In ſæpius denique memorato S. Nicolai de Arena muſeo duo ſervantur, ſubjectique Leones, ſive Lynces, abſq; alis, bigæ junguntur, mulieris caput ſerto circumdatum, dextera, aut grana, aut aliud ſimile in ſuppoſitum cantharum ſpargit, ſiniſtrâ virgam tenet. Vide *Tab.* V. *num.* 4. De hoc numo Avercampus, qui Carreræ ectypum vidit. *Tab.5.n.4*

Caput Apollinis cum inſcriptione. Ab altera parte Bacchus bigæ, quæ à Grypis alatis trahitur, inſidet. Similes numos habuimus inter Catanenſes, diſſert tamen in eo, quod ibi paſſim pantheræ, vel Lynces Bacchi currum trahant, hic verò alati Gryphes; ſatis tamen apto ſymbolo, quum juxta Veterum mythologiam Sol, & Bacchus eadem ſint numina; Unde nihil mirum ſymbola eorumdem permutari.

VIII. In noviſſima Parutiani Promptuarii editione idem Avercampus num. LIII. Tab. XXXII.

Numiſ-

Numiſma refert, in quo bigæ exprimuntur; caput verò omnino illi aſſimile, quod num: VII, & VIII. penes eumdem Parutam, atque in noſtris Tabulis num. XIII, & XIV. Tab. IV. inſpicitur; & licèt nulla adſit inſcriptio, Catanæ nihilominus illud adjudicat. In Ignatii Paternionii Biſcaris Principis, qui ſtudiis antiquitatis delectatur, muſeo anecdotum numiſma ex argento moduli V. cernimus; quod habes Tab. V. num. 5. Caput Apollinis eſt laurea præcinctum, inſcriptio ΚΑΤΑΝΑΙΩΝ. Carabi, ſive Locuſtæ maris Cataneiſis feracitatem deſignant. Averſæ partis quadrigæ Circenſem victoriam, & Cancer ſub quadrigis rurſus, vel maris fęcunditatem, vel portuoſam urbis noſtræ oram denotant. Videas in Agrigentinorum numis, in Adranitarum, & Liparæ inſulę Pagurum, ſive Cancrum. Et illi quidem, ac Liparenſes ad celebrandum Emporii ſui portum, Adranitæ verò ad proximi fluminis piſcatus abundantiam indicandam Cancri ſymbolum aſſumpſiſſe creduntur. *Solent enim*, inquit Avercampus, *iſta animalia amare aquarum decurſus, atque alia terræ loca, quæ mari ſunt vicina.*

Tab. 5. n. 5.

CA-

NUMISMATA VICTORIÆ SIGNO PERCUSSA.

I. Numos Victoriæ ſymbolo ſignatos Romani Victoriatos appellabant, qua etiam teſſerâ complures inter Catanenſes enumeramus. Argenteum ſecundi moduli offert Paruta num VI. in quo Caput juvenile ſeu muliebre cum inſcriptione EPINON, & Φ character ſolitarius cernitur; in averſa vero Victoria ſedens, dextera Caduceo innixa, detrita Epigraphe... NAION, rurſuſque idem character Φ in numi area extat. Caput Catanam urbem, aut ducem deſignat juxta Carreram. Vox EPINON incertæ ſignificationis. Græcis vox *Erinon* eadem, ac Latinis Caprificus, ſive Ficus agreſtis, quæ teſte Pierio lib. LII. ſymbolum eſt temperantiæ; ideo Ægyptii Caprifici ramum collo alligantes tauri, mitem illum, ac manſuetum reddebant. Victoria ſedens cum Caduceo relatum ex hoſtibus Reipublicæ à noſtris triumphum, pacemq; poſt bellum initam exprimit. Character Φ initialis fortaſſe nominis Ducis, aut viri principis, cujus eſt caput in antica facie effictum, ut idem credit Carrera, aut monetariæ officinæ teſſera. Aliter de hoc numo ſentit Avercampus, cujus hæc ſunt verba: *Quoniam non attendit primus hujus gazæ collector, & diſpoſitor vocem illam* Najon, *non eſſe terminalem* ΚΑΤΑΝΑΙΩΝ, *verum* Terinajon, *collocavit hic nummulum, qui minimè ad Catanam noſtram ſpectat, verùm ad Terinam, & Terinæos in magna Græcia, ſicuti paſſim ex illorum nummis apud Goltzium, & Proſperum Pariſium ad oculum patere poteſt.* EPINON *quoque male*

le

le ſcribitur pro TEPINAJON. in parte priore. Ante Avercampum id etiam adverterat Marianus Perellus Opuſculo de numiſm: Selectis Mamertinorum. Verum Petrus Carrera in Reſpons: & Cenſura, ejuſdem convellit rationes, variiſque conjecturis numum hunc Catanenſibus aſſerit; Illum conſule ſi lubet. Catanenſibus quoque numiſmatis accenſet Carrera argenteum penes eumdem Parutam, Cereris caput cum ſpicis, atque oleæ ſurculum ex una præferens, & victoriam ex alia ſupra vas ſedentem, ſertumque dextera oſtentantem cum inſcriptione ΠΕΡ. In vaſe enim, & epigraphe *Per*. Perguſæ lacum ſignificari idem author lib. II. cap. III. oſtendit idque rurſus lib. III. confirmat, ubi, & ectypum exhibet. Lacum hunc Ego ſub Ætna Lib. I. ſtatui de Proſerpinæ Raptu loquens; ſed ab aliis prope Ennam ſitus dicitur, qui arreptam ibi à Plutone Cereris filiam credunt. Potuit certè numus ab Ennenſibus cudi, qui ſuam quoque Cererem adſtruunt, ejuſque in honorem complures ſignarunt. Cereri porro oleæ ramus idcirco adſciſcitur, quia ſerendi artem mortales edocens pacem intulit; Unde canit Ovidius {*a*}

(a) Faſ. lib. 4.

Pace Ceres lęta eſt, & vos orate Coloni
Perpetuam pacem, pacificamque Deam.

Olea enim pacis hieroglyphicum eſt apud Probum, teſte Pierio Lib. LIII. & Virgilius paciferam appellat oleam Æneid: lib. IX. ut alibi dicemus. Hujus, & ſuperioris numi ectypos in noſtris tabulis omiſimus, conſule illos apud Carreram, & Parutam.

II. Ad Proſerpinam ſpectare credit Archangelus æreum moduli quarti, quod exhibet numiſma elegantiſſimum; habet enim caput muliebre, ſive Juvenile pileo coopertum, ex quo ſex veluti

rami

rami, ſeu radii prominent, ac horum ultimo lunulæ adhæret, & eſt inſcriptio ΚΑΤΑΝΑΙΩΝ, ab altera facie Victoriam, quæ dextera coronam, lęva palmæ ramum geſtat, ac tria monogrammata videas. Lunula Proſerpinam, inquit Carrera, aut Iſidem deſignat, quin radii ſex totidem fortaſſe menſes indicant, quibus ab Jove Proſerpinæ datum, ut unâ cum Matre Cœli culmina teneret, reliquis cum conjuge Plutone in orço traductis; quod elegantiſſimè in Metam: v, & Faſt: iv. Ovidius expreſſit; quin ad Lunæ menſtruos defectus, atque ad circulos, quos alternis vicibus perficit in Cœlo alludunt. Caput aliunde coopertæ effingi ſolent Reginæ, ut Andreas Fulvius ſcribit; & Proſerpina apud Siculos Regina dicitur, juxta illud Senecæ Tragici

Vidiſti Siculæ regna Proſerpinæ

Quid verò in Proſerpinæ numo Victoria? Relatum de hoſtibus triumphum ſub Deę auſpiciis ab Catanenſibus denotat, juxta eumdem Carreram, qui ex monogrammatis unum Caduceum eſſe putat; quo fati ineluctabile imperium, unde fęlix belli exitus, ut gentiles falſa opinione credebant, ſignificari dicit. Extant in S. Nicolai muſeo ejuſdem ectypi, ſed cunei diſſimilis ex hiſce numis duo, in quibus lunulam deprehendere vix potui. Conſule *Tab.* v. *num.* 6. Aliter hunc numum explicat *Tab.5.n.6*
Avercampus. *Caput Merçurii, inquit, petaſatum, ſed ita, ut erumpentes à poſteriore pilei parte duæ conſpicantur Sepiæ {niſi ſint Polipi} quorum altera lunulam uno ex pedibus comprehendere videtur. Adſcribitur ΚΑΤΑΝΑΙΩΝ. Ab altera parte Victoria eſt gradiens, dextera corollam, lęva palmam, ferens; retro eſt Caduceus. Quæ omnia denotant Victoriæ, & pacis inſecutæ hoc eſſe monumentum, ad*

tempora forſitan Auguſti Victoris referendum. Ad Mercurium verò, quod attinet, mirari non debemus, illum Catanæ fuiſſe cultum, quum & in aliis Siculis nummis, & in locis vicinæ Italiæ, (ut Sueſſæ, Squillacii, & Capuę numiſmata oſtendunt) cultus reperiatur. Pileolus ejus Sepiis exornatur, non alia de ratione, quam in Brutiorum nummis capita numinum pari modo Carabum appoſitum habent, atque ita opportunitatem maris in Catanenſi hoc nummo ſignificant {ſicuti paſſim in Syracuſanis,} quæ commoditas Mercurii cultores, florente pace, permutatione mercium beatos reddebat.. Lunula, niſi in ipſo nummo acetabulum piſcis ſit, ad Dianæ cultum, atque ęſtus marinos venientes, decedenteſque ad lunares motus referri poteſt. Monogrammata, quæ adſunt in æreo hoc nummo paſſim in Catanenſibus obſervantur. Hæc Avercampus.

III. Quadrageſimus nummus inter Parutianos æreus quarti moduli, quem vides effictum *Tab.* v. *num.* 7. habet Caput lauro redimitum, & retro tripodem in recta facie, in poſtica verò Victoriam cum olivæ ramo, quem læva præfert, & virga, ſeu ſaggitta in dextera; hinc literas K A. illinc in orbem TIN. Caput eſt Apollinis ex laurea, & tripode ſatis noti. Victoria ad triumphum de Pythone ab eodem Apolline adhuc puerulo reportatum referri poteſt. Scribit enim Clearchus Solenſis Ariſtotelis Diſcipulus in Proverbior: Lib. 1. *Latonam ex Eubęę Chalcide Apollinem, Dianamque reportaſſe Delphos. Ad Pythonis ſpeluncam admotis veſtigiis ab eo improviſo pene oppreſſus, niſi puello Mater animos addidiſſet, ut ſagittis, quas habebat peſtem illam occuparet*. Hinc Pythii ludi in facti memoriam inſtituti. *Strabo*, ſubdit Jul: Cæſar Scaliger (*a*) *ex Ephori hiſtoria Pythonem latro-*

Tab. 5. *n.* 7.

(*a*) *Poetic. l.* 2. *cap.* 25.

latronem fuiſſe tetrum, ac cruentum, qui infeſſis itineribus infeſtam faceret provinciam, quapropter Draconis cognomen inditum à maleficio. Tanta peſte ſoluti Delphi pro recepta libertate ludos quaſi beneficiarios celebrandos curavere. Hinc Apollinis ſimulacro ſagitta appingebatur, quam forte dextera in nummo Victoria oſtentat. Avercampus: *Inſcriptio* KATIN *docet nos Urbem, & Catanam, & Catinam ab antiquis appellatam fuiſſe. Hinc apud Claudianum carmen illud 50; quod in Pios Fratres compoſitum eſt, inſcribitur De Piis Fratribus. Et eorum Statuis, quæ ſunt apud Catinam. Et apud Silium Italicum lib. xiv. v. 196. quidam codices ſcribunt:*

Et Catine nimium ardenti vicina Typhœo.

Scripſit quoque Catinam per I non Catanam per A cap. v. Solinus, notatque ibi pag. 78. Salmaſius. Similiter A permutari in I appellationibus latinis Urbium Agrigenti, & Maſſiliæ. Quod quia ſub Imperatoribus contigit, hunc quoque nummum ad Auguſti tempora, & ejus Victorias relegamus.

IV. De æreo ſecundi moduli numiſmate penes eumdem Parutam num. xxxi. hæc etiam ſcribit laudatus Avercampus: *Apollinis caput, cujus coronam lauream, vel ærugo conſumpſit, vel ſculptor neglexit. Ab altera parte Victoria celebratur Cęſaris Auguſti, ejecto ex Sicilia Pompejo, remoto Lepido, & occupata inſula. Id manu ſua dextera ipſius Victoriæ imago deſignat; & licet nulla adſit inſcriptio, notæ tamen tertia vice Auguſtum Imperatorem celebrantes, atque ſolitæ in hujus Urbis nummis ipſi hunc aſſignant.* Verumenimvero non video, cur ad Auguſti, quam alterius potius Catanenſis Reipublicæ ducis, aut moderatoris Victoriam celebrandam hoc numiſma percuſſum aſ-

 firmetur;

firmetur; æque enim Auguſtum tertio Imperatorem tres illæ conicæ figuræ poſſunt denotare, ac alium quempiam tertium patriæ magiſtratum iniiſſe. Neque aliunde Caput in antica facie geſtamen præfert, aut teſſeram, unde Apollinis credatur; hinc jure merito Carrera inclyti alicujus viri, aut Civis vultum referre credit, qui contra hoſtes rem bene geſſerit, terque Victoriam ex illis retulerit. Vide *Tab.* v. *num.* 8.

Tab.5.n.8 V. Laureatum profecto habet caput ſextus, & trigeſimus tertii moduli, æreuſque numus à Paruta etiam editus, quod Apollini aſſignat Avercampus, rurſuſque de Auguſti Victoria cogitat, ac de tertio illius imperio tribus iiſdem notis indicato. Eſt inſcriptio.. TANAIΩN, oleamque, aut palmæ ramum ſiniſtra, dextera verò lauri folia, aut ſimilis oſtentat figura. *Tab.* v. *num.* 9. In vete-
Tab.5.n.9 rum monumentis olea pacis inſigne ubique prætenditur, *quibus quidem ramis*, ait Pierius, *(a) fingit Marò, Numam ab Anchiſe præcognitum, cui ob juſtitiam, & integritatem nemo unquam bellum intulit, ipſe ultro pacem ſemper fovit*. Victoriç Sigillo manibus porro appingitur, quia poſt triumphum firmior pax cum hoſtibus conſtituitur, atq; amica fędera junguntur. Quod paſſim verò alatum Victoriæ hieroglyphicum videas juxta eumdem Pierium lib: XXI, eſt, *quia Victoriæ partæ fama ſeſe ſtatim humo tollit, amplexaque gloriam per ſummum æthera latè volat, perque immenſos terrarum tractus expatiatur, offenſiones, impedimentaque omnia agilitate ſua declinans.* Laurus quoque triumphantium inſigne apud Ovidium:

(a) Hierogl. lib.53.

Tu ducibus lętis aderis, cum lęta triumphum
Vox canat, & longas viſent Capitolia pompas.

Alluditque Poeta ad ritum, quo, apud Romanos, Impe-

Imperatores triumphi lauream ad Jovem Capitolinum ferre ſolebant, eamque in ejuſdem ſinu relinquere. Sextus autem ſcribit, laureatos milites currum triumphantis ſequi ſolitos, ut quaſi ab humana cęde purgati Urbem intrarent; laurus enim ſuffitionibus omnibus adhibebatur. Cæterum ad auruſpicinam quod ſpectat, laurus Victoriam præmonſtrabat; hinc Virgilius (a) (a) Æneid. lib. 5.

Viridique advolat tempora lauro.

Denique, ne quid deſideres ad Victorię Sigillum in hiſce numis expreſſum ſpectans. Palma Phębo olim dicata, quia ea coronabatur; victoribus ſubinde in certaminibus fuit attributa, Theſeo, ut ajunt Authore, qui è Creta in Delum appulſus ludos Apollini edidit, victoreſque palma donavit. Alii ea de cauſa id excogitatum dicunt, quod arbor hæc foliis ſit maximè ęqualibus, ideoque victoribus conveniret, quod æqua eorum laus eſſet, ac pręmium. *Victoriæ in palma ſignificatum*, concludit Pierius, (b) *ex numis, picturis, ſculpturiſque omnibus univerſæ jam plebeculæ manifeſtum eſt.* (b) Lib. 50. *Cauſam multi prodidere præcipuè Plutarchus Sympos: 8. quam etiam poſuerat Ariſtoteles: nempe si ſuper arboris ejus ſignum magnum quamtumlibet pondus imponas, palma minimè deorſum cedit, nec infra flectitur, ſed adverſus pondus reſurgit, & ſurſum nititur in contrarium fornicata. Eaque de cauſa in certaminibus palmam ſignum eſſe placuit Victoriæ, quoniam ingenium ejuſmodi ligno eſt, ut urgentibus, prementibuſque non cedat.*

VI. Anecdotum, denique, atque elegantiſſimum argenteum numiſma moduli ſexti in Joannis Rizzari ſæpius commendato muſeo habetur, Victoriæ typo ſignatum, quod exhibet *Tab.v.num.*10. Tab.5.n.10 Victoria eſt gradiens pileata, & ſcuticam, ſive flagellum

gellum

flagellum dextera tenet, circa quam inſcriptio KA-TANE. Quid porro geſtamen hoc, flagellum nempe, denotet, incertum. Alibi in numo Agathoclis Syracuſarum Tyranni Victoria malleum habet. Pileata, & gradiens ſæpius in aliis occurrit. Alterius areæ figuræ facilis ſunt intelligentiæ; Bos enim altero poplite inclinato, ſeu cornipeta faciem habens humanam, uti alibi dicendum, ad Cretæ Minotaurum refertur, aut Catanenſis agri ubertatem deſignat. Piſcis maritimæ ejuſdem Urbis oræ, ac feraciſſimæ piſcationis ſymbolum refert; Ramus denique nemoroſam, pomiſque refertam regionem denotat: nulli enim alteri noſtra invidet, & celeberrima Ætnæa eſt, quæ ſupra Catanam aſſurgit. Hæc ſole clariora.

CAPUT VII.

NUMISMATA GEMINIS CAPITIBUS SIGNATA.

I. NUmos apud Parutam num. I. II. III ſupra XX, in quibus bina exprimuntur capita, Petrus Carrera ad Catanenſis Reipublicæ Ducum celebrandam memoriam percuſſos affirmat; Avercampus verò ad Palicos Catanenſis agri numina pertinere exiſtimat. Primus igitur ex ære moduli ſecundi duo habet Capita virilia, barbata, lauroque præcincta, cum literis initialibus KA.. in recta; in averſa autem facie ſtantem juvenem, læva columnæ innixum, dextera explicata, ad pedes figura eſt conica. De Palicis Lib. I. hujus noſtræ hiſtoriæ aliqua delibavimus, ac rurſus de eorum lacu, & Templo diximus Lib. IX. Refert Avercampus Virgilii verſus Æneid: lib. IX. v. 583.

Inſignis facie genitor, quem miſerat Arcens
Eductum Martis Luco, Symęthia circum
Flumina, pinguis ubi, & placabilis ara Palici.

Subditque, aliquibus ex Macrobio relatis: *Sicut autem Symæthus fluvius eſt Siciliæ prope Catanam, ita nihil mirum antiquitatem hanc, & domeſticam religionem in numiſmatibus ſuis expreſſiſse Catanenſes. Juvenis autem ille ab altera parte Heros mihi ipſe videtur, cui ex oraculo Palicorum pro recuperanda frugum ubertate ſacrificium fecerunt Siculi; pro ut ibidem ex Xenagora docet Macrobius. Verba Xenagoræ ita interpretatur ipſe Macrobius.* Nec ſine divinatione eſt Palicorum Templum; nam, cum Siciliam ſterilis annus arefeciſſet, divino Palicorum reſponſo admoniti, Siculo Heroi cuidam ſacrificium celebraverunt, & revertit ubertas. Qua gratia, Siculi omne genus frugum congeſſerunt in aram Palicorum, ex qua ubertate ara ipſa pinguis vocata eſt. *Quis ille Heros fuerit numquam legiſſe memini, conjecturam tamen facere poſſumus de Adrano, qui licet in Urbe ſibi cognomine plurimum fuerit cultus, tamen univerſis Siculis in honore fuit, pro ut diſertis verbis teſtatur Plutarchus in Vita Timoleon*: Præterquam Adranitæ, qui anguſtum quidem oppidum, ſed Deo ſacrum Adrano cuidam, plurimum ab omnibus Siculis culto, inhabitabant. *Meminit hujus Adrani (quem infeliciter quidam in Adrianum Imperatorem transformare nituntur) etiam Ælianus in lib. de Animal. 11. cap. 20. clarumque in primis refert, & ad propoſita facilem, & propitium. Et quod præcipuè noſtram cauſam adjuvat ipſorum Palicorum Patrem aſſerit ex veritioribus, ut videtur, antiquorum literis Heſychius: Palicii Adrano filii duo fuerunt dicti Palici. Quorum dein peculiaria in Sicilia enarrat.*

rat. Quod nomen nollem ſollicitaſſent viri docti; licèt enim Ætnæ Nymphæ, & Jovis filii Palici dicantur Servio, ſicut Jovis, & Thaliæ Macrobio, ita in genealogia Semideorum ſuorum multum variaſſe antiquos ſcimus. Quis autem Palicis magis commendandus veniebat, quam Pater Adranus, & ipſe Deus, & facilis ab Æliano etiam quibuſque petentibus aliquid dictus? Conſerendi autem ſunt cum hoc nummo illi, qui occurrunt num. 22. 23. 26. 37. 38. & 46. *Ex quibus apparere videtur, etiam huic Heroi noſtro ſpicas dexteræ imponendas eſſe; atque illud, quod in conum ſurgit, non eſſe aliud quid, niſi galeam*. Hucuſque Avercampus; ſed enim illud in animum minimè inducere poſſum: Palicos nempe Juvenes, qui cum Dioſcuris, ut innui, à nonnullis confunduntur, virili, ac barbato vultu effingi. Cæterum Carreræ opinio de Reipublicæ moderatoribus non diſplicet, quam in ſequentis numi explicatione fuſius expendam. Vide interim

Tab. 5. n. 11 *Tab.* v. *num.* 11.

II. Præfert viceſimus ſecundus Parutæ bina etiam virilis aſpectus capita, laurea coronata, & retro ſpica ſurgit ſingula, ex poſtica, viri ſtantis ſimulacrum videas, dextera olivæ ramulum prætendens, ſiniſtra verò columnæ innixum, circa pedes galea, & virga, ſeu telum, faſcia à dextero protenditur brachio tegit ilia, ac columnæ capiti veluti adjungitur, & eſt inſcriptio ΚΑΤΑΝΑΙΩΝ. Spica adjungitur, vel quia agrorum cultum Duces illi, inquit Carrera, ſtrenuè curavere, vel quia largam populo annonam ſuppeditarunt, ut alibi dictum. Vir ſtans columnæ innixus ad Reipublicæ, civiumque ſecuritatem, ac firmitatem alludit, ut & galea, virga, ſeu telum, oleæque ramus ad belli, & pacis ſtudia urbem addictam denotant; vel ad ci-

vium

vium honorem, virtutemque exprimendam appinguntur. In Romanis enim numis mulier ſtans columnæ innixa pro Securitatis, aut Virtutis teſſera paſſim ſumitur, & in uno Vitellii Cæſaris, Juvenis, ad cujus pedes galea adſculpta, *Honor* inſcribitur. Vide *Tab.* v. *num.* 12. Jam aliud æreum, ac *Tab.* 5. *n.* 12.
tertii moduli, ut & ſuperius numiſma num. XXIII inter Parutianos juveniles refert vultus, ſeu potius muliebres, fronde trium foliorum, quæ ſupra crines eminet, inſignes, in poſtica ſignum eſt columnę innixum *Tab.* v. *num.* 13. abſque epigra- *Tab.* 5. *n.* 13.
phe. Trium foliorum herba, inquit Anton. Auguſtini in Dialogis, illa videtur eſſe, ex qua frumenti ſpicæ erumpunt; hinc frondes illę idipſum, quod Spicæ denotant. Capita ad uxores eorum Ducum, quorum in aliis numis vultus effinguntur referri poſſunt; hoc enim honore, ut ex Romanis, Græciſque numiſmatis comprobatur, mulieres etiam gaudebant. Quatuor in S. Nicolai muſeo eodem typo ſignatos habemus, variantque ſigilla in quibuſdam ornamentis, ſed capita trium foliorum geſtamen pręferunt, & extat inſcriptio ΚΑΤΑΝΑΙΩΝ. De his porro hæc ſcribit Avercampus: *Num.* 22. *Eadem barbata Palicorum capita, retroque ſpica eſt; ſolita epigraphe in altera nummi parte cernitur, ubi non tantum heros ille Siculis columnæ, ſecuritatis, & ſtabilitatis ſignificandæ gratia, cubito innititur, verum etiam apertè ſpicas gerit, atque enſem, & galeam, ut opinor, ad pedes habet, pacis opes, & priſtinam frugum ubertatem juxta Xenagoram, & Macrobium Siculis ſuis, atque Catanenſibus promittens. Num:* 23. *Fratres iidem, ſed imberbes quomodo etiam num.* 26. 34. & 46. *occurrunt, ex quorum collatione patebit, accedere has facies ad illas Auguſti, &*

Agrippæ; quibus quum Græci, & Siculi omnes multum fuerint adulati, Deorum ſuorum ritu exprimentes, nihil mirum Catanenſes quoque plane tamquam Deos Palicos hiſce nummis fuiſſe veneratos; quum & fidiſſimi illis contra hoſtes extiterint, & gravia agri, atque ipſius Urbis damna à Pompejanis illata, non aliter ſperarent reſarcienda eſſe, niſi priſtina ubertate per heroa Octavianum redeunte; ſub quo ſecuritas imperii foret ſtabilita, & pacis artes, opeſque vigore priſtino, atquè abundanti gaviſuræ eſſent. Inſcriptio in hoc nummo nulla eſt, tempore forſan, & erugine conſumpta. Ab averſa nummi parte idem Heros Siculus conſpicitur, ſed ornatu veſtis diverſo; nihil ad pedes adeſt, ſive quod ibi detritus nummus fuerit, ſive variare nummos ſuos Cives voluerint. Contuli, ne quid diſſimulare videar, cum Auguſti, & Agrippæ numiſmatis Catanenſia, & ad illorum facies, nullimode accedere vultus in hiſce noſtris expreſſos adverti; parcendum tamen Avercampo, qui numos præ manibus non habuit, nec niſi typos eorum à calcographo effictos vidit. Cæterum Steph: Ven: Pighius Annal: Rom: lib. 7. Tom. 2. ſcribit. Provinciales Cæſarum ſub imperio, & dominio poſitos minimè Imperatorum ſui temporis imagines in numis inſculpere ſolitos. *Nec memini*, inquit, *me tales vidiſſe*.

III. Duos rurſus juveniles vultus lauro, ſive olea redimitos habemus in ejuſdem Parutæ numo XXVI, ac duo etiam pileata capita in XXXII; in illo duas frumenti ingentes ſpicas è converſo, ac notas ΚΑΤΑΝΑΙΩΝ, in ſecundo verò militem in modum jubentis manum extendentem, è cujus ſiniſtra paludamentum per humeros deſcendit, videas; extant tamen conicæ figuræ tres in

hujus

hujus poſtica area, & inſcriptio KATA... Capita coronata illuſtres deſignant viros juxta Carreram in regimine ſocios, qui ob inſignia facinora geſtamen illud in fronte gerunt; Spicæ vel ad eoſdem Duces referri poſſunt, quorum prudentia annonæ ubertatem pepererit; vel ad ſoli fęcunditatem, cultumque Cereris alludunt. Sed Reipublicæ magiſtratum penes juvenes fuiſſe duos rationi conſentaneum non apparet; hinc Avercampus de Palicis cogitat, ſubditque de binis ſpicis: *Notum eſt tamen Siciliæ fuiſſe ubertatem, ut videlicet bis in anno meſſem agricolæ colligerent, jactant eamdem in campeſtribus ſuis feraciſſimis provenire Catanenſes, numerum cum Diis ſuis ſterilitatis depulſoribus, atque Ducibus, ſeu Imperatoribus, terra, marique victoribus æquantes.* Vide *Tab.* v. *num.* 14. *Tab.5.n.14*
Extat in S. Nicolai muſeo ejuſdem ectypi numiſma æreum, quale Parutianum, ſed hoc eſt tertii moduli, illud vix primum excedit. Jamvero Polluci, & Caſtori tribuenda duorum juvenum capita in XXXII, pilei, quibus teguntur ſatis demonſtrant. Cauſſam cur Dioſcuri pileati effingantur, & *Fratres Pileati* à Catullo in Epigrammate, atque ab aliis paſſim dicantur, alibi expoſui. Figura Reipublicæ Ducem deſignat, ſi Carreræ credimus, cujus tertium magiſtratum tres indicant notæ. Sed Avercampus, qui latentes ſub Dioſcurorum vultibus Auguſtum, & Agrippam credit, ac tamquam Deos ſervatores effingi à Catanenſibus dicit, Auguſtum habitu herois Siculi, bona omnia civibus promittentem in Sigillo recognoſcit, eoque tertium Imperatore, ſignaſſe numum Cives ex tribus illis notis deducit. Conſule *Tab.* VI. *num.* 1. *Tab.6.n.1*

IV. Bina quoque exhibet juvenilia capita, lauro præcincta trigeſimus quartus Parutæ numus,

poſt quorum terga lanceæ mucro cernitur, è converſo autem nudum habes hominem, haſtam ſiniſtra, dextera verò volucris alam tenentem, adſuntque quatuor numeri, nullaque inſcriptio. Numeri, ait Carrera, oſtendunt juvenes iſtos duobus annis Urbem rexiſſe. Ala optimorum facinorum denotat famam, lanceæ verò cuſpis armis eſſe Rempublicam defendendam, deſignat, ab eo, cujus curæ commiſſa eſt; fortaſſe hæc magiſtratus militaris eſt teſſera ab illis laudabiliter geſti, aut jus gladii, quod habebant, ſignificat, ut Securis inter virgarum faſces, quæ Conſularis, & ſupremæ poteſtatis ſymbolum apud Romanos. Avercampus ſuo more numiſma ad Auguſtum refert, putatque pone capita ſpicam potius, quam lanceę cuſpidem adſculptam. En ipſius verba: *Apparet percuſſum fuiſſe nummum eo tempore, quo jam quartùm Imperator deſignatus eſſet Auguſtus, victo, & occiſo, qui ſolus, atque ultimus ex æmulis remanſerat, Antonio. Licet itaque rurſus Deorum Palicorum ſpecie hic exhibeantur, Auguſtus, & Agrippa, & pone illos ſpica ubertatis ſymbolum, ut ſuperius num. 22; & inferius num. 46. Malè enim à* Parutæ *calcographo exceptam figuram puto, ita in altera parte Victoriæ rurſus eorumdem celebrantur.* Figura *tamen illa admodum conſideratu digna eſt; cur videlicet Heros ille Siculus haſtatus, alam dextera præferat? Vult ne Auguſto proſperam illam gratulari fortunam, qua curſu quaſi victorias ſuas adeptus eſt, atque cum ipſa Dea Victoria ſublimis, rapiduſque volare viſus eſt? ... An potius ablatas Victoriæ ipſi alas oſtentare promittens illam jam Cęſari ſtabilem perpetuò manſuram? Quum nullus ſupereſſet hoſtis, aut æmulus Imperii, inter quem, atque ipſum dubiis pennis volatura eſſet in-*

ſtabilis

ſtabilis Dea. Lepide ita luſit in eamdem, quum a-læ ejuſdem fulmine deuſtæ fuiſſent poeta quidam Antholog. cap. 21. *hoc pacto*: Roma omnium Regina gloria tua numquam peribit; Victoria enim abs te aufugere, quum alis careat, non poteſt. *Imo Athenienſes quondam ſimulacrum Victoriç alis carens finxerunt, ne videlicet, ut diſerte addit Pauſanias, aufugeret, ſed perpetuò ſecum maneret. Cujus verba in Laconicis hæc ſunt*: Ex adverſo hujus Templi viſitur priſci operis ſignum Martis in compedibus. Eadem ratio in hoc ſimulacro Laudemoniis, quæ Athenienſibus in ea Victoria quam alis carentem appellant. Hi enim vinculis impeditum, à ſe nunquam Martem aufugiturum, illi ſemper manſuram ſecum, quæ pennis careat, Victoriam interpretantur. Has ſecuta rationes Urbs utraque, quo diximus habitu, ſigna ſtatuit. *Teſtatur idem ipſe ille Pauſanias duobus aliis in locis, ſecutoſque alios Græcos exemplar illud fuiſſe, prout docet Eruditiſs. Begerus Tom.* 1. *Theſ. Brand: pag.* 51. *ubi explicat, atque exhibet Achatem veterem, cui inſculpta eſt figura Victoriç, ſed ſine alis, clypeo votivo literas quaſdam inſcribentis. Atque ita ſtabilis ſcilicet, & perpetuò fida Auguſto deſcribitur ad votum ejus Victoria, cui indiviſa felicitatis ſuæ comes futura ſit; non aliter quam Patrem ejus Cęſarem numquam fortuna deſtituerat*. Numus hic, ut ſuperiores, eſt æreus, ac ſecundi moduli. Conſule *Tab.* VI. *num.* 2. Extat in S. Nicolai muſeo. *Tab.6.n.2*

V. Variat trigeſimus ſeptimus penes eumdem Parutam numus; duo enim, ſpicis coronata, prçfert capita, quorum alterum barbatum eſt, alterum imberbe. Cernitur in poſtica parte nudus juvenis veluti gradiens, virgæ, aut trunco manum impo-

imponens, qui converſo capite aliquid cuipiam indigitat dextera, ad cujus pedes eſt galea, & inſcriptio ΚΑΤΑΝΑΙΩΝ. Eſt etiam æreus, ac ſecundi moduli. Videſis *Tab.* VI. *num.* 3. Si porro Petrum Carreram audiamus Patri, filioque Reipublicæ præfectis tribui debent capita, Cereris cultui addictis, ut Spicæ indicant, quæ etiam, populis ſub illorum regimine annonæ abundantiam fuiſſe conſultum, poſſunt denotare. Galea militarem eorumdem magiſtratum, quo ſimul perfuncti, ſignificat; Juvenis verò trunco, ſive virgæ innixus, ad Reipublicæ ſecuritatem, ejuſque Ducum firmitatem (debent enim Duces, ac Reſpublica ſeſe invicem fovere, ac ſubſtentare) fortaſſe alludit. Hæc Carrera, ſed aptior Avercampi explicatio, magiſque arridet; *Jovis*, inquit, *& Junonis capita ſpicis utraque inſignia; ab altera parte ſolita inſcriptio, & Heros ille Siculus non jam columnæ, ſed ariſtæ, & gramini altera manu innixus, alteram extendens, facie in terga proſpectante. Ad pedes ſatis jam accuratè non conus, ſed galea viſitur. Cereris caput paſſim in antiquis monumentis ſpica exornat, ut Deæ ſegetis, ac frugum; Sed tamen alia quoque numina hunc ornatum interdum gerunt. Ita in Palladis galea ſpica conſpicitur inter nummos Panormitanos num. 79. Sicut & Apollinis inter æreos Syracuſanos num. 8..... Quin & inſignis mole, & arte excíſus Achates cernitur apud Begerum Tom. 1. Theſ. Brand. pag. 130. In quo Jovis, ſive ſub illius effigie Juliani Imperatoris, non tantum caput, ſed & Ægis inſignibus exornatur ariſtis. Neque tamen ſi quis Cereri muliebrem illum aſſignet vultum contradicere illi volo. Præcipuum enim hoc Siculis omnibus numen fuit; quæ Patri Jovi non ineptè jungitur; præ-*

Tab. 6. n. 3

præſertim cum Jovem, ut Æthera conſideraverint Antiqui, cujus fęcundis imbribus Ceres produci, & fruges provenire ſoleant, ut expreſſe canit Virgilius Georg; lib: II. *v*. 325.

Tum Pater Omnipotens fęcundis imbribus Æther
Conjungis in gremium latè deſcendit, & omnes
Magnus alit, magno committens corpore fętus.

Hanc fęcunditatem deſignans ille Heros Siculus, ſterilitatem quidem poſt terga jam relictam eſſe deſignat; tamen verò prę manibus eſſe abundantiam prędicit, ut curvata ſub pondere ſpicarum apparitura ſint gramina, non aliter atque culmos ipſa manu ſua deprimit. De quibus colligas, quod virga, quę truncus videtur eſſe Carrerę, ariſta ab Avercampo putatur.

VI. Ex Archangelo numum ſingularem profert Carrera æreum quarti moduli, in quo ex una, bina capita, viri nempe ac mulieris lauro redimita videas, ex altera verò parte bicipitis hominis figura coronata, dependente à tergo Gryphi ſpolio, dextera manu ramum felicem, lęva ſceptrum gerens cum inſcriptione ΚΑΤΑΝΑΙΩΝ habetur; ut *Tab*: VI. *num*: 4. Capita juxta Carreram Chamum, & Rheam, nempe Saturnum, & Cybelem, aut Iſidem repręſentat, ſive illuſtrem aliquem Catanæ Ducem, ejuſque conjugem. Quamvis enim ab initio Diis tantum coronę tribuerentur, ut idem ex Plinio (*a*) obſervat; *Et jam tum Coronæ Deorum bonos erant*. Mox tamen victoribus, viriſque principibus ſunt attributę, veluti virtutis pręmium, ac ſupremæ dignitatis teſſera. Hinc Tullius. *Qui Tirannum occiderit, Olympicarum præmium capito* ideſt *Coronam*; hæc enim in Olympicis ludis ex Oleæ agreſtis ramis victoribus conceſſa, ut ex Lauro in Pythicis, ex Apio in Nemæis,

Tab.6.n.4

(*a*) *Lib.21.c.3.*

Nemęis, & ex Pinu in Iſthmiis, quæ apud Gręcos erant ludorum genera. Subinde Corona in triumphis à Ducibus, & militibus uſurpata; à Sacerdotibus quoque in Sacrificiis adhibita, qui & victimas, menſaſque, & aras coronabant; quin & in funeribus, ubi cadavera ſertis redimita deducebantur, ac in epulis denique, unde Coronæ convivales ortum habuerunt. Quæ ſane fuſiùs hìc expendi, ut illos non longè à vero abire oſtenderem, & Carreram, vel maximè, qui ad cives de patria meritos, ducesque Reipublicæ vultus referunt lauro, aut olea redimitos in numiſmatis paſſim adſculptos. Jam vero figura biceps Janum denotat, qui regia præfert inſignia, quòd in Sicilia Regnum habuiſſe dicatur. Sed Janus alibi gemina facie barbata etiam cingitur in noſtris numis; hic juvenilem oſtentat unam, quia ſcilicet novi, & tranſacti anni tempora deſignat, aut Chaos ante rerum diviſionem inculto ſenili aſpectu, novam verò mundi faciem eleganti, ac juvenili ore figurat. Macrobio Sol bifrons, dextera virgam præferens exprimitur, quia Cœli januas equè, ac Janus habet in cuſtodia, omniaque perluſtrans, ab una, & altera mundi parte toti orbi moderatur. An Sigillum Solem exhibet, cui gryphes aliunde, ut videbimus, adſciſcuntur? Sed aliter ad Janum Gryphes etiam refert Carrera; prudenti quippe adminiſtratione, juſtiſque legibus, rapinas, feroſque mores gentium in gryphe, Aquila ſimul, & Leonis naturam referente, figuratos, Janus coercuit. Oleę ramum denique prehendit, quia populis ſub ejuſdem regimine pax fuit. Non diſſentit Avercampus in ejuſdem numi explicatione, quamvis jugata Capita de Jove, & Junone intelligat. *Neque malè typus hic*, ſubdit, *cum illo averſæ partis convenit. Janus enim*

Deorum

Deorum quoque induxit religionem, qui biceps pro more fingitur; capite coronato, quod ex antiquiſſimis fuerit Regibus; altera verò manu ramum felicis arboris tenet, altera ſceptrum, quod ſub ejus juſto regimine lęta floruerint omnia ſine hominum ſudore, & cultura moleſtiore.

VII. Habet Leonardus Auguſtinus num: XLVI. numiſma, in quo laureata bina capita virili aſpectu repręſentantur; pone ſpicam, contra verò notam X videas; è converſo figura, quæ ſiniſtra columnæ innititur, ut in aliis, & eſt inſcriptio ΚΑΤΑΝΑΙΩΝ. Capita rei frumentariæ præfectis tribui poſſunt; Spica enim, ut ſæpius dictum, Annonam deſignat, & in Titi Cæſaris, Adriani, Antonini, aliorumque Romanis numiſmatis cum epigraphe *Annonæ* Spica appingitur. Figura ad ſecuritatem refertur, ubi enim Annonæ proviſum eſt, tuta, & ſecura Reſpublica quieſcit, ſicut e contra, ejuſdem defectu Urbes fortiſſimæ expugnantur. Avercampus verò ita ſcribit: *Auguſti, & Agrippæ Capita laureata juncta, prout illa Deorum Palicorum in Catanenſium nummis ſolent, & quidem majori jam ætate, quam ſuperius num.* 23. 26. *&* 34. *Neque mirum, quum hic nummus percuſſus ſit eo tempore, quo decima vice Imperator ſalutatus eſſet Auguſtus; id quod nota* X *numeralis nobis indicare videtur; pone illorum capita ſpica, ut ſæpe juxta Deos Palicos eſt, & ab altera parte Herois iſtius Siculi figura, de quo in ſuperioribus cum ſolita inſcriptione*. Vide *Tab.* VI. *num.* 5. *Tab.6.n.5.*

VIII. Petrus denique Carrera in Auctario ad Tom. I. numum profert, in quo bina capita juvenilia videas, ab altera verò parte duo ſunt vexilla haſtis involuta, atque implicita; *verùm haſtæ illæ*, ait Avercampus, *ita ſunt depictæ, ut antiquum*

morem haud redoleant. Potuit tamen illas malè excipere primus editor, aut calcographus. Inſcriptio eſt KAT.. A... O. Capita ad Palicos referri poſſunt, aut Dioſcuros, vel denique Juvenes de patria optime meritos deſignare, Vexilla Victoriam de hoſtibus reportatam denotabunt. Vide
Tab.6.n.6 *Tab.* VI. *num.* 6. Habet noſtrum S. Nicolai muſeum anecdotum numiſma, virilem, ac muliebrem exhibens vultum in antica parte, ac ſtantem figuram columnæ innixam in poſtica, ut typus exhibet *Tab.* VI. *num.* 7. Cujus explicatio ex iis, quæ di-
Tab.6.n.7 ximus, elucet.

CAPUT VIII.

NUMI VARIO DEORUM TYPO INSIGNES.

I. DEorum Mater Cybele Templum in Engio Siciliæ Opido celeberrimum habuit, cultumque Catanæ à cęca Gentilium turba ſub Ongiæ nomine obtinuit, ut Lib. IX oſtendi. Ejus in honorem obſignatum hinc numiſma ab Archangelo oblatum æreum moduli quinti apud Carreram habemus. *Nummus hic*, ait Avercampus, *ab altera Pantheon quoddam depingit, caput videlicet barbatum corona laurea, atque radiata, & forſitan cornubus quoque decorum*. Radios ſoli proprios, ſive Serapidi, ſubinde dicit, hinc, quia multa ex Ægypto circa religionem in noſtras haſce oras fuiſſe translata, ſatis abunde ex aliis monumentis conſtat, caput illud Serapidis eſſe non immerito ſuſpicatur. Ab Archangelo, & Carrera Saturno, ſive Chamo tribuitur, qui radiis, & lauro corona-

coronatur, ob Jani memoriam, qui primus, teſte Athenęo, coronas adinvenit, necnon radii ejus in Italia, & Sicilia regnum deſignant. *Ab altera parte*, ſubdit Avercampus, *figura ſtat muliebris, quæ ſi in ipſo nummo ita ſeſe habet, ac in pictura, jurare auſim, falſum, & fictitium, atque recentioris fabricæ eſſe nummum; haſta enim, quam manu tenet, nequaquam ad antiquum, ſed ad recentiorem depingitur modum*. Verumenimvero, quum in ſępius laudato S. Nicolai de Arena muſeo tres ejuſdem ectypi habeamus, ubi haſta veterum ritu effiɛta cernitur, male exceptum ab Archangelo, aut à calcographo expreſſum inſigne hoc dicendum potius; nec eſt quod Avercampo de numi veritate ſcrupulum faceſſat. Creditur porro iiſdem Carreræ, & Archangelo, quod turritam mulier gerat coronam, ac Cybelem referat; hæc enim alia inter vocabula, quibus decoratur, Opis, ideſt Terræ, ac Veſtę nomen habet, quæ Terra quoque interpretatur juxta illud Ovidii {*a*}

(*a*) *Faſt.lib.6.*

Stat vi terra ſua, vi ſtando Veſta vocatur

Hinc turrium geſtamen præfert, ut idem canit Poeta

Turrigera frontem Cybele redimita corona

Quod turres, ædificiaque in terra fundentur, ſecundùm Lucretium {*b*}

(*b*) *Lib. 2.*

Muralique caput ſummum cinxere corona,
Eximiis munita locis, quod ſubſtinet Urbes.

Vel quia eodem Ovidio teſte lib. IV. *primis turres Urbibus ipſa dedit*. Eidem verò numini lorica congruit, & haſta, quia paſſim cum Bellona militiæ præſide confunditur; cui proin in Engio Ulyſſes, atque Africanus Scipio haſtas, caſſides, loricas, clypeos, atque id genus alia voti ergo appenderunt; ad ejus denique erga bellantes tutelam ſcutifer quoque alludit. Ita Carrera. Sed enim,

quæ ſervamus numiſmata figuram exhibent haſtatam quidem, ac lorica fortaſſe inſtructam, ſed capitis tegumentum nequaquam turres, ſeu coronam turritam refert. Modium Ego foliis utrinque inſignem putaverim, Avercampus attamen, qui Pantheon etiam hoc Sigillum dicit, quo Pallas ſimul, atque Cybele, ſive Iſis celebratur, ſive loti, ſive vaſculorum figuras credit, quas paſſim in Iſiacis picturis in Tabula Bembina, & alibi obſervant Eruditi, neque illi contradicere volo; Adſtat puerulus, ſed illinc muſicum, ut videtur, inſtrumentum ineſt, quod ſiſtrum, aut Crotalum dixerim. Fornutus cymbala, & tympana Cybeli attribuit; Varro Turritam eamdem curru à Leonibus vectam, necnon magnâ Sacerdotum tympana pulſantium, galeas, haſtas, loricaſque prætendentium turba comitatam deſcribit; indicatque Ovidius rationem lib. IV. Faſtor: ubi Deam hanc, ne vagitu puerulus Jupiter Saturno illum quærenti ſeſe proderet, ſollicitam, clypeorum, ac galearum invicem illiſarum tinnitu cojugem decepiſſe tradit, hinc cauſſa

Gaudeat aſſiduo cur Dea magna ſonu

Erat Crotalum ex ligno, ære, aliave materia crepitaculum; putant nonnulli fuiſſe annulum æreum, qui ferreo baculo quateretur, alii circulum æneum multos habentem orbiculos mobiles, qui colliſi ſonum edebant. Siſtra porro deſcribunt crepitacula ænea, argutum, ſonorumque edentia tinnitum, quæ aurea quoque, & argentea effingebantur, vicemque tubæ apud Ægyptios exhibebant. Crotalum Cybeles, Siſtrum Iſidis erant teſſeræ, aut ſiſtrum igitur, aut crotalum expreſſum hic in numo habeamus, utrumque figuræ congruit, quæ aut Iſidem, aut Cybelem repreſentat. Puerulus denique ex mente Avercampi non armigerum deſignat,

gnat, ſed vel ipſam Catanam ſub tutela hujus ſui eſſe numinis, vel Attidem perpetuum Cybeles comitem denotabit, pileo Phrigio utcumque agnoſcendum, quem Friges, Diodoro teſte lib. IV; ſub pueri forma venerabantur. Cæterum conſueta adſunt monogrammata, illis haud abſimilia in Jani, & Charondæ numis adſculptis, quæ urbis Catanæ, aut officinæ teſſeras putaverim, & inſcribitur ΚΑΤΑΝΑΙΩΝ. Conſule *Tab.* VI. *num.* 8. *Tab.6.n.8*

II. Ceres Sicula, & Catanenſis, ut alibi oſtendi, quæ tritici ſerendi uſum mortales docuit, divinis ſemper honoribus apud indigenas culta, numiſmatis etiam per omnes ferme inſulæ civitates, meruit honorari. Profert Paruta ex his complura, quæ ad Cererem ſpectare, ex corona ſpicea, aliiſque ſymbolis dignoſcuntur; quis enim neſciat Spicas huic numini tribui, quarum prima inventrix in Catanenſi agro, & Leontino huic contermine dicitur? Hinc illud Horatii in Carmine Sæculari

Fertilis frugum, pecoriſque tellus
Spicea donet Cererem corona.

Et Politianus in Ambra canit etiam

Spicea ſi Cereris templo ſuſpenſa corona
Donum erat Agricolę quondam

Quo videtur Ovidius alludere, ubi de Jovis decreto loquens, quo Proſerpinam alternis menſibus cum Matre, & Conjuge eſſe voluit (a) (a) *Faſ. lib. 4.*

Tunc demum vultum Ceres, animumque recepit,
Impoſuitque ſuæ Spicea ſerta comæ.

Habet igitur Paruta inter Catanēſes numum XIII; qui à Marco Majero Cereri tribuitur; ſed unde id eruat, non video; caput enim nudum ex una, ſigillum muliebre ex alia in eo advertimus; Cereriſque inſigne apparet nullum; hinc de eo inferius. Ex Archangelo æreum, ac tertii moduli

exhibet

exhibet Petrus Carrera numiſma, quod in anticâ facie Caput juvenile, an muliebre? ſpicis coronatum repræſentat, erumpentibus ad humerum ſpicis etiam duabus; in poſtica verò figuram habet, læva haſtam, dextera ſpicam tenentem, quæ ex ingenti culmo prorumpit, ante illam cornucopię; Sed nulla adeſt inſcriptio. Vide *Tab.* VI. *num.* 9. Caput ſpicea corona inſigne Cererem exprimit, vel ſi mavis juvenile eſſe, Triptolemum denotat, qui, ut Poetę fabulantur, infans à Cerere alitus, ac currui ſuo fuit impoſitus, ut frumenti ſationem, ubique populos edoceret. Ovidius Cererem de eo loquentem inducens ait (*a*)

Iſte quidem mortalis erit, ſed primus arabit,
Et ſeret, & culta prę mia tollet humo.

Figura in averſa facie Cererem ipſam deſignabit, quæ licèt haſtata caſſidem, ac loricam præferat, ac Pallas videri poſſit, ex ariſtis, & cornucopię adſculptis, potiori jure Cereri tribuitur; nec fortaſſe mirum, unius inſignia alteri numini appingi; quamvis enim nominetenus diverſę, unam revera Deitatem referebànt. Quid ſi Pantheon hoc ſigillum dicamus? Archangelus Cereri adjudicat; ſed refragatur Carrera, quod nuſquam armis inſtructam Deam hanc adverterit; Palladem igitur credit, cui tamquàm *totius ſapientiæ Deæ* teſte Pierio (*b*) *Virga ab Homero paſſim accomodatur*; redditque alibi rationem: *Haſta*, inquiens, *in manu Palladis ingenii vim, atque promptitudinem oſtendit, unde apud Martianum legas*: Haſta etiam vibrans penetrabile monſtrat acumen. *Quod Palladem ergo ubique armatam conſpiciamus, indicat arma parum proficere, niſi quæ per Sapientiam adminiſtrantur*. Pallas aliunde, ut alibi expendam, armis etiam pręeſſe credebatur. Jam Caput in recta

Tab. 6. n. 9

(*a*) Faſ. lib. 4.

(*b*) Hier. lib. 5

ſta facie Vulcanum poſſe referre Palladis conjugem, idem Carrera ait. At ſi nuſquam haſtatam Cererem advertit; num ſpiceo ſerto redimitum Vulcanum alicubi vidit? Avercampus Apollinem, & Minervam in hoc numo recognoſcit. *Apollo*, ait, *qui idem cum Sole eſt, quoniam frugum calore ſuo provehit maturitatem, rectè nonnumquam ſpicato depingitur capite; ſicuti idem obſervare licet in nummo Panormitano num. 78, ubi num. 79. Palladi quoque ſimilis ſpica galeæ alligatur. Unde non malè in averſa hujus nummi parte dextra ſpicam ingentem Minerva tenet; favore enim Divino, accedente humanæ mentis induſtria, incolas ſuos agri beant, quæ beatitudo per Cornucopiæ exprimitur. Sicut duplices Siciliæ meſſes per geminas ariſtas.*

III. Aliud cum inſcriptione ΚΑΤΑΝΑΙΩΝ protulit Archangelus ex ære numum, tertii moduli, habetque caput muliebre lauro, aut floribus, ſive fronde alia coronatum ex una, figuram verò ex altera ſpiceo ſerto caput præcinctam, læva falcem, & ſpicas tollentem, dextera virgas in altero extremo conjunctas, ſeu aliud quidpiam, quod difficile eſt divinare. Caput Proſerpinæ vultum refert, ut idem tradit Hiſtoricus, quæ ex floribus ſerta comis intexere aſſueta, quum à Plutone rapta, flores in Ætna cum ſociis legebat juxta Claudianum (*a*)

Et ſociat flores, ſeſeque ignara coronat.
Augurium fatale thori.

In Sigillo autem muliebri Ceres proculdubio ſignificatur. Virgæ enim in extremo conjunctæ, quæ, menſorum terræ videntur circinum imitari, Falx meſſorum inſtrumentum, ac ſpicæ demum id apertiſſimè declarant. Fazellus (*b*) pompam deſcribens, qua olim Siculi Cereris feſta celebrabant,

(*a*) *De Rap. Proſ. lib. 1*

(*b*) *Dec. 2. l. 1 cap. 1.*

bant, ejuſdem imaginem hoc pacto efficťam refert: *Erat autem illa formæ matronalis, pannis, calceamentiſque admodum ruſtica, caput coronam ſpiceam amicťa, ligonem dextera, calathum ſemine plenum brachio, ſiniſtra falcem meſſoriam, & baculum geſtans.* Huc faciunt, quæ Scholiaſtes in Apollonium, ac Tzetzes in Alex: Licophr: tradunt, Cererem nempe impetrata à Vulcano *Falce*, Tritonas frumentum metere docuiſſe; hanc verò in maritimæ inſulę ora abſcondiſſe. Hinc etiam Servius

(a) In Æneid. lib. 3. (*a*) ait: *Drepanum dicťum volunt à Falce Cereris, quam ibi, quum filiam ſuam quæreret Proſerpinam, amiſit*. Ex quibus, quàm aptè Falx Cereri conveniat, ſatis elucet. Quid quod Spica, Tria crura, & Falx Siciliæ ſymbola in Claudiæ gentis denariis reperiri, Fulvius Urſinus de Rom: Famil: teſtatur? Denique Avercampus Caput Apollinis laureatum in una, Cererisque imaginem ab altera parte exprimi affirmat. *Apparet autem cultum Apollinis, & Cereris celebrari*, ſubdit, *atque ubertatem frugum duplici meſſe, ſicut in alio nummo, binis Spicis indicari; quapropter ipſa figura in hac averſa parte dextera forte manu lancem invertit, ut vina invergat tamquam Deæ pro conceſſa frugum ubertate*. Lancem Ego, aut vas aliud rebus divinis aptum in mulieris dextera non adverto, ſed virgas, quæ fortaſſe aratri ſunt ligna, qualia in numo Leontinenſium à Paruta loco XIV. edito, & in S. Nicolai muſeo aſſervato videmus; Sigillum enim muliebre in eo cernitur læva haſtam, dextera binas prætendens ſpicas, adſculptumq; ad dexterum etiam latus aratrum habet; Cæterum

Tab.6.n.10 conſule. *Tab.* VI. *num.* 10. Et Carreram fol: 340.

IV. Ex eodem Archangelo æreum quarti moduli habemus, in quo Juvenile caput laurea

circum-

circumdatum, & muliebrem imaginem ex averſa videas facie, olea redimitam, ac lorica inſtructam, quæ Victoriolam dextera, læva verò triangulum præfert. Sub Victoriola notæ adſunt AΠ, atque in gyrum epigraphe KATANA... Caput Apollini tribuitur. Figura Palladem exprimit. Oleagina corona huic Deæ eſt propria, quia olea ab illa inventa, eique ſacra, ut Virgilius Georg. lib. 1. canit. Athenæ à Pallade, quæ græcè *Athena*, ſunt appellatæ, quia mox, ut conditæ, olea apparuit. Hanc credula perſuaſione diebus ſuis adhuc extantem dixit Plinius; (a) igne conſumptam unà cum eadem urbe à Perſis, ipſo die enatam, binis creviſſe cubitis Herodotus prodidit; hinc Apulejus ſupra Palladis galeam ſertum ex olea recognoſcit. Loricata ubique effingitur, quia Belli præſes juxta Maronem, & Statium, eademque, ac Bellona paſſim creditur. Bellicam inde Deam Ovidius in Faſtis, & Armigeram in Triſt: appellat; Idque ex antiquiſſimis Homero, & Steſichoro hauſit, quorum hic ait:

Pallada bellorum ſtudiis cantemus amicam.

Ille verò Hym. in Vener.

Aurea non illi Veneris ſunt munera cordi
Prælia, ſed placuere feri, ſed munera Martis,
Sed cædes, ſed bella, ſed & certamina pugnæ.

Haſta denique ſcuto, caſſide, & lorica ornatam in Metamorph: deſcribit, qualem ipſe olim Homerus effinxerat, quum rogante Junone, arma contra Ilium ſumpſit. Nec Victoriæ ſignum incongruè eidem tribuitur; tradit enim Spanhemius. (b) Sub Victoriæ nomine extructas Athenis, atque alibi in Græcia Aras Minervæ, atque indicatam ab Euripide fuiſſe hujus appellationis originem, ob præſtitam ſcilicet Jovi in Gigamanthia inſignem ope-

(a) *Lib. 16. cap. 44.*

(b) *Diatriba de Vaſta Cul:*

ram; hinc Pallas appellata, quia Pallantem immaniſſimum giganta confecerit. Victoriæ deniquè teſſeram cum Gorgonis vultu in Palladis lorica apud Athenienſes adpictam refert Pauſanias in Atticis.

Triangulo tria Siciliæ promontoria ſignificari poſſunt, inquit Carrera, Pachynus, Pelorus, & Lilybæum; Palladiſque in tutela totam Inſulam eſſe. Neque aliunde figura hæc, triangularis ſcilicet, ineptè illi adſciſcitur. Scribit enim Pierius (a) *quod Trigeminam eam nonnulli faciunt, propter anni tempora, quæ apud Ægyptios tria tantùm fuere, quippe Ver, Æſtas, & Hyems. Huic etiam tertiam uniuſcujuſque menſis diem dedicarunt, cum è Lunæ coitu menſem auſpicarentur, ut Sthemis eſt author; Pallas enim, ut in eorum eſt Theologia, die tertia orta eſt, & eamdem, & Palladem, & Lunam plerique interpretantur; Hæc verò non priùs, quam è tertio coitus die ſe videndam exhibet.* Et paullo poſt ſubdit: *Sed illud minime diſſimularim, quod Democritus dixiſſe fertur: Pallade Tritoniam ea de cauſa nuncupatam, quod præcepta tria, ad humanam vitam bene, beateque degendam neceſſaria propoſuerit. Benè quidem conſulendum, Rectè judicandum, Juſtè denique agendum; in quem finem omnis ſanctioris diſciplinæ finis dirigitur. Merito igitur ternarius, & triangularis figura quæ lineis æqualibus deſcribitur, & Palladi eſt, & Juſtitiæ dicata.* Huc uſque Pierius. Quod ad me attinet, non omittendum cenſeo Cereris ſtatuam furto à Verre in Sicilia ex Ennenſi templo ſublatam Victoriolæ ſignum dextera prætuliſſe, ut Cicero in Verr: teſtatur; Venus in Numeriani Cæſaris numo, Victoriam altera manu, altera verò ſignum Δ oſtentat; In alio Fauſtinæ Auguſtæ eadem Venus Victoriolam tantùm prætendit; Co-

(a) Hier. li. 39

rinthi

rinthi demum Venerem cum Victoriolæ ſimulacro effictam refert Pauſanias in Corinthiacis.

De Auguſto pro more ſuo Avercampus cogitat in hujus explicatione numiſmatis. *Caput Apollinis*, inquiens, *laureatum; ab altera parte figura eſt muliebris, dextera Victoriolam, leva trianguli ſubſtinens figuram. Præter ſolitam inſcriptionem Urbis ſub Victoriola leguntur literæ* ΑΠ, *quę* ΑΠΟΛΛΩΝ. *ſeu* ΑΠΟΛΛΩΝ & ΠΑΛΛΑΣ *legi debere integrè ſuſpicatur Carrera ... Figura mihi videtur ipſius Urbis Catanæ eſſe ſtatua, ita effecta in gratiam Auguſti, cui altera manu Victoriolam, altera imperium Siciliæ triangularis offert, atque congratulatur Urbs illi maxime devota, quę literis* ΑΠ. *evidentur beneficium ab eodem Cæſare poſt varias ab hoſtibus acceptas calamitates in ſe collatum, poſtquam reſtituta, atque* ΑΠΟΙΧΙΑ, *ſeu Colonia Romanorum eſſet facta*. Vide *Tab.* VI. *num.* 11. Tab.6.n.11.

V. Quatuor apud Parutam videas numos numero ſcilicet 13. 28. 29. & 30. qui in paucis variant; Caput enim habent juvenile, aut muliebre ex una, ſigillum verò ex alia mulieris ſtantis expanſis manibus cum epigraphe ΚΑΤΑΝΑΙΩΝ. Caput in XIII. XXIX. & XXX. Veneris eſſe credit Avercampus, ſed in XXIX pone caput faſtigiatum aliquid videtur, quod pilei figuram refert, in ſequenti autem magis ad pyramidem vergit. *Si pileum deſignat*, inquit idem Avercampus, qui ad Auguſtum numos refert, *indicare volunt Catanenſes ſeſe libertatem demum quaſi recepiſſe, victo à Cæſare, atque profligato Pompejo*. Mulier in averſa facie nympham refert; hinc ad Thermas Catanenſes ſatis celebres ſpectare numos credit laudatus Hiſtoricus, *ſicut illę*, ait, *Himerenſium paſſim*

per tales Nymphas exprimuntur. Veneris autem Caput pinxere, & quod aquis ipſa Dea nata fuerit, & in Octaviani Auguſti gratiam, cujus temporibus illos omnes cuſos eſſe exiſtimo. Sed de xxx; ubi pyramidalis, ut diximus, figura cernitur, ſubdit: *An vero inter reliqua Urbis ornamenta juxta Thermas Obeliſcus etiam fuerit erectus, quod facile fieri potuit, id equidem definire nequeo. Averſa pars ſuperioribus in eo diſpar eſt, quod reſpiciens Nympha Thermas ſuas commendat, non ut in reliquis proſpectans.* Notas denique duas ante figuram efficas ad ſecundum Auguſti in Republica magiſtratum deſignandum appoſitas credit. Jam vero de xxvii, ubi caput eſt laureatum, retro quod vel nota X, vel aſtrum adſculptum, ſcribit: *Caput Apollinis laureatum ... Figuram verò muliebrem de Nympha capio Thermas ſignificantem; inter alia enim publica hujus Urbis ornamenta Thermæ etiam fuerunt, eaſque pulchras, & celebratas valde extitiſſe docent non tantùm cum Apollinis, ſed & cum Veneris capite repetiti nummi.* Petrus Carrera, Ducem optimè de patria meritum perpetuis hiſce monumentis celebrari affirmat, ut reliqui cives audentiori animo partes reipublicæ tuendas, tantæ gloriæ ſtimulo acti, ſuſciperent. Hinc meta juxta Ægyptios, teſte Pierio, lib: xxxix velut gloriæ teſſera in Sepulchris celebrium viro-
Tab.6.n.12 13.& 14. Tab.7.n.1. rum appingi ſolebat. Conſule *Tab.* vi. num. 12. 13. & 14; ac *Tab.* vii. *n.* 1. Sunt porro omnes ærei, ac ſecundi moduli.

VI. Exhibet duos alios idem Paruta numos, qui Caput præferunt laureatum, & retro eſt Sydus, Figuramque muliebrem ex averſa habent; ſed in xxv hæc lauri, aut oleæ geſtat ramum, in xxxiii ſub ejuſdem dextera notæ adſunt III. *quas forte,*

ait

ait Avercampus, *tertium Imperatoriæ dignitatis titulum ſignificantes, diſiunctim* III *expreſſas, calcographus non bene excepit*. Sunt etiam ærei, eiuſdemque moduli, ac inſcribitur in utroque KATANAIΩN, ut *Tab.* VII. *n.* 2, & 3. Majerus, ut & Avercampus Caput ad Apollinem referunt, Stella quippe divinitatis eſt Symbolum: *Apud Horum*, inquit Pierius, *(a) legas Stellas Hieroglyphicum eſſe Dei*, redditque rationem, cur id Ægyptiis eſſet perſuaſum: *Cum enim per Stellas potiſſimum in Dei cognitionem perveniſſent, ipſius univerſi Deum, per ſignum, quo eum deprehenderant, ſignificare inſtituerunt: ideoque Stellæ Hieroglyphicum pro totius mundi Deo ponere voluerunt*. Carrera autem Ducem victoriis celebrem in eo figurari contendit; hinc laurea coronatum, hinc Stella illi adſculpta, quæ hominis excellentiam, ac gloriam deſignat; Eſt quippe Sydus celebritatis etiam teſſera, atque in Aruſpicum obſervationibus proſperitatis, ac læti alicujus eventi ſignum creditur; locîſque inaugurandis, eodem Pieriotefte, ſydus ex lamella ærea, qua ſpecie reliquæ in Cœlo ſpectantur ſtellæ, præfigebatur. Mulier porro ramum lauri prætendens Catanam denotat; quod ſi ex olea ſertum capitis, ac ramum dicamus, pacem poſt bellum ejuſdem Ducis opera, ac virtute partam, aut rectum reipublicæ regimen iis deſignari non incongruè putabimus, ſed, & in altero Mulier, vel Pythiam, quam vir ille conſuluit, vel Catanam urbem deſignare poterit, & literæ ΙΠ initiales fortaſſe ſunt ejuſdem nominis. Hæc Carrera; ſed Avercampum audiamus. *Caput Apollinis laureatum, retro quod ejuſdem eſt aſtrum; ab altera parte ſolita inſcriptio, atque figura muliebris lauri ramum dexra tenens. Sicut inter Panormitanos n.* 98. *notaba-*

Tab 7.n.2. 3.

(a) Hier.l.44

notabamus per Sibyllam laurum folium manu tenentem prædici Auguſto conſumatiſſimam ab omnibus hoſtibus Victoriam; ita etiam hic Sacerdos illa Apollinis nobile illud germen manu tenet, atq; prafert, tamquam porrectum Octaviano, cujus partibus cõtra Sextum Pompejum faverunt Catanenſes.

VII. Parutianum eſt denique numiſma num: XXVII. æreum, & moduli tertii, quod, ſi Avercampo credimus, Auguſti ævo percuſſum, nedum ad ejus Victoriam de Pompejo, ſed ad familiam quoque alludit. En porro Hiſtorici verba: *Apollinis laureatum caput, & ab altera parte figura muliebris, dextra columbam præferens, cum duabus notis oblongis, atque ſolita inſcriptione. Sicut autem Auguſto paſſim Græci adulati ſunt per Apollinis habitum, atque cultum, ita ad originem quoque ejus haud obſcurè alludere voluerunt Catanenſes noſtri. Ita Venerem genitricem in nummo hoc agnoſco, columbam manu dextra præferentem, eodem planè modo, quo apud Begerum tom:* III *Theſ. Brand: pag.* 270. *ſtatuam Veneris, ſed omnino nudæ, cernas ſimilem avem manu tenentem. Et curnon Cytheria avis Dominæ ſuę aſſignetur, ſi & Minervæ nummum noctua, Jovis autem Aquila exornet? Imo ſatis aptè Octaviano* II *vice jam Imperatori (iſtum numerum enim indicare lineolas illas exiſtimo) nec ſatis proſpera in navali pugna cum Menegrate Liberto Pompeji fortuna uſo, animum addunt, & bonum rerum eventum ſperare jubent, vel ex eo, quod maternas aves cum Progenitore Ænea agnoſcens, ſciret jam adveniſſe Deam in ſanctum ſuum montis Erycis templum, conatus Cæſaris ſui adjuturam, Matremque Pompeji partibus adverſam reddituram, ſicuti etiam paulo poſt lęta omnia ſunt ſecuta. Apud Virgilium certè lib. Æ-*

neid.

neid. VI *ver:* 190. *Æneas de convenienda Sibylla anſius.*

Vix ea fatus erat, geminæ cum forte columbæ
Ipſa ſub ora viri, cęlo venere volantes,
Et viridi ſedere ſolo; tum maximus Heros
Maternas agnoſcit aves, lætuſque precatur
Eſte duces, ò, ſi qua via eſt.

Imo ſicut hoc tempore uxorem Liviam duxerat Auguſtus, ita eidem etiam hoc nummo tamquam novæ Veneri ſubblandiri Catanenſes voluerunt. Subdit hic aliam de nummo ſuperius explicato conjecturam, creditque in eo Sibyllam depingi aureum gerentem ramum, quę Octaviano ſucceſſuram vindictam ſpondeat, quam de Patre Cæſare exigebat, placaturumque manes defuncti, cæde, ac pęna ingratorum parricidarum; *atque ita*, concludit, *ſingulos illos actus ſingulis hiſce nummis indigitari. Sibyllam etiam ita portitorem illum Orci alloqui facit Virgilius verſ.* 405.

Si te nulla movet tantę pietatis imago,
At ramũ hunc {aperit ramũ, qui veſte latebat}
Agnoſcas.

Proſequitur ſubinde: *Imo aliam, eamque perbellam, utriuſque hujus nummi nobis interpretationem ſubminiſtrat Dio Caſſius pag.* 444. *Edit. Gr. Lat. H. Steph. ubi prodigium Liviæ factum enarrat:* Aquila gallinam albam in gremium ejus abjecit, quę ramum lauri, fructum ſuum gerentis geſtabat. Livia, quod id oſtentum haud exiguum duceret, gallinam adſervavit diligenter; laureum autem ramum ſevit, atque is radicibus adoluit, itaut poſtea temporis frondes triumphantibus diu admodum ſuppeditaverit. *Confirmat idem in Galba cap.* I *Suetonius, ubi portentum narrat defecturę in Nerone Cæſareæ domus:* Liviæ, *inquit*, olim poſt

Auguſti

Auguſti ſtatim nuptias prætervolans Aquila gallinam albam, ramulum lauri roſtro tenentem, itaut rapuerat, demiſit in gremium, cumque nutriri alitem, pangi ramulum placuiſſet, tanta pullorum ſoboles provenit, ut hodiè, quoque ea villa: *Ad Gallinas* vocetur; tale verò lauretum, ut triumphaturi Cæſares inde laureos decerperent, fuitque mos triumphantibus alios confeſtim eodem loco pangere; & obſervatum eſt, ſub cujuſque obitum arborem ab ipſo inſtitutam elanguiſſe. Ergo noviſſimo Cæſaris anno, & ſylva omnis exaruit radicitus, & quidquid ibi Gallinarum erat interiit. *Quum itaque ſatis conſtet, hos nummos cuſos paulopóſt ductam ab Auguſto Liviam, idque oſtentum eo tempore contigiſſe, oſſervant Hiſtorici, valde veriſimile mihi ſit ad illud in utroque alludi.* Vide *Tab.* VII. *num.* 4.

Tab.7.n.4 VIII. Ejuſdem ectypi, æreos, ſed varii moduli, ſecundi nempe, & tertii complures in laudato S. Nicolai muſeo aſſervamus, in his caput fuſa coma, ac laurea inſigne, & in quibuſdam calantica ornatum, ſupra quam prominet ſertum; vultuſq; lineamenta nonnihil diverſa, ſed aut muliebrem referunt faciem, aut juvenem pulchritudine eximium; Quotquot habere videntur calanticam ſigno aliquo notantur, ut in XXVIII, & ſequentibus inter Parutianos obſervamus, aut in noſtra Tab. VI, num. 11. 12; & 13. Muliebris figura columbam utraque manu oſtentat, pallamque ab utroque humero rejectam, atque ad humum uſque fuſam habet. Conſule *Tab.* VII. *num.* 5; & 6.

Tab.7.n.5. 6. Carrera Ducis, ob victorias de hoſtibus Reipublicæ relatas, laureo ſerto inſigniti imaginem in Capite recognoſcit; Conicas vero figuras ejuſdem cum laude geſtum denotare duplicem, aut militiæ,

tiæ, aut politices magiſtratum, credit, Veneris denique figuram apponi, ob peculiarem erga ipſam Ducis religionem. Sed enim vultus, ut innui, muliebris, aut juvenilis, Catanæ potius genium, vel si mavis, Adonidem Veneri acceptiſſimum, ſeu denique Apollinem potius refert, quam Ducem, qui virili ſaltem aſpectu exprimi oporteret, iiſdemque perpetuò lineamentis. Cæterum columba variis ex cauſſis Veneri addicta creditur. Hæc quippe *Amorum Mater*, ut canit Ovidius in Faſtis, mutuam conjugum concordiam ſervare dicebatur, quam per columbas ſignificatam volunt. Eas porro, si Athenæum audiamus (a) Cyprus, inſula Veneri dicata, primas protulit, exindeque in alias regiones devectas, junctaſque idcirco Veneris currui fabulæ tradiderunt. Silius Veneri dilectas Columbas dicit lib. IV.

(a) Cœn. Sapien. lib. 9.

Dilectas Veneri, notaſque ab amore columbas

Et Propertius eamdem Columbæ Reginam appellat lib. III.

Sed cape torquatæ Venus o Regina columbæ

Siculi denique noſtri cæca credulitate olim perſuaſum habuere, ut Pierius meminit (b) Venerem ab Erycis monte digreſſam per dies novem, ſtato ſingulis annis tempore, ſeceſſum colere, interimque nullas eo tractu columbas apparere, abire enim illas Deæ ſuæ comites; nonum verò poſt diem adventare unam, reditus prænunciam, quæ Veneris templum eo in monte celeberrimum ingrediebatur, reliquas mox uno agmine turmatim reverti, atque hinc gaudio exultantes opidani Venerem adeſſe profitebantur, diemque cum cantibus, & jocis feſtivum, atque jucundum celebrabant.

(b) Hier. l. 22.

ALIA INCERTÆ CLASSIS NUMISMATA.

I. INcertæ claſſis dicimus numos, qui variis figuris ſignati apud Parutam, & Carreram exhibentur, diverſaſque ſortiuntur explicationes. Secundus igitur Parutianus argenteus ſecundi moduli hoc pacto deſcribitur ab Avercampo: *Sine epigraphe prior pars eſt, & caput exhibet læta fronte, atque toroſa conſpicuum cervice, & bene barbatum. Cingitur idem quercinis foliis, vel vitis fronde. Bacchi Barbati potius faciem eſſe credo, quam Herculis; notiſſimum enim eſt eum ita depingi. Ab altera parte eſt fulmen alatum, verum ita fabricatum, ut ſuperiores, atque inferiores partes calycis habeant figuram, & quidem ex ſuperiori calyce floſculus erumpat, ex inferiore coliculus vitis; Juxta, ſeu ab utraque parte conſpicitur patera, quæ Jovis, & Bacchi cultum ſicuti denotant, ita floſculus ille cum calycibus ſuis ad Rhodiorum numos ſpectare videtur; in quibus crebro juxta majorem florem, ſeu roſam explicatam occurrunt. Quod nemini mirum videri debet, quum ex Rhodo originem ſuam etiam agnoverit Rex Hiero, urbis Catanæ eximius cultor. Inſcriptio nummi ΚΑΤΑΝΑΙΩΝ eſt.* Sed verius Hieronem Catanæ hoſtem dixiſſet, cujus deletum etiam ſummo ſtudio nomen voluit. Huc recidunt, quæ ſuperius de Quadrigatis numis agentes, diximus, ubi ad Hieronem nullimode ſpectare illos, qui Catanæ epigraphem præferunt, probavimus. De eodem numo Carrera ſcribens, Caput illuſtri viro tribuit; in averſa verò parte Sceptrum alatum recognoſcit. Majerus ad Jovem refert. Et ſane Quercus, ex qua ſertum, *Jovis arbor*, ut eam dixit Ovidius, (a) ac

(a) Metam. l. 1. 7.

ac illi ſacra: *Sacra Jovis Quercus*; Jovi denique *Amica* juxta Claudianum, illud Caput eſſe Jovis indicat, quod aliunde præcipuum Catanæ numen ſcimus; Sceptrum alatum, ſive Caduceum alibi vidimus, ac fuſius explicavimus; quomodo autem ad Jovem ſpectat, quum pacis, ac eloquentiæ ſit teſſera, indicare videtur Author, qui ad Pierii libros Auctarium fecit; ait enim Lib: 1. *Caduceus fati poteſtatem denotat*. Cui porro potiori jure ſortes hominum commiſſæ, quem Deorum maximo? Attamen & ipſe Fato ſubiicitur apud Homerum, & Ovidium, itaut nec Serpidonem, nec Semelem ſibi dilectam, nec Phętontem, fatis adverſantibus, ſervare ab exitio poſſit. Conſule *Tab.* VII. *num.* 7. *Tab.*7.*n.*7.

Ejuſdem Parutæ XXIV, qui caput juvenile, retro quod folium eſt, & literas inſcriptionis ultimas....ΝΟΣ, atque ab altera parte fulmen alatum præfert, Carreræ judicio Catanenſibus neutiquam eſt accenſendus; de eo nihilominus hæc protulit Avercampus: *Juxta frondis, ſeu folii interpretationem caput etiam ſuo numini aſſignandum erit. Si pro hedera capimus, caput erit Bacchi; ſi fluviatilis plantæ Acim deſignari putem, illum Galatheę procum, quem ſumma ſaxi immanis parte obruit Polyphemus; Si quis autem cornua in fluvio noſtro, & arundines deſideret juxta illam apud Ovid: metam: lib.*XIII. *ver.*89. *deſcriptionem:*

> Miraque res: ſubito media tenus extitit alvo,
> Incinctus Juvenis; flexis nova cornua cannis.
> Qui niſi quod major, quod toto ceruleus ore eſt,
> Acis erat.

Et Galatheæ idcirco potius vindicandum numiſma exiſtimet, pugnare cum illo nolim; valde ambiguus inter puerum, puellamque juvenilis hic vultus eſt... Ad alterutrum pertinere concretum aquis capillum,

& fluvialis plantæ frondem plane quidem exiſtimo. Inſcriptionem integram credo fuiſſe ΛΑΣΙΟΝΟΣ *magiſtratus cujuſdam, vel* Regis ΙΕΡΩΝΟΣ, *ut ſub* Rege *Hierone cuſus ſit nummus. Unde, quod ipſe cum* Jove *imperii ſui ſymbolum habuit, fulmen alatum, ab altera ſui parte expreſſit. Globuli iſti æris, ut puto, pondus indicant, atque monetæ valorem.* Conſule *Tab.* VII. *num.* 8.

Tab.7.n.8.

II. Ad Bacchum refero elegans numiſma ab Archangelo editum num: 9. æreum, & quarti moduli. In eo muliebre, aut juvenile caput paſſa coma viſitur, & ex alia racemus, ſpica, ſive Ordei granum, & virga, è cujus extremo faſcia dependet. Caput Veneris eſſe, ait Carrera, non alia ductus ratione, niſi, quod fluxo crine parum præſeferat honeſtatis; Sed Bacchus, de quo Ovidius canit

(a) *Faſ. lib.3.* {a} *Sive quod ipſe puer ſemper, juveniſque videris,*
Et media eſt ætas inter utrumque tibi,

Et alibi: *Tu puer æternus, tu formoſiſſimus alter.* Paſſis etiam capillis, exprimebatur, Orgiaſque, ſive Bacchi feſtos dies fluxis crinibus veteres celebrabant. Hinc Iſaacius apud Pierium {b} tradit, Antiquos Bacchum effinxiſſe juvenem, & ſenem, ſed communi ritu vultu muliebri, & laſcivo. Racemus aliunde ad eumdem ſpectat, utpote Vini inventorem; hinc etiam *Racemiferum* ſæpius illum Ovidius appellat.

(b) *Hier.l.10.*

(c) *Lib.1.Ecl. 8.* Et Tibullus (c)

Hic docuit teneram palis adjungere vitem
Hic viridem dura cedere falce comam

Euripides denique in Bacchicis: *Semele ſatus*
Potum racemi reperit mortalibus

Ordei granum, ſive Spica Catanenſis agri fœcunditatem denotat; Virga, vel, ut illam vocat Avercampus, Thyaſus ad Bacchum quoque alludit. Sed

author

author hic ex literis, quas in poſtica numi facię legit Carrera M.Y.R. illum, vel ad *Miconem* inſulam, unam ex Cycladibus, vel Thraciæ Urbem *Mycalem* ſpectare dicit; cujus & ipſe antiquiſſimm, & pulcherrimę celaturæ numum poſſidere, ex ęre pariter, & huic noſtro ſimilem, niſi quod Thyaſus abſit, fatetur. *Urbs Mycale* ſubdit, *in Theſauro nummario hactenus incognita fuit.* Vide *Tab.7.n.9.* Tab.7.n.9

Racemum præfert & XIV penes Parutam æreus, ſecundi moduli numus, caputque barbatum hedera redimitum. Hedera Baccho ſacra, ex qua ille omnium primus ſibi ſertum capiti impoſuit, quum ex India Victor in Græciam tranſmitteret; cujus exemplum ſecutus Alexander, Victorem ex India exercitum hedera coronatum reportavit. Et coronas quidem, ut alibi dictum, Janum authorem habuiſſe tradunt Veteres, ſed eas manu Victores in triumphis, Sacerdoteſque in ſacrificiis geſtabant; Bacchus verò primùm tempora cinxit; Putat tamen Jul: Cæſar Scaligerus (*a*) mortales ad æſtiva umbracula coronas ex arborum foliis excogitaſſe, victoque in certaminibus ablatas, atque Victori impoſitas, ut ea ignominia cęli incommoda pateretur. Sed ad hederam redeamus, qua in Bacchi ſollemnitatibus redimita anus Sacerdos, thyrſo fęmineos choros concitabat. Hujus rei cauſſam inquirens Ovidius eodem libro Faſtorum ait.

> *Cur Hedera hæc cincta eſt? Hedera eſt gratiſſima Baccho.*
> *Hoc quoque cur ita ſit, dicere nulla mora eſt.*
> *Nyſiades nymphas puerum quęrente noverca,*
> *Hanc frondem cunis appoſuiſſe ferunt.*

Hinc Hedera *Chenoſiris* Ægyptiorum lingua appellata, ideſt *Oſiridis planta*. Oſiris enim apud eoſdem idem, ac Dionyſius, ſeu Bacchus. Baccho initiati

(*a*) Poet. lib. 1 cap. 23

tiati hedera etiam coronabantur, teſte Euripide. *Nyſa Urbe* demum *in extrema India à ſe poſita, hedera, quam ſevit, æternum nominis ſui monumentum eſſe juſſit*, ut ſcribit Pierius {a} Ex his concludas Caput Bacchi eſſe, qui & barbatus etiam effingitur, uti ex Pauſania lib. 1. In Eliacis inferius videbimus, & ſupra indicatum ex Iſaacio. Accinitque Cartarius in Imag. Deorum ubi ait: *Senis forma veteres Bacchum etiam adumbraſſe, quod oſtendit immodicum vini uſum ſenectutem accelerare.*

(a) Hier.l.51.

Quod ſi cum Carrera Poetam aliquem, veluti Steſichorum, aut Xenophonem Catanæ incolas exprimi dicas, à vero non abibis. Poetis quippe ex hederæ foliis corona dabatur; hinc inter victrices Auguſti Cæſaris lauros optabat Virgilius, ut ejus ſerperet hedera (b)

(b) Eclog. 8.

Atque hanc ſine tempora circum
Inter victrices hederam tibi ſerpere lauros.

Et idem Eclog: VII canit:

Paſtores hedera creſcentem ornate Poetam.

Ovidius quoque, qui Bacchi opem ſæpius ſuis in elegis invocat {c}

(c) Triſt.lib.1.

Deme meis hederas Bacchica ſerta comis.

Quod ideo factum putaverim, ut intelligeretur Poetas nonniſi Baccho, ſeu vino indulgentes Oeſtro, ut ajunt, corripi poſſe, inque divinum furorem agi; qui ſane furor illis perneceſſarius, ut ait Tullius {d} *Bonus Poeta nemo ſine inflammatione animorum exiſtere poteſt, ac ſine quodam afflatu furoris*. Aliam quoque reddit Pierius rationem, inquiens laudato Libro: *Quod verò Poetæ hedera decerneretur, & una cum lauro eorum corona perficeret, non tam perpetuus utriuſque viror, qui diuturna eorum opera ſignificaret, in cauſa fuit, quam, ut oſtenderetur, eos, qui digni hederis evaſiſſent,*

(d) De Oratore

laureamq;

laureamque meruiſſent, & ingenio, & arte præcelluiſſe; per laurum enim inſitam in ingenio vim, & venæ fœcunditatem, Apollinis irradiatione locupletem, intelligebant; per hederam verò artem induſtriam pervigili labore partam. Cujus rei id eſt indicium, quod hedera ſuapte natura admodum imbecillis humi ſemper reperet, neque ſe unquam attolleret; pertinaci tamen labore, artificioſoque conatu pervincit, ut vel arboribus, vel parietibus adhæreſcens paulatim irrepens, ſupra omnium faſtigia victrix evadat, & ſupremo in vertice dominetur; utraque enim eſt opus, ſi quis velit excellere.

Ut porro Apollini in Comœdia aram veteres ſtatuebant, ſic Baccho in tragœdia, & in illa verbenæ imponebantur Apollini, in hac verò hederæ Baccho, quod ex Terentio colligit Scaligerus. Æque idcirco Apollo, & Bacchus Poetarum tutelares, æque Muſarum choros ducunt; quin apud Nyſam in Arabia Bacchum à Muſis educatum tradunt, unde illi Dionyſii nomen. Fortaſſe Poetæ caput illud credidit Carrera, quia, ut ex Ovidio ſupra indicatum, Juvenis effingitur Bacchus. Quin ejus in tutela hedera putabatur, quod ut ille ſemper eſt juvenis, ita hæc ſemper vireſcat. Sed enim Diodorus duplices Baccho vultus attribuit, quorum unus Juvenem, alter rigidi oris virum exhibet, qualis in noſtro hoc numiſmate. Macrobius omnis ætatis eumdem fuiſſe effictum tradit, nunc Juvenem ſcilicet, Puerum, nunc Virum, aut Senem: Pauſanias denique in Cypſeli arca Bacchum barba inſignem, ſed in muliebri cultu expreſſum dicit. Conſule *Tab. VII. num.* 10. Carrera in Re- Tab.7.n.10 ſponſ. ad Perellum ejuſdem typi numiſma ſe poſſidere fatetur, in quo præter ſolitam inſcriptionem habentur notæ XI.

Tri-

III. Trigeſimus nonus Parutianus ſecundi moduli, æreus numus caput exhibet juvenile lauro coronatum, & Tripodem ex alia cum epigraphe ΚΑΤΑΝΑΙΩΝ, ut *Tab. VII. num.* 11. Laurus Apollini ſacra, uti alibi fuſius expendi, ejus eſſe caput ſatis indicat. Tripos eidem numini ſacer hac de cauſſa creditur: Delphis celebre erat Apollinis Templum, & oraculum in ſpelunca, ad quam, Urbis decreto, nemini, niſi Pythiæ Sacerdoti, fas erat accedere, quæ Tripodi, ſeu Machinæ tribus pedibus impoſitæ, ad id muneris inſtitutæ inſidens, ante ſpeluncæ os, numinis ſpiritu afflata, futura petentibus edicebat. Sic Juſtinus, & Diodorus. Verum Scaligero hæc non arrident, altiuſque Tripodis originem repetit, ſcribens: *In faciem verſus Coturnicis Jupiter Latonæ vitium obtulit... Parturiens Latona undique ab Junone exacta, in Delum inſulam recepta eſt, quam priſci Ortygiam vocabant; ibi editis gemellis Apolline, & Diana ſubſtitit Mater; Diana in Cretam tranſmiſit, Dictynumque montem coluit; in Liciam ſeſe contulit Apollo. Inde à Pane divinationem, quum didiciſſet, in eum oraculi ingreſſus eſt locum, ubi Nox olim, deinde Themis reſponſa dederant. Quo tempore occiſo Pythone Tripo lis cuſtode, Oraculum ſuum fecit, cujus corio obductus ejuſdem opera Tripos, inde etiam Cortina fuit appellatus.*

Tab. 7. n. 11

IV. Eodem Apolline auſpice Colonias è Grecia Chalcidenſes profecti in Siciliam deduxere, hinc numini ſub *Archagetæ*, ideſt *Ductoris* vocabulo ſtatuam eo in littore, quò primum appulere, teſte Thucydide (a) dedicarunt, quæ Auguſti etiam tempore perſtabat, ut Appianus Belli Civ. Lib. V. ſcribit. Quum porro eoſdem Chalcidenſes habuerit Catana colonos, beneficii memores

(a) Belli Pel. lib. 6.

incolæ

incolæ Apollinis Archagetę imagine ſua ſignarunt numiſmata, ut *Tab. VII. num.* 12. Caput enim *Tab.7.n.12* lauro redimitum Apollinis, initiali nominis litera A ſubnotatur, & cognomen ejus ΑΡΧΑΓΕΤΑ adiicitur. Ab altera parte Bos humana facie, & racemus Coloniæ ſymbolum, agrique culturam præfert; aut fortaſſe Botrus ad Bacchum alludit, cui etiam Chalcidenſes Catanæ Coloni addictiſſimi erant. Notiſſima porro Inſcriptio ΚΑΤΑΝΑΙΩΝ, ſed vox illa ΝΙΤΑΝ obſcuræ eſt intelligentiæ, niſi fortaſſe, ut bene advertit Carrera, extremos deſignat characteres vocis ΤΑΥΡΟΜΕΝΙΤΑΝ. Occurrunt enim in Tauromenii numis à Paruta allatis conſimilis teſſeræ figuræ. Archagetæ aliunde ſtatua in Tauromenitano littore collocata, Urbis hujus etiam populos eidem Deo devotos arguit. Hinc ſuo, & ſociorum nomine adpicto, communem utriuſque gentis cultum Catanenſes oſtendere curarunt. Exhibet hoc idem numiſma, quod eſt æreum, & moduli quarti Avercampus, ſubditque: *Nummus hic indicat concordiam Catanenſium, & Tauromenitanorum; qui communi ſtudio Apollinem Archagetam coluerint.... Minotaurum ad Cretenſem referimus coloniam, botrum ad vini bonitatem.* De Bove humanum præferente vultum alibi, & mox infra.

V. Ex Archangelo Æreum moduli quarti habemus numum, in quo Proſerpinæ caput, ſeu Dianæ, fraternis Apollinis ornatum frondibus videas, & ut melius agnoſcatur dependentem ad collum Lunulam oſtentat. Ab altera parte eſt Bos cum humana facie, ſubſcribiturque ΚΑΤΑΝΑΙΩΝ. Videſis *Tab. VII. num.* 13. Archangelus idem, & *Tab.7.n.13* cum eo Carrera fertum ex immaturis ſpicis compactum credunt, Proſerpinæ Cereris filiæ ſatis pro-

prium; Bovem verò Orcum, ſive Plutonem, Proſerpinæ raptorem deſignare Archangelus ineptè affirmat, nuſquam enim tartareum numen ſub hac imagine expreſſum vidimus. Bos in numis ex Antonio Auguſtino denotat Urbem fuiſſe coloniam, & in illo Juliani Auguſti pro ſecuritatis ſymbolo accipitur; hìc verò in noſtro pro agricultura, & colono venire bovem, humanos habentem vultus, tradit Carrera, ac ſativos Catanæ agros deſignare; Bos enim terræ culturæ addictus, cujus opera, ac labore in arando, & ſerendo colonus utitur, rei frumentariæ commoda denotat; *Id porro bonoris bovi veteres babuerunt*, inquit Pierius, *ob multas, quas ex eo conſequimur utilitates, ut ex una parte numi facies Principis, ex alia bovis ſimulacrum effingeretur, & cuderetur*. Plutarchus bovis figuram in numis cudere à Theſeo inſtitutum tradit, vel ob Taurum Marathonium, quem ipſe domuit, vel ob Minois Ducem, quem ſingulari certamine devicit; vel, ut hoc honore bobus præſtito, populos ad agriculturam alliceret. Obſervat quoque Carrera Catanenſe numiſma poſſe Cereri, ſive Iſidi aptari, cui ſpicæ, & Luna competunt; Iſis enim eadem, ac Luna, ut diximus; Bos aliunde, cui melius appingi poteſt, quam Cereri, ſive Iſidis ſimulacro? nam juxta Ovidium (a).

Illa jugo tauros collum præbere coegit.
Tunc primum ſoles eruta vidit humus.

(a) Faſt. lib. 4.

Scio per Bovem in numiſmate expreſſum, Monſtrum illud Cretico labyrintho concluſum juxta laudatum Auguſtinum Dial: v. paſſim indicari, ac ejuſdem mentis fuiſſe Goltzium; Hinc Avercampus de eodem numo ſcribens. *Qui autem*, ait, *ad hieroglyphicas confugiunt ſignificationes, & de Aratoribus, ſive ruſticis ſomniant, ruſticitatem ſuam in*

hiſce

hiſce antiquitatum deliciis profitentur. Sed, ut alibi innui, & Minotaurum, & agricolationem non inepte denotabit, uſurpatumque ad Creticum monſtrum à Theſeo confectum, ſive ad Minois Ducem nomine *Taurum* ſignificandum, nec non ad frugiferas regiones figurandas non injuria poterit affirmari. Quid quod Catanenſes Chalcidenſium jactant originem, & Chalcis urbs ab Athenienſibus condita? Optime enim Chalcidenſes in Theſei Athenienſis memoriam, Minotaurum pro teſſera aſſumere, atque ad ſuos poterant tranſmittere, quod aliarum Siciliæ urbium, aut Chalcidicam, aut Cretenſem habentium originem numis confirmatur; quidquid Carrera obtendat, Minotaurum leviſſimis conjecturis è Siculo Promptuario mordicus excludens (*a*) Extat numiſma in Collegii Panormitani muſeo æreum, ac medii moduli.

(*a*) *Reſp. ad Percllum.*

VI. Jovis cultum videtur exprimere XXXV. à Paruta editum, ex ære, & moduli II, in quo juvenile caput cum inſcriptione ΚΑΤΑΝΑ... & ramum quernum ex altera deprehendimus, ut *Tab. VII. num.* II. Illud Juvenem ad Reipublicę clavum admotum, Jovi peculiari religione addictum referre poteſt, juxta Carreram; Sed Jovem ipſum fortaſſe exprimit, qui *Anxurus*, ideſt *Imberbis* à Virgilio dicitur Æneid: 7. *Tab.7.n.11*

Quis Jupiter Anxurus arvis
Præſidet.

Ubi Servius. Ad eumdem porro Quercum alludere non ambigo, utpote illi ſacram. Vel Ducis fortitudinem, ac robur animi, aut principatus ejus diuturnitatem, & potentiam Quercus deſignabit, ſeu denique urbis Catanæ vires, ac firmitatem. Avercampus: *Caput*, inquit, *rurſus Apollinis, ut videtur, licet laurea corona perierit, & ab altera*

parte. Quercus arbor. Epigraphe conſueta in utroque latere fuiſſe videtur, & ſuperſtites etiamnum aliquot ſunt literæ. Celebrare forſan hoc nummo ſilvas ſuas Catanenſes voluerunt, denſis robuſtiſque arboribus, & quercetis inſignes; paſſim enim Sicilia iis abundat.

VII. Jamvero XXXVIII, qui ſupereſt ex Parutianis, æreus, & moduli tertii, Spicatum Cereris Caput cum literis ΕΠΙ, & volantem Pegaſum, ſub quo Galea, exhibet; eſtque inſcriptio ΚΑΤΑΝ....Ν. Vox Epi obſcuræ intelligentiæ. Pegaſus ad Corinthios ſpectat, & in Syracuſanis nummis ad Corinthum, unde Syracuſæ colonos acceperunt, alludit. In hoc noſtro famæ ſymbolum merito illum Carrera dicit. *Naſcitur Pegaſus*, ſcri-
(a) Hier.lib.4. bit Pierius (a) *ex Meduſæ cæde; ſiquidem virtus, cum terrorem amputaverit, famam generat.... Fama autem, ubi primum genita, per hominum ora volare incipit; muſarum excitat fontem in Parnaſſo; quippe quod illuſtrium virorum præclara facinora Vatibus ſcribendi ſuggerunt argumentum.* Quibus verbis Pegaſi fabulam innuit, quæ talis eſt. Meduſam (cujus crines Palladis opera in angues converſos effingunt) ob exitialem intuentibus aſpectum, infame monſtrum, Perſeus dormientem abſciſſo capite confecit, ex cujus ſanguine Equus alatus prodiit. Ovidius Faſ. III.

Creditur hic cæſæ gravida cervice Meduſæ
Sanguine conſperſis prosiluiſſe comis.

Qui, quum in Elicona evolaſſet, ſaxum ungula feriens fontem elicuit, qui ab eo *Hippocrene*, ſeu *Fons Equinus* fuit appellatus. Subinde ex Corinthio fonte Pirene bibens, à Bellerofonte, qui id temporis expeditionem in Chimæram parabat, captus, quum hic Cœlum petere illius pennis con-

fiſus,

fiſus, attentans, temeritatem ex alto ruens fuiſſet, Pegaſus eò perveniens, inter Stellas collocatur. Mythologi Pegaſum Neptuni & Meduſæ pulcherrimæ mulieris filium faciunt, natum juxta fontes, ubi Gorgones habitabant; Carolus Neapolis Anapt: ad Ovid: Faſtos; *Vera opinio eſt*, ſcribit, *Pegaſum fuiſſe navis nomen, qua vectus Bellerophon appulit ad montem Telmiſſum temporibus Amiſodari, monſtraque ibi quædam everterit*. Galea bellicoſi populi eſt teſſera; ſed ectypi ejuſdem nummus, in S. Nicolai muſeo aſſervatus, aliud exprimere videtur.

Avercampi Opinio eſt hunc nummum ad Syracuſanos Catanæ incolas ab Hierone deductos ſpectare, cur verò Catanenſium in ipſo ſibi nomen adſciſcunt, quum Ætneos potius æquum erat appellari? Sed ipſum audiamus. *Chalcidenſium ex Naxo profectorum coloniam ſtimus eſſe Catanam, Symbolum verò Corinthiorum eſſe Pegaſum; quæri itaque poſſet, quo pacto in Catanenſium inveniatur nummis*. *Reſpondeo, Corinthiorum colonos fuiſſe Syracuſanos; ex iis autem multos fuiſſe, qui cum Megarenſibus, & Gelenſibus decem iſtos mille formarunt, quos novos urbi Catanæ colonos Hiero Rex aſſignavit; & hinc nihil mirum, ſi quoque Urbis ſuæ natales in nova colonia reſervaverint, atque Pegaſi notam monetæ ſuæ impreſſerint. Galea bellicoſi populi eſt indicium, qualis domi, frugum proventu abundans, & equeſtribus copiis valens, facile robore ſuo, omnem peregrinum hoſtem terra ſua arcere poterant*. *Literas* ΕΠΙ *initiales nominis alicujus eſſe exiſtimo, ut Epigenis, ſimiliſve, atque, ut in plurimis Græcorum nummis, & forſan Catanæ noſtræ num.* 16. 24; *nomen Magiſtratus ejus temporis denotare*. Conſule *Tab.* VIII. *num.* 1. Tab.8.n.1

Æreum

VIII. Æreum quarti moduli numiſma, quod profert ex Archangelo Carrera, Equo, ſuper quem ſtella, & Gryphe, ſub quo ſerpens ſignatum, cum epigraphe ab una, & altera facie ΚΑΤΑΝΑ Apollinis cultum innuit. Equus enim, & Gryphus apta Solis, ſive Apollinis ſunt ſymbola. Gryphes hinc ejuſdem currui juncti dicuntur à Claudiano in Honorii Imper. Paneg.

At ſi Phębus adeſt, & fręnis Grypha jugalem
Riphęo tripodas repetens detorſit ab axe.

Ipſeque Phæbus Gryphoneus, teſte Pierio, à nonnullis dicitur. In Gallieni denique numo Gryphes cuſos inſpicias cum Apollinis inſcriptione. Serpens ad Pythonem, quem interfecit Apollo, videtur alludere, nec non Equus, & Stella eidem tribuitur, qui diurnum in Cœlo peragit curſum, equis quatuor vectus; unde Virgilius (a)

Quum primum alto ſe gurgite tollunt
Solis Equi, lucemque elatis naribus efflant.

(a) Æneid. lib. 11.

Petrus Carrera in Equo currente Catanenſis regionis equos figurari ait, in Stella eorum inſignem pernicitatem, additque Oppiani verſus Lib. VIII.

Equorum verò quotquot genera educavit immenſa tellus,
Velociſſimi ſunt Siculi, Lilybęumque, qui depaſcuntur,
Et tricipitem montem, qua tegumento Enceladi
Flammis ætbereis eructavit fulminis,
Siculę Ætnę bullit ſempiternus ignis.

IX. Gelonis Syracuſarum Regis numiſmata, aliaque ejuſdem Urbis apud Parutam Equum, & deſuper ſtellam præferunt, equeſtrique militia valuiſſe Syracuſanos denotant; Neque urbs noſtra hac gloria caruit, Pindaro teſte alibi laudato. Gryphes porro in rerum natura minimè exiſtere cre-

dit Plinius (a) *Pegaſos equino capite volucres, & Gryphes auritos aduncitate roſtri, illos in Scythia, hos in Æthiopia, fabuloſos reor.* Alibi nihilominus ſcribit (b) *Juxta eos, qui ſunt ad Septentrionem verſi, producuntur Arimaſpi, quibus aſſidue bellum eſſe circa metalla cum Gryphis ferarum volucri genere, quale vulgo traditur, eruente ex cuniculis aurum, mira cupiditate, & feris cuſtodientibus, & Arimaſpis rapientibus*. Sed enim Gryphes veluti in orbe extantes alii ſic deſcribunt apud Teſtorem in Epit: *Gryphem habet India quadrupedem volucrem, recurvis unguibus, dorſo nigrum, priori parte purpureum, alis albicantibus, ore aquilino, igneis oculis, difficilem captu, niſi rapiatur pullus, & involucer. Nidificat in altis montibus, congreditur cuivis ferè animali, Equis infeſtus eſt maximè; Unde Virgilius per argumentum, de impoſſibili in Bucol:* Jungentur jam Gryphes Equis. *Aurum fodit apud Battrianos in deſertis locis, nidos ex eo ſibi texit, & prope accedentes abigit, ſuperat Elephantes, & Dracones, & alia animalia præter Tigridem, quam propter levitatem nequit arripere.* Quo circa optimè pro fortitudinis, & potentiæ hieroglyphico aſſumi poteſt.

(a) Lib.33.c.4

(b) Lib.7.c.2

Jam verò Serpens ſub Gryphe Palladi etiam aptari poteſt, juxta eumdem Carreram, & prudentiam denotare. Pauſanias in Atticis Palladis deſcribens ſimulacrum, ſedere Deam dicit in curru triangulari, cui noctuæ adjunctæ ſunt, utrinque verò Gryphes adſculptos dicit. Serpens quoque eidem Sacer. *O Pallas*, inquiebat Demoſtenes teſte Plutarcho, quum populo volente, exul patria excederet; *Urbium Domina, cur tribus infauſtiſſimis beſtiis delectaris, Noctua, Dracone, & Populo?* Hinc Pierius hujus rei rationem aſſignans, ob oculorum,

ait,

ait, quæ in ſerpentibus perfectior eſt, aciem, ac pro prudentia accipitur, Serpens Palladi ſacer habetur. Denique in Equo magnanimitatem, in Gryphe fortitudinem, in Serpente prudentiam, in Sydere celebritatem Catanenſium deſignari poſſe, idem Carrera concludit, qui varia etiam congerit, ut Gryphes in ſingularem teſſeram à noſtris aſſumptos oſtendat lib. III. cap. XIV, ac penes ſe ſervatum numiſma æreum, moduli quarti aſſerit, in quo Gryphus ex una, ex alia verò Equus videtur, illudque Catanenſibus accenſet. Videſis *Tab.*
Tab.8.n.2 VIII. *num.* 2. Necnon aliud, quod Caput Minervæ galeatum, & ab altera parte Gryphem volantem præfert, cujus ectypi apud Blaſcum Romanum Columnam nonnulla etiam haberi affirmat. Erant autem ærea, ac moduli tertii. Conſule *Tab.*
Tab.8.n.3 VIII. *num.* 3.

X. Idem Carrera duos ab ſe inventos æreos profert numos. Et primus quarti moduli Caput juvenile exhibet ex una, cum Epigraphe KAT... ex altera verò Columnam, circa quam
Tab.8.n.4 ΓΛΥΚΩΝ. ΕΥΣ... ΑΕ.... Ν, ut *Tab.* VIII. *num.* 4. reliqui enim characteres evanidi erant, ac detriti. Credit ille, Caput reipublicæ Ducem deſignare, cui fortaſſe nomen *Glycon*. Columnam verò ejuſdem firmitatem, fidemque erga patriam denotare. Sed Avercampus Palicis numum tribuit; *A priori parte*, inquiens, *memoria eſt Adrani, ſeu juvenis iſtius, cui ex Palicorum oraculi monitu, ſacra feciſſe Siculos ex Xenagora teſtatur Macrobius; A poſteriori Palicorum ſacra celebrantur; Ara videlicet, ſeu Columella exprimitur Palicorum, dicta Pinguis, quod omne genus frugum pro ubertate priſtina recuperanda, illuc Siculi congeſſerint. Et forſitan Sacerdotium Palicorum in hoc*

nummo

nummo nobis exprimitur; literæ enim fugientes, quas aſſequi editor non potuit, hanc integram formant inſcriptionem. ΓΛΥΚΩΝ ΙΕΡΕΥΣ ΠΑΛΙΚΩΝ. Ideſt: Glycon Sacerdos Palicorum. *Experientia enim quotidiana docet me, quam infeliciter in legendis Græcis nummis paſſim Antiqui verſati fuerint.* Jam in ſecundo numo Gladiatorem utrinque videas, enſe, & clypeo inſtructum, hinc Stella, illinc verò inſcriptio ΚΑΤΑΝΑΙΩΝ, ut *Tab.*VIII.*n.*5. *Tab.8.n.5* Figuræ juxta Carreram, aut duos, aut unum eumdemque deſignant inſignem virtute bellica virum, cujus famæ ſymbolum ſtella eſt. Avercampus de Perſeo cogitat: *Exiſtimo*, ait, *ab utraque parte eumdem exprimi heroem*, *Perſeum videlicet*, *qui dextra quidem gladium tenet*, *quo hoſtes oppugnavit*, *læva verò ſcutum*, *quo à ſeſe removet*; *quoniam nimirum in eo Meduſæ caput licentia ſculptoris ſpectari videtur*. *Solis aſtrum ab altera bujus nummi parte poſt Perſeum effictum cernitur*, *ſicuti poſt Apollinis caput*, *nec mirum in Siculo nummo tam fabularis inſulæ Perſeum inveniri*, *quum plurimi Urbium ejus nummi Meduſæ quoque caput oſtentent*.

XI. Hic denique non omiſerim inter editos ab eodem Carrera, & Archangelo numos, illum Catanenſibus accenſeri, qui paſſim ab authoribus Q. Metello Romano Conſuli tribuitur, in quo Caput muliebre, & Ciconia ex una, Elephas ex altera viſitur; traditque Archangelus ſub Elephante adpictam eſſe epigraphem ΚΑΤΑΝΑ. Caput Cybeles eſſe ait; Verùm Carrera de Catana intelligit; Ciconiam ad Fratrum Catanenſium, Amphinomi, & Anapiæ alludere pietatem, Elephantumque de urbis Catanæ teſſera, ſive inſigni intelligi poſſe affirmat; Æreum denique, ac moduli quar-

 ti di-

ti dicunt, quum ille Metelli argenteus ſit. Ego, inquit Avercampus, *alius ſum ſententiæ, quum enim ſimillimus in Gente Cæcilia extet typus, & Metellorum Piorum familia argenteos tales denarios paſſim ſignaverit; hunc quoque æreum licet nummum ad gentem illam ſpectare exiſtimo. Refero etiam ad Q. Metellum Pium Scipionem, qui poſt Pompejum Reipublicæ partes in Africæ oris aliquandiu ſuſtentavit; In hujus gratiam, & cum familiæ ſymbolis nummum hunc provincialem Catanæ fuiſſe cuſum credo.* De Metelli numiſmate Auguſtinus in ſuis Dialogis, & noviſſimè Gisberti Cuperi lib. de Elefanto, qui in novi Theſauri Romanorum Antiquitatum Tom. 11. à Sallengre adornati editus videtur. Elephas porro munificentiam, temperantiam, æquitatem denotat, ac pro pietatis, & manſuetudinis hieroglyphico etiam aſſumitur. Illum hinc pro Urbis teſſera veteres noſtri ſibi adſciverunt cum initiali litera A ſuperpoſita, qua nomen profecto Palladis ab Græcis ΑΘΗΝΑ appellatæ indicare voluerunt; in hodiernis enim inſignibus idem animal rubentis coloris videmus, cui vas ſanguine redundans inſidet, huic verò Pallas ægida, lorica, & haſta, ſeu enſe munita, atque à deſtris ſub ipſa Dea puerulus adſtat triſtatam caſſidem oſtentans. Profert laudatus Carrera numiſma ab altera ſui parte glabrum cum eadem Bellua, ſupra quã litera A, ac multa ad ejuſdem interpretationem eruditiſſimè congerit. Numi etiam meminit Friderici III Siciliæ Regis, cum Elephanto quem Catanæ, ubi pius hic Princeps ſedem ſtatuit, cuſum affirmat. Inter monetas denique Alphonſi Regis, cognomento Magnanimi, numiſma occurrit, ab altera tantùm parte ſignatum, quod vicem ponderis præſtare primus editor adnotavit, in quo Elephas cum Charactere A Regis ejuſdem nomen deſignante cernitur. CA-

ÆTNÆ, ET MAMERCI NUMISMATA.

I. INeſſa, non ignobile Catanenſis agri Oppidum, poſt Hieronis primi Syracuſarum Tyranni mortem nomen commutavit, Ætnaque deinceps eſt appellata ab incolis, qui Catanâ ejecti, ſedes in ea collocarunt. Hi enim ab Hierone Catanæ conſtituti, ut alibi fuſius dictum, Ætnenſes dicebantur ab Ætnæ vocabulo, quod ejuſdem Tyranni juſſu, Catana, illo in vivis agente, obtinuit. Ab noſtris autem civibus poſtliminio reverſis pulſi, Ineſſam occupantes, Ætnam denominarunt. Hujus numiſmata Archangelus Catanenſibus accenſuit, quod frequentiſſimè Catanæ occurrerent, ac ſub Hierone percuſſa eadem in Urbe putavit. Edidit etiam Paruta ſub Ætnæ titulo. Primum æreum in S. Nicolai muſeo moduli ſecundi, apud eoſdem verò Archangelum, & Parutam moduli primi, Caput muliebre ſpicis coronatum exhibet, in quo Cereris imago proculdubio exprimitur, ex parte alia Cornucopiæ, ſive Amaltheæ videas cum epigraphe ΑΙΤΝΑΙΩΝ ſcilicet *Ætnæorum*. Ineſſenſis Ager frugum feraciſſimus, ac rei frumentariæ caput, ut Cicero teſtatur; hinc non immerito Ætneos Cereri addictos putamus. Amaltheæ cornu ad eamdem quoque ubertatem alludit. De hoc cornu varia fabulantur Poetæ: Acheloum variis ſub figuris Hercules non ſemel oppreſſerat, tandemque ſub tauri forma cornu avulſo ſuperaverat; hinc Najades fructibus, floribuſque illud arreptum in tantæ victoriæ monumentum compleverunt, ut Ovidius Met: lib. IX. memorat, quamvis alibi Faſt: v, aliter rem exponat. Lilius Gyraldus (a) *Cornu Amaltheæ*, ait,

(a) *Synt: de Diis in Herc. f. 55*

ait, *ſignificat fertiliſſimam regionem, quam donavit Ammon Rex Libyæ Amalthee ab ipſo ſtupratæ, & quia illa regio abundat omnibus fructibus, factum eſt, ut diceretur de admodum fertili*: Eſt ne Cornu Amaltheæ?

Jamvero ſecundùm Ætnenſium numiſma ex ære tertii moduli in laudato S. Nicolai muſeo, penes Archangelum, & Parutam ſecundi moduli, caput habet Apollinis radiatum, quod ad Hieronem referri poteſt Ætnæ conditorem; qui uti ex Avercampo diximus, ab Rhodiis genus ducebat ſuum, qui Solis caput radiis inſigne pro teſſera habebant. Miles clypeo munitus bellicoſos deſignat populos.
Tab. 8. num. 6. & 7. Conſule. *Tab.* VIII. *num.* 6. & 7.

II. Mamercus Italus Catanæ Tyrannus, principatum invaſit eodem prorſus tempore, quo Dionyſius Minor Syracuſis dominabatur, aliique per univerſam pene Siciliam populis Jura dabant, ut fuſius ſuo loco expendi. Mamerci nummus obtulit Archangelus, ex quo Carrera; Paruta etiam aliquot operi ſuo inſeruit, ex quibus nonniſi primus probatur, alii verò ad Mamertinos ſpectare creduntur. Signatur ille capite galea Phrygia, & vetuſti moris tecto, retro ſceptrum viſitur. Ab alia parte eſt Animal quadrupex cum facie humana, ac regia corona, ſeu radiata, cum monogrammate, quod
Tab. 8. n. 8. Mamerci nomen exprimit. Vide *Tab.* VIII. *n.* 8. Caput ad Mamercum refertur, Animal Equum, vel rectius Minotaurum exprimit, ac pro Minotauro accipit Avercampus, qui Carreræ contra Perellum rationes rejicit. Potuit autem Mamercus genus ſuum à Cretenſibus deducere, eorumque teſſeram uſurpare.

III. Plumbeam refert Glandem Paruta num. 42, de qua nos ſuperioris libri cap. VIII. num.

III.

III. *Baleares*, inquit Avercampus, *eximii apud antiquos funditores celebrantur, tantaque vi rotare fundam noverant, ut colliqueſactum in aere plumbum fingant ſæpe Poetæ.* Meminit plumbeæ glandis Ovidius lib. IV. Met. & lib. XI. Virgilius verò Mezentium eadem armat lib. IX. Æneid.

Protulit Groſſus in Catana Sacra §. 17. Plumbeum numiſma Antonii Metropolites Cataniæ, quod expreſſum habes *Tab. VIII. n.* 10. De eo nos lib. IV. cap. III. Ubi ſiglorum interpretationem ex eodem Groſſo dedimus: *Jeſu Salvatoris Domini Noſtri Jeſu Chriſti Servo Baſilio Imperatore.* Verum noviſſime editum id numiſma vidimus apud Ficoronium, (*a*) qui in antica facie legit: *Antonio Metropolitæ Civitatis Catanæ.* In poſtica: *Domine Auxiliare Servo Tuo.* Tab.8.n.10 (*a*) *Antiq.Sig.* cap.16.n.4

IV. Peregrina prorſus exhibet *num.* 11. & 12 ejuſdem Tabulæ numiſmata, Oſſea nempe moduli ſexti, quæ rariſſimè occurrunt. Et primum quidem, dum fundamenta Catanæ ponerentur Templi magnificentiſſimi S. Nicolai anno MDCCXLII. defoſſum, aliud verò circa idem tempus in Monte Virginum, ubi vetus ejuſdem S. Nicolai Cœnobium diù ſtetit, inventum, ambo in manus Michaelis Rizzari Caſinenſis Congreg. Decani venerunt, qui concinnando, ejuſdem S. Nicolai muſeo totis intendens viribus, illa hujus Cimeliarchio addixit. Figuræ extantes ſunt, & eleganter expreſſæ, literæ verò in averſis partibus adſculptæ. In primo Gryphis caput, ſed humanum eſt buſtum, calantica, ſeu galea, neſcio qua, coopertum, nec literæ innuunt aliquid. In ſecundo caput, ut puto, Diagoræ, id quippe nomen exprimit poſtica facies. Meminit cujuſdam Diagoræ Diodorus Siculus lib. XIII his verbis: *Diagoras cognomento Atheus calumniæ* Tab.8.num. 11.12.

notatus

notatus ob impietatem, & Deorum contemptum timens iram populi ex Attica profugit. Cujus odio promitur ab Athenienſibus edictum: Si quis Diagoram interemiſſet argenteum ei talentum præmio daturos. Tunc porro temporis Catanenſes fęderibus juncti erant Athenienſibus; hinc apud noſtros degere Diagoræ minimè datum. Idem celebratur inter Philoſophos ab Heſichio Mileſio, (a) *Theodorus* dicitur, eo quia ſermonem, ſive orationes quaſdam ſcripſit, quæ defectionis cauſſam à communi de Diis perſuaſione continebant. Hunc, addit idem Heſichius, natura ingenioſum conſpicatus Democritus Abderites ſervum redemit, decem drachmarum millibus, hoc eſt centenis minis, ſibique diſcipulum adſcivit.

(a) *Lib. de Hiſt. qui fama claruerunt.*

Ex gemmis ad calcem Tabulæ VIII. ſervat primam Franciſcus Honoratus Columna, de qua diximus lib. x. cap. 8. num. III. Aliam exhibuit Carrera lib. 3. Tom. I. Sunt, nec numero paucæ penes Ignatium Paternionium, in S. Nicolai muſeo, atque apud alios antiquitatis amatores id generis gemmæ, ſed ſingulas hìc pencenſere eſſet properanti operoſum.

LIBRI XI. FINIS.

EMENDATIONES, & ADDITIONES.

Parte I. *pag.* 18. *lin.* 4. Stephani quidem Byzantini Epitomator Hechatæum allegat, qui Catanæ conditorem adſtruit nullum, ac aliunde Urbis noſtræ &c.

Pag. 39. *lin.* 9. Ovidius Symethi aquas in mare illabi tradit; & hiberno ſane tempore S. Pauli flu-

li flumen curſum retinet, ſeque in mare exonerat, ſed æſtivis menſibus Catanæ amni circa Symethi campum unitur.

Pag. 46. *lin.* 12. Sed illud hìc animadverto, quod Cluverius lib. 2. cap. 1. mendum in Diodori Eclogas irrepſiſſe tradit, & alibi Italium, ſive Idalium Caſtellum in occidentali inſulæ latere ſtatuit, circa Drepani agrum.

Pag. 49. *lin.* 18. *poſt* legitur *adde* nec non Joannes Baptiſta Guarneri Catanenſis.

Pag. 131. *ad calcem Capitis.* In Ethruſcarum Antiquitatum fragmentis à Curtio Inghiramo inventis, ac editis nonnulla, quæ Catanam ſpectant circa hæc tempora occurrunt; illa hìc proferam: lib. 1. pag. 62. Scarith XXCIX: *Siculi Sardos adjuvant.* Mox *Accer adverſus Siculos claſſem. Siculi apud Inſulam Phorbantiam victi. Civitates Segeſtanum, Drepanum, & Seneſte capiuntur. Sed Accer moritur. Novi milites cum Tibure Dario Duce à Larth miſſi, in Siciliam applicuere. Ad fluvium Bathim iterum Siculi fugantur. Panormo Thuſci potiuntur. Brutii, Lucani, & Ætoli Siculis opem ferunt; Alontium, Capuntium captum. Meſſeni, Miſſelli, & Argenii ſe Thuſcis dedunt. Siracuſii opem à Mathionibus, Cartagoniis, & Libiis implorant; Catana liberatur. Tranſapenninæ Coloniæ jubentur milites in Siculos mittere. Sequenti anno renovatur prælium. Catana capta eſt. Siracuſii deditionem faciunt.* Et paullo poſt *Inſulæ in mari Africo munitæ. Caputinis, Panormenſibus Meſſenis Siracuſiis, & Catanis, ut Lucumonem eligant, conceditur, à Larth confirmandum.* Lucumen etat urbanus Magiſtratus, de quo idem author lib. III. pag. 181. Scarith XVIII. Larth verò ſupremus veluti Dux, de quo Idem lib. 1. pag. 57. Scarith

LXXX.

LXXX. Tum pag. 66. libri ejuſdem Scarith XCVI. *In Siculis Lucumones diſcordes. Siracuſii, & Catani inter ſe præliantur.* Et paullo infra: *Quatuor Senatores Arretini eliguntur, ad fœdus ineundum inter Siracuſios, & Catanios.* Tum pag. 67. *Unus Populonienſis Lucumen ſuam opem promittit, alii nec munera, nec legatos recipiunt. Item per legatos Meſſanos, Capuntinos, Panormenſes, & Catanios hortatur, & orat contra Larth. Meſſani, & Catanii Vulterranis ſavere promittunt. Capuntini, & Panormenſes, nec ulli ſavere, nec obedire velle reſpondent. Siracuſii Arretinis adhærent* ... Denique lib. II. pag. 134. Scarith XCIX. *Modo ſcribam Urbes Siculorum nulli ſubjectas, quæ in Concilio generali locum habebant: Capuntium, Argenium, Panormum, Meſſana, Siracuſa, Catanium.* Quum porro totum hoc opus otioſi hominis paſſim credatur eſſe figmentum; ſatis duxi ea tantum promere, ubi Urbis noſtræ mentio ingeritur, ab aliis ſuperſedendo, ne fabulas hiſtoriæ intermiſcere videar.

Parte III. *Pag.* 19. *lin.* 9. Quamvis illas Achillianas appellatas ex Græco Epigrammate lib. X. cap. IV. num. IV. eruamus.

Pag. 198. *lin.* 14. Extat hodie in muſeo Ignatii Paternionii.

Pag. 265. *lin.* 12. *poſt* arbitrantur *adde.* Inſcriptionis Interpretatio eſt *Adrianus, & Deuteria vixit.*

Pag. 272. *lin.* 2. ΠΗ Sigla ΠΡΟ denotat ideſt *Ante.*

Pag. 274. *lin. ultim.* Cujus hæc eſſe videtur interpretatio *Selena Mater memoriam poſuit Damilonis Liberti.*

INDEX

A

Abbatum S. Nicolai Elenchus 127.
Acis cultus 38. Numiſmata 316. 371.
Aciſculus 322.
Adonides in nnmo Catan. 369.
Adranus Palicornm Pater 343. Ejus templũ 40.
Aſtas in numis 300.
Ætnæ Numiſmata 367.
S. *Agathæ* Eccleſia vetus. Nova Baſilica 101. Monachorũ Cœnobinm 120. Monialium 170. Puellarum Virginum Domus 177. Mulierum Converſarum 176. de Xaris Eccleſia 191.
Ala in numis quid denotet 348.
Amnenaus fluvius 38. An recte dicatur Kamaſenus 313.
Amphinomi, & Anapiæ Templũ, Statuę, Campus, Sepulchrum 18. Numiſmata 296.
Amphitheatrum Catanæ 61. Illius author 64. Ruina 68.
S. *Andreæ* de Milo Prioratus 136.
Anniæ Zoſimæ votum 201.
Antonii Catanenſ. Epiſc. Numus 389.
Apollinis Templum 39. Caput in numis 328. vultus juvenilis 329.
Aquęductus Catan. 45. Illius Author 47.
Arcus Marcelli 71. Symmitrii, & ſociorum *Ibidem*
Arx Catanenſis Urſina 77. Saturnia Ibidem.
Aſtri in numis 302.
Athenæ á Pallade appellatæ 36.
Athis puer in numo 331. 357.
S. *Auguſtini* Cœnobium 145.
Auguſtiniani excalceati 137.
Auguſtus Octavian: in numo expreſſus 338. Sub Apollinis habitu 366.
Avis in antiquis lapidibus 235.

B

Bacchi delubrum 28. Idem eſt Bacchus, ac Dionyſius 299. Senex, & Puer exprimitur 305. 372. Muliebri cultu ornatur 332. 372. Racemiferus 372. Cornu inſignis 309. Barbatus 370.
S. *Baſilii* Monachi 134.
Benedictina Cœnobia 120. 167.
Biceps Figura in numo Catan. 351.
Biga in numis 325.
Bos in numis 378.

C

Caducei Varię ſignificationes 311. 371.
Cancer in Numo Catan. 334.
Carabus in numo Catan. 334.
Carcer S. Agathæ 66. 95. S. Eupli 66. 96.
Carmelitarum Cœnobium 147. P. Inſtituti 149. Excalceatorum, ſive S. Tereſiæ 150.
Carthuſiani Monachi Catanæ 136.
Caſponia Sicula Cereris Sacerdos 14.
Caſtor, & Pollux fratres 317. 321.
Catana Roman. Colonia 363.
S. *Catharinæ* Vetus Eccleſ. Paræcialis 116. Cœnobium Ordinis Prędicatorum 139. Monialium 172.
Ceres Catanæ culta 9. Ejus templum, & Statua 10, *& ſeq.*
Charondas in numo expreſſus 304.
Ciconia Pietatis ſymbolum 385.
Circinus Menſorum in numo 359.
Circus Maximus 42.
S. *Claræ* Monialium Cœnob. 177.
Claudia gens Romana 707.
Clerici Regulares Catanæ 155. Infirmis Miniſtrantes *Ibidem*. Theatini 156. Sęculares 167.
Collegium Societatis Jeſu 153.
Columba Veneri ſacra 366. 369.
Columba in numo Catan. 323 384.
Columna Hieroglyphica 72.
Congregatio Septem Dolorum B.M.V. 164. S. Petri 163.
Conicæ Figurę in Numis Catan. 347.
Conſtantini de Paternione Epitaphium 284.
Cordiacæ Figurę in Lapidibus 207.
Cornucopię, ſeu Amalthęę 320. 387.
Cornu in Numis 313.
Corona Civica ex quercu 299. Spicea Cereri Sacra 357. Æſtatis inſigne *Ibidem*. Ex Hedera, & lauro Poetis 374. Varius ejus uſus 352. Deorum honos 351. A quo primum inventa 289.
Crotalus Cybeles Sacer 356.
Ss. *Crucifixi* Cappella 181.
Curia in Theatro 70.
Cybeles Templum 32. Catanæ culta 354.

D

Demitir Ceres appellata 236.
Diagoras Philoſophus 389.
Dinomenes Hieronis Filius 326.
Dionyſius Idem, ac Bacchus 245 299.
Dioſcuri Fratres 320, *& ſeq.*
Diſciplinantium Cętus Catan. 188.

S. Dominici Cœnobium 138.
Domus Orionis Regis 90.

E

Eccleſia S. Marię de Bethlehem 91. Sepulchri S. Agathæ 92. S. Leonis *ibidem*. S. Lucię 93. S. Agathę vetus 94. Carceris S. Agathę 95. S. Eupli M. 96. SS. XL. Martyrum 98. Deiparæ *ibidem*. SS. Alphii, & Fratrum *ibidem*. S. Georgii 99. S. Marię de Crypta *ibidem*. S. Joannis 100. S. Stephani *ibidem*. Princeps in urbe S. Agathæ Sacra 101. S. Marię de Eleemoſyna 111. Eidem adnexæ 113. Paręciales antiquę, & recentiores 116. & *ſeq.* S. Nicolai de Arena 123. Eidem adnexę 124. S. Mariæ Novęlucis 131. Eidem adnexæ 134. S. Mariæ Lauretanæ 164. Extra Muros Catanæ 191. S. Mariæ de Ongia 190.
Elephas Catanæ inſigne 386.
Epiſcoporum Catan. Elenchus 108.
Equi Figura in lapidibus 254.
Equus in numo Catanenſi 382.
Eremus S. Hieronymi 162.
Ethnicorum Epitaphia 236.

F

Fax Cereris inſigne 359.
Fidii templum, & Tabula 29. Nomina 30.
Flavius Felix 343.
Fluviorum Genius quomodo effictus 316.
Fortunæ Templum 36.
Fragmenta Inſcriptionum veterum 229.
Franciſcani Ordinis Cœnobia, Conventualium 140. Obſervantium 142. 143. Reformatorum 143. Capucinorum 144. Tertii Ordinis 145. Moniales 174.
S. Franciſci de Paula Cœnobium 150.
Frumenti Spica in numis 298.

G

Galathea Templum 7. 38. Ejus Effigies in numo 371.
Galea in numo Catan. 350.
Galini cultus Catanæ 8. 38.
Gelon Rex Cereris templi author 12.
Gemmæ antiquę 390
Georgius Gualtherius 195.
Glans plumbea 388.
Glycon Sacerdos Palicorum 385.
Gryphes in numis 351. 382. An fuerint in mundo 383.
Gymnaſium Catanenſe à Marcello inſtauratum 55. Prima ejus inſtitutio 57. Ab Alphonſo Rege, & Eugenio IV. reſtitutum 60. Timoleontium Syracuſis 55.

H

Haſta Palladis, ac Deorum inſigne 358.
Hedera Baccho ſacra 345. 373. In Tragędia eidem appoſita 375. Poetis addicta 374.
Heliodorus Magus 52.
Herba Trium foliorum in numis 345.
Herculis Templum, & Statua 34.
Hiero Rex Cereris templi author in Enna 12. Ejuſdem numi 309.
S. Hieronymi Monialium Cœnobium 174. Eremus 162.
Hippodromus Catanæ 43. 226.
Horologii Solaris inventio Catan. 295.
Hoſpitales Domus Aſcentionis, & S. Marci.

I

Janus Coronas invenit 289; & naves 291. Bifrons, & quare 290. Idem, ac Saturnus *ibidem*.
Idololatria à Cyclopibus 7.
Ineſſa Opidum poſtea Ætna 387.
Inſanabilium Domus Hoſpitalis 180.
Inſcriptiones Veteres 203. Earum fragmẽta 273. ævi recentioris 282. Sepulchrales 229. Eccleſiæ S. Stephani 282. S. Mariæ Carmelitarum 283. Catanenſis Eccleſiæ 283. Gentis Paternionię 284. In Civili Baſilica 286.
Inus, ſeu Leucotheæ templum 9.
Jovis aræ, ac templum 17.
Iſis Ægypti numen 191. Eadem, ac Ceres 292.
Italicum, ſeu Idalium Caſtellum 391.
S. Juliani Monial. Cœnobium 165.
Julius Paternus 205.
Jupiter Ammon cornu inſignis 315. Anxurus dictus 379. Ætnæus 18. Cum Cerere in numo conjunctus 250. Æthera denotat 35.
Jus in juvencam mutata 291. Eadem, ac Iſis 292.

K

Kamaſenus in numo Catan. 323.

L

Lapides Chriſtiani 250. Gręcè inſcripti 236.
Laſius in numo 298. Bacchi cognomen 300.
Laurus Victoriam denotàt 342. Ejuſdem ramus in Liviæ gremium demiſſus 367. Apollini ſacra 399.
Leones Cybeles currui adjuncti 330.
Leucothea Templum 8.

Li-

Lituus Sacerdotale inſigne 200.
Locuſta ſive Carabi in numo 334.
Lucumé,& Larth Magiſtratus apud Ethruſcos 391
Lunulæ Proſerpinam deſignant 337.
Luſius Laberius Thermas dicavit 194.

M

M*Agna* Mater, Mater Idea, Deæ Matres 32.
Mamerci Tyran. numiſma 385.
Marci Marcelli caput 71. Arcus *Ibidem*. Aqueductus 47.
S. Mariæ Portus Salvi Monial. Cœnob. 277. Vallis viridis 177. De monacabus 166.
S. Mariæ de Ongia Eccleſia 190.de Dagala 157.
S. Mariæ Magdalenæ Monial. Cœnobium 175.
Mars vinculis compeditus 349. Ejus lucus, & templum 34.
Meduſa Fabula 380.
Mercurii caput in numo 237.
Metæ in Circo maximo 43.
Mœnia Catanæ 76.
Monaſterium S. Nicolai de Arena 181.
S Mariæ de Licodia 122. S. Agathę 120.
S. Mariæ Novælucis 131. S. Mariæ de Scalis 134. Nemoris clauſi 136.
Monialium Cœnobia 165.
Monetæ Varius uſus 287.
Mons Pietatis 380.
Montis Virginis Monial. Cœnobium 173.
Moyſes nonnullis Mercurius 314.
Mugiles Symæthi 322.

N

N*Avis* in Jani numo 289.
Naumachia Catanæ 42.
S. Nicolai Monaſterium 121.
Nilæ Florentinæ Epitaphium 233.
Noctua in Numis Catanæ 318.
Notæ Figulinæ in Sigillis 281.
Numiſmata vario typo ſignata 386. Sicula 288. Catanenſia 289. Offea 389.
Nympha Thermarum Catanenſ. in numo 364.

O

O*Beliſcus* Catanæ 72. A quibus primũ apud Egyptios inſtitutus 74.
Olea Palladi ſacra 294. Et Cereri 336.
Ongiæ Templum 32. Inſcriptio 33.
Orionis Domus Catanæ 90.
Oſiris idem, ac Bacchus 374.

P

P*Agurus* in numo 334.
Palatium Proconſulare 66.
Palicorum Templum 21. Ara, & Jusjurandum 22. Fontes, & Lacus 23. Statuæ 27. Lacus prope Paternionem 26.
Palici Jovis filii 25. In numis expreſſi 343.
Palladis Templum 37. Eadem, ac Minerva 294. Belli Præſes 319. 361. Ubique armata 358. Trigemina, & Tritonia 362.
Palmæ ramus in ſepulch. Inſcr. 271.
Panormus locus prope Catanam 25.
Pantheon Catanę 31. In numis 354.
Paterna gens Romana Conſularis 205.
Patera exſcavata in lapidibus 227.
Pegaſus in numis 380.
Pentagonum in numo 310.
Perguſę Lacus 336.
Perſeus in numo Catan. 385.
Piorum Fratrum facinus 18. Templum, & Statuæ 19. Campus 20. Sepulchrum 21. Numiſmata 296.
Piſcis ſeu Delphin in numis 399. In lapidib. 229.
Pileus libertatis teſſera 317.
S. Placidi Monialium Cœnobium 169.
Plutonis templum 33.
Polyphemus Galatheæ templum ſtatuit 7.
Porta Catanæ 78. Media 80.
Præpoſitorum Collegiatæ Eccleſiæ Elenchus 113.
Proagorus Catanæ Magiſtratus 200.
Proſerpinæ raptus in Ætna 9. Templum 33. Caput in numis 377. Regina Siciliæ, & Catanæ 337.
Pythia in numis expreſſa 365.

Q

Q*Uadrigę* in numis 315.
Quercus Jovi ſacra 371. In numis 379.
Quintus Luſius laberius 194.
Q. Lutatius Ædilis 199.
Q. Maculnius 195.
Q. Petidius Spurinus Conſ. 198.

R

R*Acemus* in numo 372.
Romani Legati ad Cererem 13.
Roſcia gens Romana 251.
Rudera variis in locis 87.

S

S*Aracenorum* delubra 70.
Saturnia Cereris 77.
S. Pauli flumen 390.
Sceptrum alatum in numis 312 370.
Securitas in numo 345.

Semina

Seminarium Clericorum 161.
Sepulchra Heroum Catan. 84. 80. Steſichori 81. Hieronis 82. Thaliæ, Ongiæ, Aeis, &c. 83.
Serapidis caput in numo 354.
Serpentes Cereris currum trahunt 333.
Serpens in numo 383.
Severus Agonotheta 238.
Sigilla Veterum 280.
Sigma litera in numis 378.
Silenus in numo Catanenſi 305.
Simulacri fruſtrum 89.
Syſtrum Iſidi ſacrum 356.
Sol Bifrons 352.
Soſia gens nobilis Catanæ 246.
Spicha in numis 353.
Sydus in numis 365.
Symethi Numiſmata 329.

T

T*Haliæ* Scrobs 25.
Theatrum Catanæ 68. Ejuſdem vetuſtas 70.
Thermæ Catanenſes Baccho ſacræ 28. Achilliane appellatæ 391. Illarum ſitus 51. Minores 54. Incendio fœdatæ 244.
Triangulus Siciliæ Inſulæ ſymbolum 362.
SS. Trinitatis Monialium Cœnobium 170. Redemptionis Captivorum Relig. 151.
Tripos in Numis 338. Apollini Sacer 376.
Triptolemus 358.
Turris Philoſophi in Ætna 17.

V

V*Eneris* templum 36. Numiſmata 369.
Verbena Apollini ſacra 375.
Veſta Dea eadem, ac Ops 19.
Vexilla in numo Catan. 353.
Via ſubterranea inter Theatrum, & Amphitheatrum 68.
Victoriati numi 335.
Victoria in numis 340. Gradiẽs 342. Sine alis 349.
Virgo paritura Catanæ culta 37.
Virginum Monialium Cœnobia 165.
S. Vitalis Epiſ. Catanæ moritur 230.
Vulcani Templum in Ætna 17.

X


X*yſti* in Thermis 51.

Z

Z*oſima* gens Catanæ nobilis 201.

Pag.	*Lin.*	*Errata.*	*Corrige.*
8	22	Etnicos	Ethnicos
	30	Galatheę	Galathea
9	7	aliude	aliunde
	25	munerum	numerum
10	27	Decacordo	Decachordo
13	15	Culpurnio	Calpurnio
	18	Deeemviruli	Deeemvirali
34	22	aditum	adytum
36	7	ineſtinctus	inextinctus
	29	nemeſi	Nemęis
22	4	ſobdit	ſubdit
39	9	innunt	innuunt
54	*poſt* 2. *lineá adde* V. THERMÆ MINOR.		
57	14	habuiſſe,	habuiſſe
62	20	ombus,	omnibus
65	19	parietis	parietes
89	2 *poſt* Bacchi *adde*		aut Herculis
	27	alis	aliis
	32	ſole	ſolo
92	6	campos	compos
97	4	ſemis	ſemiſſem
99	30	Ætnæorum	Ætnæarum
109	*poſt* Jacobus Raimirez *adde* Jacobus Conchilles 1508.		
149	27	Comitis	Comitiis
216	9	DIEBUS XXI. MEN. III.	MEN. III. DIEBUS XXI.
223	16	Gegorius	Gregorius
237	2	Lunulę	Lunula
162	32	MDCLI ſignatũ ſubinde	MDLXXVI ſignatum; Subinde
361	35	Gigamanthia	Gigantomachia
373	4	antiquiſſimm	antiquiſſimum

Partis Tertiæ Tomus Primus explicit. Hunc brevi excipiet Tomus alter, Librum XII. de Viris Illuſtribus, ubi diſſertatio de Patria divæ Agathæ; decurrẽtis Sæculi Hiſtoriam; Ad Lib. X. De Inſcriptis Lapidibus Appendicem; nec non Fazelli, Cluverii, & Goltzii lucubrationes de Catana complectens.



Digitized by Google



BACCHI EFFIGIES IN S NICOLAI MVSÆO FOL. 89



HERCVLES PENES N V ASCANIVM RICCIOLVM FOL. 34.



STATVÆ FRVSTVM IN SENATORIO PALATIO FOL. 89.

Tab. 3



Tom 3




Tab. 4

Tom. 3. Lib. 11.


Tab. 5.
1
ΚΑΤΑΝΑΙ
2
ΚΑΤΑΝ
3
ΝΑΥΟΝ ΚΑΤΑ
4
ΚΑΤΑΝΑ
5
ΚΑΤΑΝΙΩΝ
6
ΚΑΤΑΝΑΙΩ
7
8
9
ΤΑΝΑΙΩΝ
10
ΚΑΤ ΑΝΒ
11
ΚΑ
12
ΚΑ ΤΑ ΝΑΙΩΝ
13
14
ΚΑΤΑ ΝΑΙΩΝ
Tom 3
Lib II


Tab. 6
KATA
KATA NAIΩN
KATA NAYΩN
KATA
KATANAIΩN
NAIΩN KATA
KATA
NΩIAN KATA
Tom 1




Tab. 7
KATA
NAIΩN
KATANAIΩN
Tom 3

Tab. 8



Tom 5

Lib. II.

Digitized by Google

005674093

Digitized by Google

Digitized by Google

7 1. 623. tom

Digitized by Google